348.71

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/juriscanonicietj0000unse

JURIS CANONICI

ET

JURIS CANONICO-CIVILIS

COMPENDIUM.

JURIS CANONICI

ET

JURIS CANONICO-CIVILIS

COMPENDIUM,

PRÆLECTIONIBUS ACCOMMODATUM

QUAS

IN SEMINARIO BRUGENSI

HABUIT

P. DE BRABANDERE

CAN. HON. ECCL. CATH. BRUG., JUR. CAN. LIC., IN SEM. EPISC. DIRECT. ET JUR. CAN. PROF.

EDITIO ALTERA, AUCTA ET EMENDATA.

Conserva, fili mi, præcepta patris tui,
et ne dimittas legem matris tuæ.....
Quia mandatum lucerna est, et lex lux,
et via vitæ increpatio disciplinæ.
Prov. VI, 20 et 23.

ALMA COLLEGE
348.71
LIBRARY
B721
Alma, California

TOMUS PRIMUS.

BRUGIS

E PRELO UX. VANHEE-WANTE, EPISC. BRUG. TYPOG.

3886

Approbatio Ordinarii.

Editionem hanc alteram Compendii *Juris canonici et Juris canonico-civilis*, a dilectissimo Nobis Auctore, R. A. D. De Brabandere auctam et emendatam, dum charissimis Seminarii nostri alumnis tanquam opus classicum præscribimus, toti clero nostro, solidorum studiorum amanti, vehementer commendamus.

Brugis, 26 Augusti 1872.

† J. J., Episc. Brugen.

PRÆFATIO

AD AUDITORES.

Cum primum Juris canonici docendi mihi provincia obtigit, nihil a me tam alienum fuit, Auditores benevoli, quam animus novas excudendi institutiones. Virium enim mearum imbecillitatis plane conscius non leviter timebam difficultates, quæ in exponendo etiam jure sæpius occurrunt; quanto magis ab edendo refugiebam! Quod autem mihi videbatur admodum difficile, id præterea haud necessarium esse existimabam. Etenim ad illustranda studia canonica, hoc et superiori seculo docti viri complures multum industriæ, maximo cum fructu attulerunt, et tot tamque præclara omnis generis opera prodierunt, ut inopes nos copia faciat.

Diligenter itaque ea percurri et examinavi, diuque inquisivi, quo duce profectui vestro in scientia juris facile consulere valerem. Labor pro voto non successit; et quod præstandum initio ne quidem cogitaveram, præstiti tamen pene coactus aliorum vel rogatu, vel jussu : ad id amicorum consilium ac superiorum me impulit auctoritas.

Præterea non una me adduxit causa, ut manum tandem ipse operi admoverem, et hoc qualecunque juris compendium prelo subjicerem. Ea prima, Optimi Juvenes, quod, etsi inter recentiores Auctores non desint, qui ceteroquin juris communis institutiones Seminariis nostris apprime accommodarint, ideoque ab omnibus probentur et utiles habeantur, nullum tamen, quod

sciam, sit invenire, qui notiones juris civilis-ecclesiastici, quantum hodie opus est, cum jure canonico conjunxerit. Illa forte quam feci immixtio nonnullis inepta videbitur eosque offendet; ast sciant mihi fuisse mentem, in illud maxime incumbendum esse Professoribus, quod auditoribus quam utilissimum noverint.

Secunda autem, quod nullum invenerim scriptorem classicum, qui onus, ut par est, susceperit, tradendi jus ecclesiasticum peculiare, seu locale, ut aiunt, proprium scilicet provinciis singulis et regionibus. Omnes namque sequi videntur sensum, quem Card. Soglia in præfatione ad *Jus priv.* aperit, dicens : « De peculiari hoc jure pro rei gravitate disserere ad Institutionum canonicarum antecessorem spectabit, qui attentis locorum, temporum ac personarum adjunctis, vel in prælectionum decursu, vel in fine, coronidis loco, ea accurate exhibebit ac referet, quæ magis probanda in se, et in praxi secura sibi videbuntur. » Optime quidem, si hæc pauca fuissent, atque non nimis diversa.

Tertia denique causa non latebit illum, qui novit programma lectionum Seminarii nostri, et hodiernam conditionem Ecclesiæ in Belgio. Hac de ratione ex toto prætermittere debeo tractatus non spernendos de legibus, de voto, de impedimentis matrimonii, etc.; et summis tantum labiis possum delibare tractatus de judiciis, beneficiis, privilegiis, etc., utpote quæ omnia vel a jure canonico ad lectiones theologicas apud nos transmigrarunt, vel ex angustia temporum in nostris regionibus vix hodie vigent.

Hæc et alia, Dilectissimi, plurimas et non leves postulant in quolibet manuali correctiones, notas et additiones, quas forsan confuse et certe minus accurate, multo tempore et labore sub dictamine excipere oporteret. Huic malo mederi volens, prælectiones, saltem compendiose, typis dedi, hoc potissimum fine, ut, juxta votum Ill. Domini Malou, *Epist. 28 Sept. 1853*, a scribendi onere, quo potior temporis et otii pars magno labore, modico fructu in scholis teri solet, vos sublevem.

De cetero palam fateor, quod me etiam tacente legentis in oculos occurrit, præsens opusculum non tam tenuis ingenii mei partum, quam doctrinæ aliorum esse promptuarium. Non nova igitur, nequidem mea propono; sed quæ legi et audivi, hæc refero. Nihil enim mihi visum est utilius, ad viam juris vobis aperiendam, quam ea, quæ, vel ab probatissimis Auctoribus mature sapienterque scripta, vel ab Eximio Domino Feye, studiorum meorum in Universitate catholica Lovaniensi moderatore doctissimo, tradita sunt, pro modulo meo colligere, et peculiari forsan ordine et methodo in compendium redigere. Quare si quid in eo boni est, id illis tribuatur; si vero quid minus apti obrepsit, id sane meum fuerit, quod correctus libenter emendabo.

Attigi causas, dicam instituti mei formam. Mens est, elementares juris notiones, servato Seminarii programmate, quantum fieri poterit breviter quidem, clare tamen proponere. In hunc finem theologicas materias ad propriam earum sedem remisi; canonicas, quæ in theologiæ prælectionibus apud nos agitantur, consulto silentio prætergressus sum; inter cæteras vero delectum feci. Cum neque doctis scribam, sed nondum juris gnaris, arduarum quæstionum tractatione gloriam, quæ tenuis admodum ex ea sperari posset, aucupari animus non fuit, ideoque indicato loco, quo recurrere possint qui eas cognoscere cupiunt, otium impendi exponendis illis, quæ magis vobis scitu necessariæ sunt. Et in his quoque superflua resecui, laxiora pressi, argumenta pauca, ast solida, ut spero, subministravi, quæ in scholis evolvere atque explanare conabor. Quod ut majori vestro cum profectu efficerem, flores latinitatis grammaticis reliqui, et claritate verborum, locutionum familiaritate præcipuas juris notiones pervias et faciles me reddidisse puto.

Opusculum in duos Tomos distribuendum censui. Alter complectitur prænotiones et primam juris canonici partem, quæ agit de natura Ecclesiæ, ejusque potestate, necnon de personis. Alter autem partes duas ultimas : nempe tractatum de rebus, ubi potissimum de locis ecclesiasticis agitur, et tractatum de judiciis, delictis et pœnis. Quoniam vero in iis præcipue materiis

jus nostrum civile ecclesiastico sæpe admixtum est, illius non potui non habere rationem. Parcius quidem de pluribus egi, ne superfluo pondere vos onerarem; sed de sepulturis atque de ecclesiarum fabricis copiosius disserendum censui, ne, quæ maxime ad praxim facere videntur, ea culpabili silentio prætermitterem. Quo autem id fructu, docti judicabunt.

Has igitur qualescunque institutiones, Auditores benevoli, nota vestra humanitate excipite, æqui bonique consulite. Et si conatus meos, licet non singulas doctrinas, probaveritis, compendioque duce, studio juris canonici ad majus Ecclesiæ bonum strenue incubueritis, votorum meorum summam ero consecutus; nullam enim hinc mihi laudem aut venor, aut auguror : *soli Deo honor et gloria.*

De cetero, quæcumque in eo scripta sunt ex totis præcordiis judicio Ecclesiæ et Capitis ejus infallibilis, a quo regitur et gubernatur, humillime subjicio.

Scribebam Brugis, in festo Præsentationis B. M. V. an. 1868.

P. De Brabandere, J. C. L.

PRÆNOTIONES

IN

JUS CANONICUM.

Antequam ipsius jurisprudentiæ sacræ tractationem aggrediamur, consultum duximus aliquantisper in limine consistere, et, prout fieri solet in aliis scientiis, hisce quoque prælectionibus quasdam præmittere notiones, scitu admodum utiles vel etiam necessarias illis omnibus, qui huic studio operam sunt daturi. Prænotiones enim quasi manuducunt in largum sacræ jurisprudentiæ campum, in decursu moram ambagesque tollunt, et omne periculum a scopo aberrandi removent.

Claritatis autem et ordinis gratia prænotiones in septem capita dividimus; in quorum 1° agitur de jure canonico generatim; in 2° de juris canonici fontibus; in 3° de SS. canonum præcipuis collectionibus; in 4° de jurisprudentia sacra et regulis servandis in canonum interpretatione; in 5° de juris canonici subsidiis; in 6° de quibusdam juris canonici commentariis; in 7° tandem de methodo in hoc nostro instituto adhibita.

De jurisprudentiæ canonicæ dignitate quædam oretenus dixisse sufficiat. Ex ipsa enim ejus tractatione, multo luculentius quam panegyrica aliqua commendatione, ejusdem summa dignitas, utilitas atque necessitas innotescent.

CAPUT I.

DE JURE CANONICO GENERATIM.

Articulus 1.

DE JURIS CANONICI NATURA.

§ 1. *De vocabulis Juris et Canonis.*

I. Vocabulum *Jus,* a *justitia,* vel a *jubendo* deductum, diversimode accipitur; nempe : pro æquo et justo generatim, sive pro omni eo quod dictamini rationis, legi divinæ et humanæ conforme est; pro loco, in quo causæ deciduntur; hoc sensu dicitur quis *in jus vocari, in jure comparere;* pro sententia judicis; pro facultate morali et legitima aliquid obtinendi, agendi aut omittendi, vel obligandi alterum ad dandum, faciendum aut omittendum; sic dicitur: *Sum mei juris, utitur jure suo;* pro jurium scientia, sive jurisprudentia; et tandem pro lege. Hoc ultimo sensu a nobis sumitur, et designat hic complexionem vel systema legum, quibus regitur aliqua societas, seu ipsius societatis legislationem. Cf. Bouix, *de princ. jur. can.* P. I. S. I. cap. 1.

Jus dividimus in *divinum* et *humanum.*

Divini juris duas constituimus species, nempe *naturale,* ex quo ope rationis effectum est *Jus gentium,* seu *internationale,* ut nunc dicunt, et *positivum,* quod in *vetus* et *novum* distinguitur.

Jus humanum a supremis Principibus ex rationis, jurisve naturalis consulto sancitur, et dividitur in *ecclesiasticum* seu *canonicum* et *civile.*

De solo jure canonico nobis sermo; de reliquis agitur in tr. *de Legibus.*

II. *Canon* vox græca est, quæ proprie denotat nor-

mam seu regulam, quæque de se complectitur omnem legem, tam civilem quam ecclesiasticam, quia utraque est regula morum. Nihilominus, per antonomasiam, sola lex ecclesiastica dicitur *Canon,* ob excellentiam nimirum potestatis, a qua fertur, et finem ad quem dirigit.

Cum igitur vocis etymologiæ et grammaticali ejusdem significationi insistitur, omnes leges ecclesiasticæ, etiam particulares, quæ sunt regula morum, videntur sine ulla difficultate appellandæ *canones.* Ast usus nunc communiter et præcipue apud Doctores invaluit, ut *canonis* nomine solæ denotentur constitutiones, quæ universam obstringunt Ecclesiam, quales illæ sunt, quæ a Conciliis generalibus, vel a S. Pontifice promanant aut confirmantur.

Quinimo, non tantum regulæ morum et disciplinæ, sed etiam definitiones, quæ ad fidem pertinent, quæque proprie dicuntur *dogmata,* sæpius *canonum* nomine vocantur. Quam praxim ipsa Tridentina Synodus secuta est, quæ fidei definitiones et hæresum damnationes per *canones* proposuit. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. I. cap. III. 2.

Vox itaque *Canonis* ab Ecclesia adoptata est ac retenta, ad fidei, morum et disciplinæ leges significandas.

§ 2. *De juris canonici notione.*

Ex dictis § præcedenti jus canonicum recte definitur *complexio canonum sive legum, quæ ab ecclesiastica potestate constitutæ, propositæ aut approbatæ sunt, ad rectam christianorum institutionem et Ecclesiæ vel ecclesiarum gubernationem.*

Dicitur *complexio legum;* quod est loco generis et commune cuilibet juri sociali recte instituto.

Dicitur *ab auctoritate ecclesiastica;* quibus verbis assignatur jus canonicum Ecclesiam habere auctorem, seu

sancitum esse ab iis qui jus imperandi in Ecclesia a Christo acceperunt.

Dicitur *constitutæ, propositæ aut approbatæ sunt;* eo quod earum legum, quibus jus canonicum constat, alias Ecclesia constituit, alias proposuit, alias approbavit. Prioris generis sunt omnes leges positivæ, quas ecclesiastica potestas ipsa condidit; secundi generis sunt leges juris divini, tum naturalis, tum positivi, quas Ecclesia, ut patet, non constituit, siquidem jure divino sint constitutæ, sed quas auctoritate sua declarat et urget; tertii tandem generis sunt leges, quæ licet initio ab Ecclesia non confectæ, sed potius vel a potestate civili, vel populorum moribus primum inductæ, factæ sunt ecclesiasticæ per approbationem, quæ accessit, R. Pontificis. His jam insinuatur triplex juris canonici objectum, quod clarius eruitur ex observatione sequenti.

Dicitur *ad rectam christianorum institutionem et Ecclesiæ vel ecclesiarum gubernationem;* quibus verbis designantur subjectum, objectum et finis juris canonici.

a/ Subjectum; soli namque christiani huic juri subjiciuntur, quatenus per baptismi sacramentum in Ecclesiæ societatem recepti, ejus partes et membra evaserunt, juxta illud Apostoli I Cor. V, 12 : *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*

b/ Objectum; recta christianorum institutio et Ecclesiæ gubernatio tria postulat : nempe fidei integritatem, morum puritatem et disciplinæ custodiam; hinc tria hæc sunt objectum proprium juris canonici. Omnes quippe canones aut de dogmatibus fidei, aut de morum præceptis, aut de decretis disciplinaribus conscripti sunt.

c/ Finis; clare designatur juris canonici finis proximus, nimirum bonum spirituale fidelium; insinuatur vero finis ultimus; finis enim ultimus Ecclesiæ necessario finis ultimus est legum ecclesiasticarum seu juris canonici, sc. salus christianorum et æterna eorum beatitudo.

§ 3. *De variis juris canonici nominibus.*

Jus, quod communius *canonicum* dici solet non raro vocatur *jus ecclesiasticum;* quia versatur circa res et personas ecclesiasticas, quæ præcipue hoc jure reguntur, et quia ab Ecclesiæ rectoribus constitutum est.

Dicitur *jus pontificium,* quia componitur constitutionibus maxima parte ab ipsis Pontificibus sancitis, vel saltem eorum auctoritate probatis.

Dicitur etiam *jus sacrum,* quia circa personas resque sacras versatur, et ad finem sacrum tendit.

Aliquando nuncupatur *jus divinum,* « non quod vere divinum sit; sed quia vel continet quædam excerpta ex sanctis Litteris....., vel quia canones instinctu et dono aut gratia Spiritus Sancti dotati sunt, vel quia sunt conclusiones deductæ ex principiis legis divinæ, vel denique, quia jus istud a Pontifice, tamquam Christi in terris Vicario ..... divina potius auctoritate est constitutum; » ait Schmalzg. *Diss. proœm.* § 7, n. 231. Ita sane appellatur ab imperatore Justiniano, L. 23. *Cod. de SS. Eccles.* et ab Innocentio IV, qui decernit, ut apud Sedem Ap. *vigeat studium divini juris et humani, canonici videlicet et civilis.* C. II. *de privil. in 6.*

§ 4. *De discrimine juris canonici a theologia et jure civili.*

I. Ex illis quæ statim de objecto juris canonici dicta sunt colligitur, magnam inter ipsum et theologiam esse affinitatem; nam « fidei morumque tractatio, ut recte animadvertit Card. Soglia, *in præn.* C. I. § 3, tum ad dogmaticam et moralem theologiam, tum ad jus canonicum pertinet. Verumtamen, *addit,* res aliter a theologia, aliter ab ecclesiastico jure spectatur. Namque theologia

dogmatica de fide rebusque divinis universim disserit, ut statuat regulam credendi; atque hinc studium omne et operam collocat in demonstrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quævis sanæ et catholicæ doctrinæ congruat vel adversetur. At jus canonicum res fidei respicit, ut ex iis agendi regulam hauriat, cum multæ sint disciplinæ leges, quæ a fidei regulis ita pendent, ut credendi regula regulam agendi constituat.

« Ad mores autem quod attinet, - theologia moralis, ait Schwarz, *in inst. jur. publ. univ. instr. I.* § 3, motivo generali bonitatis atque malitiæ, versatur circa virtutes omnes ac vitia; spectat primario ac præcique forum internum, et tractat actiones quaslibet, sive respectum habeant ad civitatem, sive non. - Sed jus canonicum rationem habet officiorum, quæ in ecclesiastica societate præstanda sunt, ut fideles pie honesteque conversentur; et idcirco respicit fideles ratione habita ad communitatem ecclesiasticam; forumque externum maxime intuetur. Præterea canones, recte observante Gersonio in *Recommendatione licentiandorum in Decreto,* - non sunt nisi conclusiones ex principiis theologicis, id est ex Evangelio et aliis libris canonicis elicitæ vel illatæ, vel etiam determinationes loci, temporis, modi, quo jus divinum observandum præscribitur.

« Denique jus canonicum divinis legibus, sive fidem sive mores spectantibus, addit ecclesiasticas leges, sive pœnas, quibus improbi homines in officio continentur : qua de causa exstant tituli de hæresi, de apostasia, de simonia, de adulterio, de perjurio, de furtis et similibus.

« Uno verbo theologia tota est in rebus fidei et morum universim investigandis, illustrandis et propugnandis; jus canonicum in iis custodiendis, propagandis, et in usum actumque perducendis : quamobrem jure merito a Boetio et Alvaro Pelagio *theologia rectrix et practica* nuncupatur. »

II. Jus canonicum triplici ratione differt a jure civili istudque antecellit : videlicet origine, objecto et fine, uti oretenus paucis indicabitur. Vide Phillips, *Du droit eccl. dans ses princ. gén. Intr.* § 5.

Mixta itaque est jurisprudentia ecclesiastica ex sacra theologia et jure civili ; sed differt a theologia, quia hæc de dogmate, illa de disciplina tractat ; differt a jure civili, quia hoc temporalem, illa temporalem et æternam felicitatem respicit.

Articulus II.

DE DIVISIONE JURIS CANONICI.

Jus canonicum solet præcipue dividi :

1° Ratione *modi* quo inducitur, in *scriptum* et *non scriptum*. Illud constat legibus scriptis, quæ promulgantur ; hoc vero traditionibus et consuetudinibus, quæ non promulgantur.

2° Ratione *subjecti,* in *commune* et *particulare*. Commune dicitur quod pro universa Ecclesia latum est, adeoque per se omnes fideles obligat ; particulare vero, quod pro certis quibusdam locis aut personis statutum est.

Jus particulare subdividitur in *patriarchale, provinciale, diœcesanum, monacale,* prout proprium est patriarchatui, provinciæ, diœcesi vel regularibus.

3° Ratione *objecti,* in *publicum* et *privatum*. Jus publicum est collectio legum quibus Ecclesiæ constitutio definitur. Sic leges, quæ determinant formam Ecclesiæ socialem, ipsiusque auctoritatem generaliter, necnon rectorum, qui in ea potestatem gerunt, jura et officia, pertinent ad jus publicum. Jus privatum vero est complexio legum, quibus determinantur jura et obligationes fidelium. Jus itaque publicum ad regimen, sive statum Ecclesiæ universæ refertur ; privatum autem ad singulos fideles tanquam Ecclesiæ membra respicit.

4° Ratione *temporis*, in *antiquum, novum* et *novissimum*. Sed unus idemque non est omnium Canonistarum modus supputandi juris ecclesiastici tempora. Plurimi vocant antiquum, illud quod Concilium Tridentinum præcessit; novum, quod a prædicto Concilio fuit statutum; novissimum, quod decretis a tempore Tridentini editis constat. Aliis placet jus antiquum appellare, quod viguit usque ad decretum Gratiani; novum seu medium, quod ab isto decreto ad ultimam collectionem in Corpore Juris contentam se extendit; novissimum seu novum, quod a Corpore Juris clauso ad nos usque decurrit. Hinc etiam divisio in jus *clausum* in Corpore Juris, et *vagans* extra ipsum Corpus.

Cavendum autem est ab alia partitione, quam adhibent auctores S. Sedi infensi, quaque statuunt jus antiquum illud esse, quod præcessit collectionem Isidori Mercatoris, de qua infra.

CAPUT II.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI.

Fontes juris triplici præsertim modo sumuntur.

Alii, sed improprie, per *Fontes* intelligunt legum statutorumque collectiones, de quibus capite seq.

Alii magis proprie *Fontes* appellant ea loca, in quibus jus ipsum invenitur, propterea quod et jura et juris momenta, argumentaque et rationes ab his locis veluti fontibus hauriantur. Hoc sensu fontes numerantur tum quatuor, tum septem : nempe S. Scriptura, Traditio, constitutiones SS. Pontificum et canones Conciliorum generalium, quibus aliqui adjiciunt jus naturale, scripta SS. Patrum et jus civile.

Alii tandem strictiori sensu *Fontes* dicunt causas ipsas efficientes legum, seu personas illas a quibus jura pro-

fluunt, scilicet auctoritatem legislativam. Hoc sensu tot juris canonici habentur fontes, quot in Ecclesia sunt vel fuerunt legislatores.

Inter auctores non convenit de numero fontium juris sacri, sic vi vocis sumptorum. Quidam volunt unicum proprie exstare fontem, R. Pontificis sc. legislativam potestatem. Hanc sententiam pluribus probat Bouix, l. c. P. II. S. I.

Auctor Inst. Jur. can. publ. et priv. R. de M. et alii duplicem fontem assignant : alium altiorem et *divinum,* Christum sc., qui jura magis fundamentalia, ac potissimum publicum Ecclesiæ statum condidit; alium *vicarium,* seu *humanum,* Romanum sc. Pontificem.

Juxta Card. Soglia, l. c. § 14, « quatuor sunt ecclesiastici juris fontes, quandoquidem quatuor legum ecclesiasticarum latores agnoscimus, neque plures, neque pauciores; nempe : Christus Jesus ipsius Ecclesiæ fundator et legislator; dein Apostoli potestate ab ipso Christo accepta; tum SS. Pontifices; denique Episcopi in Conciliis congregati. » Hæc est communior.

Tres præfatæ opiniones, si res ipsa inspiciatur, veræ sunt et facillime conciliantur. Quare huic controversiæ, utpote hodie nullius fere momenti, non inhæremus. Aliquantulam quidem adhuc præbet utilitatem, quatenus inservit ad dignoscendam legitimam in Ecclesia potestatem legislativam; sed ex infra dicendis patebit nos eam jure merito prætermisisse.

Ut autem de fontibus juris canonici utiliori quo potest modo dicamus, sequimur secundam opinionem; sumimus nempe fontes in suis rivulis, quibus ad nos sese diffundunt, et pro instituto nostro breviter inquirimus de usu et auctoritate in Jure canonico juris naturæ; S. Scripturæ; Traditionis; consuetudinis; constitutionum SS. Pontificum; canonum Conciliorum; scriptorum

SS. Patrum et juris civilis. Ulteriores circa istos fontes notiones repetendæ sunt ex aliis disciplinis.

Articulus I.

DE JURE NATURÆ.

« Duo in usu juris naturalis errores vitandi sunt, ait Soglia, l. c. § 40; alter eorum est, qui argumenta juris naturalis ab ecclesiastica jurisprudentia ita removent, ac si utraque disciplina sibi esset adversa : alter eorum est, qui plus æquo rationi tribuunt, dum omnia ex naturali jure definiunt. In primo errore illi versati sunt, qui in pactis et obligationibus interpretandis, in hominum officiis exponendis, in explicandis legibus, quæ a jure naturali depromptæ sunt, nullam ejusdem juris naturalis rationem habuerunt. In alterum errorem, et eum quidem perniciosissimum, delapsi sunt imprimis Protestantes, qui in jurisprudentia canonica universa primum et potissimum locum juri naturali tribuerunt, eo sane consilio, ut sacrum Ecclesiæ regimen et hierarchiam omnino destruerent. Igitur hæc vitia declinabimus, si regulas sequentes adhibeamus.

« Prima. *In jure publico ecclesiastico, ubi de statu seu constitutione et potestate Ecclesiæ quæstio est, nullus est usus juris naturalis, sed juris divini positivi.* Debuit sane Deus ordinem aliquem, ac propterea regimen in Ecclesia instituere, quandoquidem quæ a Deo sunt, ordinata sunt : qualem autem regiminis formam instituerit, cum ea res ex divina voluntate pendeat, non ex principiis juris naturalis definienda est, sed ex Litteris sacris et Traditione; quibus ex fontibus quid Deus voluerit et constituerit, intelligitur...

« Secunda. *Posita natura et fine, ex. gr. alicujus ordinis hierarchici, recte possumus vim potestatis eidem ordini*

convenientem ex ratione et jure naturali inferre. Ita cum certum sit, primatum S. Pontificis institutum esse servandæ unitatis causa, jure riteque infertur, omnem eam potestatem ex Christi institutione et jure divino Pontifici tributam fuisse, qua ad unitatem efficaciter conservandam opus erat; quia Deus, qui nec impotens, nec improvidus est, dum finem voluit, media quoque contulit obtinendo fini idonea.

« Tertia. *In omnibus iis, quæ ad præcepta morum et justitiam naturalem pertinent, si leges positivæ deficiant, jus naturale erit lex, ad quam judicia et negotia dirigenda erunt.*

« Quarta. *Cum Ecclesia nihil possit in divinis et naturalibus legibus derogare, immutare, dispensare, cognitio juris naturalis non modo utilis, sed necessaria est ad cognoscendum, quæ leges sint naturales, et proinde immutabiles, quæ vero positivæ (humanæ), adeoque derogationi, immutationi, et dispensationi obnoxiæ...*

« Denique jus naturæ maxime valet ad legum æquitatem demonstrandam, atque ad easdem leges rite recteque interpretandas. »

Articulus II.

DE S. SCRIPTURA.

Probe distinguendum est inter libros veteris et novi Testamenti.

I. Ad vetus Testamentum quod attinet, nemo dubitat quin e præceptis moralibus, quæ Christus non sustulit, sed clarius evolvit confirmavitque, argumenta in jure canonico firmissima deduci valeant. Sed an idem dicendum est de præceptis cæremonialibus et judicialibus, quæ Christus abrogavit?

Respondet Soglia, l. c. § 16 : « Cum utrumque Testa-

mentum inter se nexum jugatumque sit, tum quia alterum alterius umbra et simulacrum fuit, tum quia alterum alteri suffectum est, Canonistæ sine ulla controversia sentiunt, argumenta ex veteri Testamento deprompta non parum valere ad multa ecclesiasticæ jurisprudentiæ capita illustranda et amplius confirmanda. Sed præsertim ex statu publico Synagogæ ejusque sacerdotio ad statum Ecclesiæ nostrumque sacerdotium potest argumentum duci; quandoquidem SS. Patres hoc argumento sæpius usi sunt...

« Verumtamen non ex omnibus, quæ in veteri Testamento scripta sunt, licet argumenta promere. Enimvero quædam in eo sunt, quæ consummato Christi morte humanæ redemptionis mysterio ita intercederunt, ut sine peccato usurpari amplius nequeant; quædam etiam non præscripta neque imperata, sed tantummodo permissa aut tolerata; quædam denique solius gentis illius regimini consentanea fuerunt. Horum itaque nullus usus, nulla auctoritas est in jure canonico, nec esse potest.

« His igitur omissis, ex reliquis veteris Testamenti locis argumenta petenda erunt. Ex quibus insuper Ecclesia, Apostolorum vestigiis insistens, ex præceptis cæremonialibus nonnullos ritus adoptavit, qui divino cultui plus decoris afferunt, cujusmodi sunt templorum dedicatio, sacræ vestes, thus, lampades, cantus et alia ejusdem generis; ex judicialibus vero deprompsit cap. I de homicidio, cap. I et II de adulterio et stupro, cap. I de furtis, etc...

« Porro Judæorum leges in Corpus Juris canonici receptæ, et, ut aiunt canonizatæ, non tanquam leges divinæ, sed tanquam leges ecclesiasticæ, sive auctoritate ecclesiastica receptæ confirmatæque habendæ sunt; nam, ut optime scripsit Zallwein, T. I. *Princ. jur. eccl.* leges istæ non habent vim obligandi vi institutionis divinæ,

quæ cessavit, sed vi auctoritatis Ecclesiæ eas libere adoptantis; et proinde Ecclesia potest easdem relaxare, atque etiam penitus abrogare. »

« II. Novum vero Testamentum est juris ecclesiastici fons primus et præcipuus.

« Sane, inquit Zallinger in *Inst. jur. eccl.* cap. V, quæ ad jus ecclesiasticum publicum pertinent, de fundatione Ecclesiæ, de institutione potestatis hierarchicæ, de sacro imperio Apostolis atque in primis S. Petro a Christo collato, de gesto ab iisdem imperio circa res omnes ad Religionem et Ecclesiæ gubernationem spectantes,... ea omnia ex SS. Scripturis novi Testamenti luculenter sumuntur. Et de jure privato vix tractari quidquam potest, quin idem ex sacris Litteris erui, confirmari et illustrari quæat. »

At videndum est quis usus, quantaque sit vis et pondus argumentorum, quæ ex novo Testamento depromuntur. Jam vero ad fidei veritatem morumque præcepta demonstranda certæ auctoritatis argumenta habenda sunt, quæ ex litterali Scripturæ sensu ducuntur. Ad sensum mysticum quod spectat, cum utriusque sensus, litteralis et mystici, unus idemque sit auctor Deus, sequitur et ipsum per se vim probandi habere, ubi constat eum esse sensum Spiritus Sancti. Alii vero sensus mystici et spirituales, licet ædificent, cum non sint contra fidem aut mores, efficacia non præbent argumenta. Cf. Lamy, *Intr. in S. Script.* C. VII. n. 28 s.

Attendendum etiam est ad auctores scriptorum novi Testamenti. Evangelia nonnisi doctrinam ipsius Christi continent, sed reliqui libri præcepta tum divina, tum apostolica complectuntur. Hæc præceptorum divisio apertissime significata est a S. Paulo I Cor. VII, 10, dum ait: *Præcipio, non ego, sed Dominus;* et v. 12: *Ego dico, non Dominus.*

Inter dicta igitur et præcepta Apostolorum, alia divina sunt, utpote ab Apostolis prolata Christo mandante, seu ut Evangelii præconibus; alia vero humana et ecclesiastica, utpote edita ab Apostolis tanquam ecclesiarum rectoribus. Hæc derogationi et abrogationi obnoxia sunt, non illa.

Sin autem regula petatur, qua instituta divina ab apostolicis distingui valeant, hæc generatim tenenda est : quæ in scriptis Apostolorum continentur, ea pro divinis habenda sunt, nisi ex verbis, aut e subjecta materia, aut e R. Pontificis declaratione, aut consentienti SS. Patrum testimonio contrarium luculenter appareat. Cf. Soglia, l. c. §§ 17 et 18.

Articulus III.

DE TRADITIONIBUS.

Traditiones hic objective sumuntur, et dici solent Christi, Apostolorum vel antiquiorum Præsulum doctrinæ et praxes in Ecclesia stabilitæ, quæ a primis auctoribus non scriptæ, sed verbis traditæ sunt. Dicitur *a primis auctoribus;* nomen enim Traditionum retinent, etsi postea scriptis fuissent consignatæ.

Traditiones vel *divinæ* sunt *vel humanæ*. Divinæ sunt, quæ, ut docet Trid. *Sess. IV,* ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; v. g. eæ quæ spectant ad materiam et formam sacramentorum.

Humanæ sunt quæ ab hominibus, Apostolis videlicet ut rectoribus ecclesiarum, vel eorum successoribus originem ducunt. Quare in *apostolicas* et *ecclesiasticas* dividuntur.

Cum Traditiones divinæ Deum ipsum habeant auctorem, summæ profecto auctoritatis sunt in Ecclesia, quæ

cas una cum S. Scriptura pari pietatis affectu et reverentia suscipit ac veneratur, ut habet Trid. l. c. Quamobrem immutabiles omnino sunt, nullique potestati obnoxiæ. Humanæ vero tantam habent vim, quantam leges ab iisdem auctoribus constitutæ; sed quemadmodum cæteræ hominum constitutiones, mutatis circumstantiis aut voluntate legislatoris, mutari possunt aut etiam penitus abrogari.

Oportet itaque ut subministretur medium Traditiones divinas ab humanis discernendi. Medium generale est, tum ut ipsa Traditionis materia bene inspiciatur, tum ut SS. Patrum, imprimisque Ecclesiæ sententia exquiratur. Generali huic medio applicando inserviunt quatuor regulæ sequentes :

1ª *Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet.*

2ª *Traditio pariter divina est, si sit earum rerum, quæ humanam potestatem superant, qualis v. g. est materia et forma sacramentorum, quia sacramenta a solo Deo institui potuerunt.*

3ª *Sic etiam Traditio divina est, si quod præcipit, aut statuit, id consentientes inter se Patres tanquam oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirment ad præceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere; quandoquidem SS. Patres sunt legitimi testes divinarum Traditionum.*

4ª *Quidquid denique Ecclesia tanquam divinitus traditum observat aut docet, nec in SS. Litteris exstat, minime dubitandum est quin sit divinæ Traditioni tribuendum; neque enim Ecclesia catholica hisce in rebus errare potest.*

Cf. Honoratum a S. Maria in *animadv. in reg. et usum critices* L. I. diss. 7 et 15, et *Præl. theol. dogm. gen.* P. II. *de Verbo Dei revelato.*

Articulus IV.

DE CONSUETUDINE.

Ad jus non scriptum, sicut Traditio, etiam pertinet consuetudo, quæ definiri potest : Jus inductum populorum moribus et usu diuturno, cum expresso, vel tacito, vel legali saltem legislatoris consensu.

Consuetudini, debitis stipatæ conditionibus, hanc vim Ecclesia agnoscit, ut obligationem vel inducat, vel ex toto aut parte abroget, vel interpretetur.

Usus apud nos habet ut tractetur de *Legibus,* et proinde de consuetudine, in prælectionibus theologiæ moralis. Attamen nobis non videtur prætermittenda quæstio de consuetudine contra decreta Tridentini; frequenter enim in jure canonico occurrit, et maximi momenti res est.

Quæritur itaque utrum decretis Concilii Tridentini possit derogari contraria consuetudine?

R. Auctores non conveniunt : 1° Negant plures auctoritate gravissimi : Benedictus XIV, *Inst. eccl.* LX. n. 7, et *de Syn.* L. III. cap. I. 15; Cardinalis de Luca, *De jurisd. disc.* 95, n. 7 et 8, *disc. I. in Conc. Trid.* n. 16; Fagnanus, Devoti, Pignatelli, Gonzalez, Card. Petra, Phillips. Verumtamen isti auctores non omnes iisdem innituntur argumentis ad doctrinam suam stabiliendam.

Alii consuetudines Tridentino contrarias rejiciunt, quia Concilia dicuntur servanda ut Evangelia, et quia veluti divino jure statuunt.

Alii dicunt consuetudines Tridentino contrarias proscriptas fuisse a Pio IV in const. *Benedictus Deus,* et in const. *In Principis,* quæ habentur ad calcem Concilii.

Alii eodem fere modo procedunt, docentes omnia Tridentini decreta munita esse decreto consuetudines irritante, vi constitutionum, quibus confirmatum est.

2° E contra multi Canonistæ et Theologi in suis commentariis *de consuetudine,* et in peculiaribus quibusdam quæstionibus, decretis tridentinis applicant principia generalia legum disciplinarium. Horum alii diserte quidem affirmant consuetudinem posse contra Tridentinum induci; alii vero data occasione eam ita admittunt, ac si dubium de hac quæstione nullum moveretur. Ut unum citemus S. Alphonsum, *de statu relig.* n. 15, putat S. Doctor rigorem Concilii quoad peculium Religiosorum hodie temperatum esse *ratione consuetudinis.*

Ad hanc opinionem tuendam, *a/* sic ratiocinantur : Derogatio principio generali juris non præsumitur, sed probari debet; atqui nullum ex allatis pro priori sententia argumentis sufficientem affert probationem. Ergo, etc.

Et revera non 1^m^. Dum enim Concilia generalia dicuntur servanda ut Evangelia, hoc cum distinctione est intelligendum. Verum est de dogmaticis definitionibus; sed non est adæquatum de disciplinaribus. Hæc quidem maxima cum reverentia suscipienda sunt, sed tamen derogationibus sunt obnoxia, ut infra videbimus.

Dum vero dicuntur divino jure statuere, hoc verum est eo sensu quod jure divino habeant potestatem quam exercent; sed inde falso deduceretur : ergo divina sunt, seu immutabilia omnia Conciliorum statuta; leges enim disciplinares, vi illius potestatis latæ, humanæ sunt.

Non 2^m^. Jubet quidem Pius IV per const. *Benedictus Deus* ut Episcopi decreta Concilii « inviolabiliter faciant observari, » et decernit « irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; » per constitutionem vero *In Principis* revocat privilegia exemptionis, immunitatis, quæ decretis ejusdem Concilii erant contraria; sed in neutra constitutione declarat, quod in posterum consuetudo induci non poterit derogatoria aliquibus decretis.

Non 3m. Hoc etiam admisso, nondum sequitur probatio; nam apud omnes admittitur consuetudines valere contra decretum irritans actus contrarios, uti hic videtur esse casum. Quod si dicatur decretum irritans Tridentino appositum irritare etiam consuetudines, nondum dirimitur tota controversia. Certum quidem erit illud irritare consuetudines existentes; sed quid de consuetudinibus in posterum orituris? Nihil circa istas speciatim pro decretis tridentinis est decisum, et ut bene animadvertit Söll, theologus Societatis Jesu, fere communis doctrina est, quæ docet, legi vel canoni, non obstante clausula seu decreto irritante, contrariam consuetudinem introduci posse.

b/ Observant ipsosmet Canonistas prioris opinionis, de peculiaribus materiis loquentes, legitimas supponere consuetudines decretis tridentinis plane non consentientes. Exemplum habemus apud Card. de Luca, *Disc. XXX de convocatione synodi provincialis et diœcesanæ;* apud Devoti, *de vetita beneficiorum multitudine,* L. II. t. XIV § 17; apud Benedictum XIV, *de Syn.* L. I. cap. VI. 5, ubi admittit decretum Tridentini de annali convocatione synodi diœcesanæ contraria consuetudine nonnihil posse temperari et emolliri; et rursus L. XI. cap. XIV. 13, ablatam esse per consuetudinem obligationem auscultandi concionem in ecclesia parochiali.

Sic proposita controversia, concludendum videtur, ex sola Doctorum auctoritate litem omnino dirimi non posse. Ast superest aliud medium : consulere nempe praxim Romanorum tribunalium.

Jam vero praxis est, non tantum S. Rotæ, sed et S. Congregationis Concilii, nullas habere et irritas consuetudines decretis tridentinis oppositas. Verum quidem est ipsam S. Congregationem, licet illud facto fere ubique agnoverit, nunquam expresse docuisse tales con-

suetudines non posse induci; ast hujus Congregationis Secretarii hoc sæpius diserte affirmarunt. Qui Thesaurum resolutionum voluerit pervolvere, illa omnia perspecta habebit.

Tum S. Rotæ decisiones, tum conclusiones Secretariorum S. Congregationis Concilii ordinarie innituntur argumento petito ex const. *Benedictus Deus,* in qua affirmant haberi decretum irritans quidquid contra Concilii decreta in posterum fieret; semel vel iterum etiam recurrunt ad const. *In Principis;* sæpe demum invocant testimonia Pitonii, Benedicti XIV aliorumque nonnullorum auctorum. Cf. Bouix, l. c. P. II. sect. VI.

Quid igitur concludendum et tenendum?

1° Sufficienter constat praxim Sedis Ap. generatim non admittere consuetudines decretis tridentinis contrarias, et tantum rarissimo in casu permittere, ut aliquod ejusmodi decretum possit contraria consuetudine aliquantulum temperari ac emolliri. Exempla attulimus supra.

2° Minime favendum est hujusmodi consuetudinibus.

3° Quæ jam fuerunt a S. Congregatione rejectæ consuetudines, illæ admitti amplius non possunt; carent enim consensu S. Pontificis.

Articulus V.

DE CONSTITUTIONIBUS RR. PONTIFICUM.

SS. Pontifices suam jurisdictionem explicant, et jura, officia cæterasque res sacras, sive Ecclesiæ universalis, sive ecclesiarum particularium, sive etiam privatorum fidelium, moderantur per vivæ vocis oracula, et potissimum per constitutiones, quæ cum canonibus Conciliorum generalium sunt præcipui rivuli, per quos legislatio ecclesiastica ad nos defluit.

Vivæ vocis oracula sunt declarationes, decisiones seu concessiones a S. Pontifice oretenus factæ. Alia authentica sunt, alia vero non. Authentica habentur, quæ scripto rediguntur, et ab officialibus consignantur. Hæc probandi vim habent etiam in foro externo; cætera vero in foro interno tantum.

Sub nomine *Constitutionis*, si late sumatur, intelligitur quodlibet scriptum a R. Pontifice emanatum circa res ecclesiasticas. Eo nempe veniunt definitiones, decreta, epistolæ decretales, encyclicæ, rescripta, et generatim ordinationes ac regulæ omnes, quæ a RR. Pontificibus, tanquam totius Ecclesiæ rectoribus, conduntur.

Hoc itaque lato sensu constitutionum pontificiarum duplex est genus : aliæ *dogmaticæ* sunt, aliæ *disciplinares*. Dogmaticæ, seu definitiones, quæ ad fidem aut mores, disciplinares, quæ ad ritus sacrorum externamque Ecclesiæ politiam spectant.

Constitutiones eduntur vel pro tota communitate, id est pro tota Ecclesia, aut saltem pro notabili Ecclesiæ parte; vel pro aliqua privata persona, aliquo particulari negotio. Si prius, constitutiones nuncupantur *Decreta*, seu *constitutiones* proprie dictæ, dum emittuntur R. Pontificis *motu proprio*, seu ad nullius consultationem. *Decretales* dicuntur, dum ad consultationem vel postulationem alicujus emissæ sunt. Vocantur etiam *Responsa* per oppositionem ad motus proprios. Generaliori tamen sensu Decretales olim vocabantur, et adhuc hodie vocantur quæcumque RR. Pontificum leges et statuta. *Encyclicæ* sunt, dum ad universos orbis vel saltem alicujus regionis Episcopos diriguntur. Hac litterarum specie utuntur Pontifices, quando de aliquo puncto doctrinæ, vel de aliquo tollendo abusu, vel de aliqua disciplina ab ecclesiis uniformiter servanda decernunt. Celeberrima est Encyclica S. D. Pii PP. IX, dici 8 Decembris 1864.

Si posterius, litteræ apostolicæ dicuntur *Rescripta*, vel etiam *Diplomata*, quia membranæ, quibus inscribuntur, in duas plicas contrahi solent. De rescriptis illico tractabimus speciali art.

Ad formam quod spectat omnes litteræ apostolicæ eduntur sub forma *Bullæ* aut sub forma *Brevis*.

Bullæ sunt RR. Pontificum constitutiones munitæ sigillo plumbeo vel aureo, filis sericis vel canabeis membranæ appenso, quod exhibet hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis regnantis. Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt, et expediuntur per Cancellariam apostolicam, per Cameram, per viam secretam, vel per viam Curiæ, in membranis subfuscis et crassioribus, charactere longobardico aut teutonico.

Brevia sigillum habent ceræ rubræ, vel atramenti rubri, in quo impressa est imago D. Petri piscationem agentis; ideo dicuntur dari *sub annulo Piscatoris*. Negotia tractant non ita gravia; latino eleganti charactere, breviori sermone, servataque orthographia ordinaria conscribuntur, et per Secretariam Brevium expediuntur in membranis albis atque subtilibus.

Quænam sit S. Pontificis auctoritas in fidei morumque causis definiendis, traditur in *præl. theol. dogm. de R. Pont.* n. 289 ss.

Quænam autem sit ejus potestas circa leges disciplinares, ex professo docetur infra in *præl.* P. I. Sect. II. C. I. art. II. § 1.

Interim nota constitutiones pontificias generales esse venerabiliter suscipiendas, summoque in pretio habendas tanquam divina Petri voce firmatas. Rescripta vero particularia, seu mandata, nisi sint comprehensa in Corpore Juris, aut legem dubiam interpretentur, non esse reponenda inter decreta jus commune facientia merito

colligitur ex Benedicto XIV, *de Syn.* L. IX. cap. VIII. 2.

Ad hunc fontem reducuntur : *a/ Regulæ Cancellariæ,* in quantum ad jus commune seu universale pertinent, cum hujusmodi regulæ, ut in *prælectionibus* exponitur, non sint nisi quædam RR. Pontificum decreta, de nonnullis disciplinæ generalis materiis statuentia.

b/ Decreta et decisiones SS. Card. Congregationum, quæ pollent auctoritate pontificia ipsis delegata, ut in *prælectionibus* probabitur.

Articulus VI.

DE RESCRIPTIS.

Leges ad bonum commune feruntur; rescripta vero ex invecto more in favorem dumtaxat privatorum. Leges propterea debita promulgatione denunciantur; in rescriptis autem instar promulgationis est actus, quo judici præsentantur et executioni mandantur.

I. Rescriptum est responsum Pontificis scriptum in casu particulari ad alicujus consultationem, relationem aut supplicationem, quo vel jus novum introducitur, vel vetus explicatur aut abrogatur : unde a quibusdam dividitur in rescriptum *præter legem, secundum legem, et contra legem.* Rescriptum præter legem est, quod datur in materia, quæ sub lege non cadit, ut olim erat mandatum *de providendo* alicui concessum ad beneficium obtinendum; secundum legem, quod legis executionem promovet, ut sunt delegationes causarum; et contra legem, quod in casu particulari legi derogat, ut sunt dispensationes ab impedimentis matrimonii.

II. Rescriptorum celebrior est divisio, qua alia *gratiæ,* et alia *justitiæ* dicuntur esse. Rescripta gratiæ respiciunt favores a Pontifice concessos tum relate ad beneficia, tum etiam relate ad honores et exemptiones. Rescripta vero

justitiæ respiciunt lites inter subditos dirimendas, et judicis constitutionem, restitutionem in integrum, aliaque similia comprehendunt. Sunt quoque rescripta *mixta,* quæ simul participant de gratia et justitia. Talia ex. gr. sunt rescripta, quæ obtinentur a religiosis ad eorum professionem rescindendam; nam in eorum principio continent gratiam; sed deinde causa formalis aggredienda est, et definitiva sententia ferenda, quod pertinet ad justitiam.

III. Rescripta ecclesiastica a solo Pontifice, qui in terris superiorem non habet, possunt concedi, quod ex verbis jam traditæ definitionis sua sponte fluit. Quando rescriptum absolute nominatur intelligitur Pontificium; sed hoc non officit, quominus Episcopi, et Principes in suæ jurisdictionis causis queant rescripta concedere.

Possunt vicissim obtineri a quocumque, qui non sit in jure expresse prohibitus, quia in hac re illud observatur Doctorum effatum : *Concessum intelligitur, quod non reperitur expresse prohibitum.* Qui obtinet rescriptum debet esse subditus rescribentis, illique subjectus in materia rescripti; unde sicut rescriptum obtentum a Principe sæculari non prodest ad beneficium ecclesiasticum consequendum, sic nec rescriptum Pontificis ad hæreditatem obtinendam extra territorium romanum. Idcirco legitimatio data a Principe sæculari non prodest ad officia et beneficia ecclesiastica assequenda. Quare ubi agitur de effectibus spiritualibus et temporalibus, vel ecclesiasticis et civilibus, utriusque supremi Principis rescriptum necessarium est, nec omnino *in conflictu legum utriusque potestatis jus civile prævalet*, ut sonat propositio damnata Syllabi 42.

Prohibentur autem hæretici, qui indigni sane sunt Ecclesiæ auxilio et defensione, cum in ipsam arma vertunt; prohibentur similiter excommunicati excommuni-

catione majore, tam in casu, quo excommunicatio sit publica, quam in casu, quo sit occulta; quia de facto jam sunt ab Ecclesiæ corpore avulsi. Quare ne propter excommunicationem rescriptum vitietur, ex stylo Curiæ (*a*) oratores ab excommunicatione prius absolvuntur ad effectum dumtaxat gratiam consequendi, ut moris est præsertim in rescriptis dispensationis circa matrimonii impedimenta. Rescriptum enim ab hæretico, vel excommunicato obtentum absque dicta absolutione est ipso jure nullum, nec quidquam vel in ipso conscientiæ foro prodesse potest. Exceptio tamen fit in illis rescriptis, quæ ab excommunicatis obtinentur in causa eorum excommunicationis, ut si per viam appellationis, vel simplicis querelæ ad Pontificem recurrant ad sententiam in ipsos prolatam reparandam.

IV. Rescriptum gratiæ potest quis obtinere pro se, aut pro alio, tam nomine proprio, quam nomine procuratorio, etiamsi mandatum desit; rescriptum autem justitiæ stricto jure pro alio sine mandato obtineri non potest, nisi de conjunctis personis agatur, in quibus viget mandatum præsumptum; quod sancitum fuit, ne iniqui mercenarii lites suscitent sopitas, aut quæstiones novas excitent, obtinendo a S. Sede justitiæ rescripta, quæ deinde aut actori, aut reo exponant venalia. At hodie juxta stylum et consuetudinem Romanæ Curiæ extranei, et pro aliis etiam absque mandato justitiæ rescripta obtinent.

V. In rescriptis, quæ causæ cognitionem, aut in foro externo jurisdictionem tribuunt, hoc ex jure attenditur, quod delegatus sit in dignitate, vel in personatu ecclesiastico constitutus; aliter Pontificis rescriptum vitiatur.

(*a*) *Stylum Curiæ* recte definieris, quod sit norma in judicio procedendi, aut rescripta petendi et concedendi, usu recepta vel R. Pontificis decreto statuta.

At si sermo sit de judicibus synodalibus rite in Synodo diœcesana, aut provinciali constitutis, huic dispositioni videtur per Tridentinum fuisse derogatum : nam in his judicibus requirit quidem qualitates in capite *statutum* determinatas; sed eodem tempore declarat posse personas *alioquin ad id aptas designari.*

VI. Rescripta ita interpretantur, ut si verba rescripti clara et aperta sint, quamquam incommoda, et gravia esse videantur, adamussim sint servanda, quia Doctorum adagium est, a forma verborum sine certa scientia non esse recedendum; si vero in verbis quid deest, tunc ex sensu est supplendum, cum ex juris principio non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire.

Deinde rescripta justitiæ stricte sunt interpretanda, et quantum fieri potest ad formam juris communis, a quo descendunt, quia gravamen parti collitiganti afferunt, et idcirco sunt odiosa. Quare ad personas in supplici libello non expressas, ad lites post rescriptum subortas, vel ad alias lites etiam prius existentes, et non indicatas, non extenduntur.

Quod vero spectat ad rescripta gratiæ, distinguendum est inter gratiam in genere, et gratiam in specie ad aliquod obtinendum beneficium ; nam prima, si sit præter jus, non contra, et si nullius præjudicium involvat, plenissime, sive largissime, ut sacri canones loquuntur, contra concedentem est interpretanda, qui nihil excipiendo, omne concessisse præsumitur; secunda vero stricte est interpretanda, eo quod rescriptum ad beneficium consequendum ambitionis ad minimum speciem videtur continere; et ideo si concessum sit ad beneficium, non prodest ad pensionem pro beneficio obtinendam.

VII. Rescripta modo præ se ferunt gratiam ab ipso Pontifice factam, et dicuntur *in forma gratiosa,* modo per executorem, cui diriguntur, faciendam, et dicuntur

in forma commissoria. Primo casu rescripta vim consequuntur a die datæ; altero vero a die, quo executio obtinetur. Reiffenstuel *de rescript.* n. 69.

Executor autem vel est merus, vel mixtus; in priori casu procedit de plano absque ulla formalitate, et absque causæ cognitione; in secundo vero aliqualis causæ cognitio est præmittenda, ut rite procedat, quod tunc est observandum, cum in rescripto aliqua reperitur clausula, quæ hoc suadeat, ut si habeatur : *veris existentibus narratis,* aut *auditis interesse habentibus,* aut alia similis. Equidem his in casibus non potest ad actum rescripti devenire, nisi agnita narratorum veritate, aut auditis illis, qui habent in causa interesse.

Rescriptum executori in forma authentica est exhibendum, aliter eidem non habetur fides; integrum, non mutilatum, non abrasum in parte substantiali, et perfectum, ita ut erroribus careat; nam solus error in nomine diœcesis reddit rescriptum Pontificis nullum, et error manifestus latinitatis reddit de falsitate suspectum. Præsentatio in rescriptis justitiæ fieri debet intra annum, si hoc tempore copia judicis habeatur; aliter post annum regulariter valet secundum rescriptum ab alia parte obtentum de primo nullam faciens mentionem. Rescripta vero gratiæ sunt perpetua, et quocumque tempore possunt præsentari; nam in his, si de gratia facta agatur, inspicitur tempus datæ, in illis autem tempus præsentationis, a quo incipiunt effectum habere. Cf. Theol. Mechl. *de matr.* n. 99.

Communis quidem est regula, qua statuitur, secundum rescriptum in eadem causa, et inter easdem personas non derogare primo, cujus nullam facit mentionem, licet in legibus generalibus aliter obtineat. Ratio est, quia secundum rescriptum censetur surreptitium ob præsumptam in obtinendo concedentis circumventionem; unde

hic valet reg. 54 juris *in 6 : Qui prior est tempore, potior est jure.* Sed exceptio fieri debet, si primum foret generale, et secundum speciale; quo casu per secundum derogatur primo, quia, ut scribit Papinianus, *in toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.*

VIII. Rescripti executio juxta ejusdem formam substantialem est perficienda; alias ob defectum jurisdictionis acta forent attentata, nullamque obtinerent firmitatem. Hinc ordo verborum, seu scripturæ observandus, ita ut prius expediatur, quod primum fuit concessum. Similiter modus procedendi præscriptus, quamquam a jure communi differat, retinendus, et clausulæ adamussim adimplendæ, quæ fuerunt appositæ.

Inter clausulas apponi solitas præcipuæ sunt sequentes :

1° *Motu proprio.* Quamvis, uti diximus, magis stricte illæ litteræ motus proprii appellentur, quæ sine ullius precibus ultronea Principis liberalitate conceduntur, tamen motus proprius etiam in rescriptis ad instantiam locum habere potest, et tunc Princeps illa clausula indicat, se non tam precibus supplicantis, quam propriæ benevolentiæ motu fuisse excitatum.

Hujus clausulæ effectus est *a/* quod tollat vitium subreptionis; *b/* quod reddat gratiam magis favorabilem, ac latioris interpretationis; *c/* quod habeat vim plurium aliarum clausularum favorabilium, in specie clausulæ *non obstantibus,* et clausulæ *ex certa scientia.*

2° *De plenitudine potestatis.* Duplex in summo Principe, qui superiorem non reveretur, potestas est : una ordinaria, in cujus usu communes juris regulas solitumque morem non excedit; altera extraordinaria et absoluta, qua præter consuetum ordinem utitur, tanquam supra jus existens.

Hæc clausula vim et effectum habet *a/* quod sine alia expressa mentione juri deroget, vel dispenset, quamvis derogari aut dispensatio in illo concedi alioquin non soleat; *b/* quod tollat et suppleat quoslibet defectus solemnitatum juris, si modo non sint requisita ab intrinseco, ad negotii substantiam necessaria.

3° *Ex certa scientia.* Regulariter conditionata sunt rescripta per clausulam, *si ita est* aut *si preces veritate nitantur*. Præsens vero clausula testatur plenam Principis notitiam.

Differt ab antecedente, *a/* quia non potentiam Principis, sed scientiam ejus respicit; *b/* quia usurpari solet etiam quando non exercetur plenitudo potestatis.

Tum hæc, tum præcedens clausula, tum alia *Quorum tenores pro insertis habentes,* aut *ac si de verbo ad verbum essent inserta* derogat contrariis constitutionibus generalibus etiam habentibus clausulam derogatoriam ad rescripta, qualem habent Concilia generalia ex usu recepto Curiæ.

4° *Si preces veritate nitantur,* aut *si ita est.* Hæc clausula addi solet, et licet non addatur subintelligitur. Si res ita se non habet ut dicitur in supplicatione, rescriptum gratiæ est ipso jure nullum, rescriptum vero justitiæ juxta alios nihilominus validum est, et non fit irritum nisi ope exceptionis, juxta alios ipso jure nullum est. Cf. Theol. Mechl. *de matr.* n. 100.

5° *Salvo jure alterius.* Semper subintelligitur hæc clausula, et ea non verificata ac gravi existente detrimento alterius, ipso jure nullum est rescriptum, nisi Pontifex juri alterius expresse deroget.

6° *Non obstantibus.* Hæc clausula usurpatur vel locutione generali, *non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque;* vel speciali, *non obstantibus privilegiis, pactis, statutis hujus*

aut illius ecclesiæ; non obstante loci consuetudine, aut præscriptione contraria.

Potestas et virtus hujusmodi clausularum est, quod ea, quæ effectum rescripti possent impedire, removeant, ac propterea *clausulæ derogatoriæ* audiunt. Principium autem est tantum derogari, quantum expressum intelligitur. Interim non parem vim derogandi habent clausulæ generales cum specialibus.

Si clausula est specialis, videndum quibus derogetur an specialibus, an vero generalibus, quo casu applicatur reg. 34 juris *in 6 : Generi per speciem derogatur.* Quod si privilegium tale sit ut mereatur peculiarem mentionem propter concessionem specialem, ad ei derogandum requiritur clausula specialissima, qualis est : non obstantibus privilegiis, *quorum tenores pro expressis habentes.*

Si clausula est generalis, non derogat specialibus privilegiis, pactis, statutis, consuetudinibus, quia horum notitiam Pontifex non censetur habere.

Nec derogat regulis Cancellariæ, quibus ex regula 71 nunquam derogatum censetur per quævis amplissima verba, nisi ipsarum mentio disertis verbis habeatur.

Sed sufficit clausula generalis ad derogandum canonibus et constitutionibus RR. Pontificum, necnon decretis Concilii Tridentini, quia Concilium ipsum voluit ut in omnibus salva foret auctoritas Sedis Apostolicæ. *Sess.* XXV. Id fatentur omnes.

Disputatur autem, et graviter, an decretis aliorum Conciliorum generalium per clausulas generales, seu non facta mentione derogetur? Utriusque opinionis momenta exponit Böckhn L. I. tit. 3 *de rescriptis,* et concludit utrique sententiæ aliquid tribui posse.

Ast receptus sensus et stylus Curiæ cogunt, ut amplectamur doctrinam Cardinalis Petra, T. IV. n. 23 ss. « Quam etenim explorati juris est, posse Papam dero-

gare Conciliis generalibus, tam etiam certum est ipsum nolle eisdem Conciliis derogare, nisi id expresse dicat. »

7° *Ad beneplacitum Nostrum,* vel *Sedis Apostolicæ.* Gratia concessa ad beneplacitum Nostrum extinguitur per mortem concedentis, qui per mortem amittit arbitrium; gratia vero concessa ad beneplacitum S. Sedis durat post mortem concedentis, quia sedes nunquam moritur, sed semper in successoribus vivit. Cf. Böckhn l. c. per totum § III.

IX. Vitia rescripti non tantum sunt personarum, de quo n. III, vel formæ, de quo n. VII, sed etiam precum. Vitiatur nempe rescriptum si vel reticetur veritas de jure exprimenda, et dicitur *subreptitium,* vel quid falsi narratur, quo casu *obreptitium* appellatur.

Antiquam quæstionem, an obreptio, vel subreptio vitiet rescriptum, Innocentius III diremit instituendo distinctionem, an narrata falsitas, vel occultata veritas sit per malitiam et dolum, aut per ignorantiam et simplicitatem. Primo casu rescriptum vitiatur in toto, quia et jure Romanorum mendax precator carere debet impetratis, et ex jure canonico fraus et dolus alicui patrocinari non debet, quod doctores extendunt ad casum, quo rescriptum pluribus et separatis capitibus constet, ac obreptio, vel subreptio in uno tantum habeatur, quia *qui falsitatem exprimunt,* vel *supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequuntur.* Altero vero casu, quo falsitas narrata, vel veritas occultata fuit per ignorantiam et simplicitatem, subdistinguitur : vel falsitas narrata, et veritas occultata talis est, ut Pontifex, ea cognita, rescriptum non dedisset; aut talis, ut ea etiam cognita, rescriptum adhuc dedisset : si non dedisset, obreptione vel subreptione rescriptum vitiatur, utpote quod est contra concedentis voluntatem; si vero rescriptum dedisset, incolume ma-

net, quia voluntati congruit concedentis, a quo vim efficaciamque rescriptum sortitur. Quandonam autem in his circumstantiis sit Pontifex rescriptum daturus, vel non, a ratione, a praxi, ac præsertim a stylo Curiæ est petendum. Ac generaliter, si vitium sit in causa motiva et principali, rescriptum corruit; si in causa impulsiva et secundaria, rescriptum sustinetur.

Denique rescripta obreptitia, vel subreptitia, si gratiosa et beneficialia sint, ipso jure nulla habentur; si vero judicialia, non sunt nulla ipso jure, sed per exceptionem partis elidenda; quam exceptionem si pars non proponat, censetur in judicem datum consentire, et prorsus valent. Ratio est: primo, quia in rescriptis gratiæ negotium statim terminatur, et jus acquiritur impetranti, cum in rescriptis justitiæ negotium per judicem datum post causæ cognitionem sit terminandum; secundo, quia cum in rescriptis gratiæ nullus sit contradictor, contradicit jus ex se afferendo nullitatem; in rescriptis vero justitiæ contradictor semper adest, qui potest ope exceptionis jus suum tueri.

Si tamen rescriptum plura habeat capita, et obreptio vel subreptio ex ignorantia et simplicitate in uno tantum cadat, totum rescriptum corruit, ubi adsit vitium in capite principali, quia alia accessoria sine principali stare non possunt, juxta reg. 42 juris *in 6 : Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Si vero cadat in capite secundario, rescriptum pro parte non vitiata sustinetur, juxta reg. 37 juris *in 6 : Utile non debet per inutile vitiari,* modo hoc minus principale caput possit a principali separari, et hoc per se subsistere.

Præter modos jam enunciatos, quibus rescripta robore destituuntur, tres alii veluti principales a doctoribus numerantur, uti est mors concedentis, aut impetrantis, renunciatio, et revocatio.

1° *Morte concedentis* expirant rescripta justitiæ, si res sit adhuc integra, quia jurisdictio in concedente eo usque manet, donec rescriptum ab executore acceptetur, et executioni mandetur. Ideo si priusquam hæc fiant, concedens moriatur, moritur cum ipso jurisdictio et rescriptum. Si vero ante mortem concedentis rescriptum acceptetur, et saltem citatio fiat, cum res non sit amplius integra, rescriptum fit perpetuum, et jurisdictio communicata non revocatur.

Quoad rescripta gratiæ, quæ gratiam faciendam continent, eadem est regula observanda; aliter vero sentiendum est de rescriptis, quæ gratiam factam involvunt. Hæc quidem, etiam re integra, per mortem concedentis non expirant, sed sunt perpetua; etenim in hac specie habetur jus jam parti quæsitum; in illa autem tantum quærendum.

2° *Morte vero impetrantis* expirant rescripta ad beneficia, et privilegia personalia; sed non expirant rescripta justitiæ, et privilegia realia, quæ transeunt ad hæredes.

3° Tandem rescripta expirant *renunciatione* illius, in cujus favorem concessa fuerunt, et *revocatione* a concedente, vel ab ejus successore facta. Ratio primi asserti est, quia in legibus unicuique permissum est beneficio in sui tantum favorem introducto renunciare; et ratio secundi, quia quod prius expedire visum fuit, postea detectum est bono publico, vel privato obviare. Ferrari, *Summa inst. can.* L. I. tit. V.

Articulus VII.

DE CANONIBUS CONCILIORUM GENERALIUM.

Canones seu decreta Conciliorum generalium, auctoritate R. Pontificis confirmata, si fidem concernant, perinde ac quatuor Evangelia sunt amplectenda ac reti-

nenda; judicium enim Episcoporum, qui cum R. Pontifice consentiunt, judicium Ecclesiæ est, quæ in fidei morumque doctrina errare non potest. Si vero disciplinam spectent, vim legis universalis, omnes Christifideles obligantis, obtinent; nulli enim dubium esse potest, quin in Conciliis generalibus jus legum ferendarum resideat. De Conciliis sermo redibit infra.

Articulus VIII.

DE SCRIPTIS SS. PATRUM.

Hic non intelliguntur scripta SS. Patrum, quibus testantur de Traditione, vel quæ ab Ecclesia legum auctoritate donata sunt; sed illa in quibus ut scriptores privati de disciplina ecclesiastica aliquid edicunt.

Ut autem SS. Patrum scriptis in re canonica debita tribuatur auctoritas, servetur regula sequens : In negotiis et causis disciplinæ ecclesiasticæ, quæ neque Conciliorum, neque RR. Pontificum decretis statuta sunt, SS. Patrum sententiæ, licet per se solas canones non sint, locum auctoritatemque legum obtinent. Hanc regulam tradit S. Leo IV, *in cap. VI epist. ad Ep. Britanniæ minoris in Gallia*. Postquam RR. Pontificum decreta et Conciliorum canones enumeravit, per quos, ut scribit, judicant Episcopi et per quos Episcopi simul et clerici judicantur, ita subdit : « Si tale emersit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori vel ceterorum similiter sanctorum Doctorum reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda. »

Articulus IX.

DE JURE CIVILI.

Jurisprudentiæ sacræ candidatis, non utilis tantum, sed et necessaria est aliqualis juris civilis, præsertim, romani, notio. Plures enim ex eo leges Ecclesia desumpsit, quas sic canonizavit, et in nonnullis materiis, præsertim in judiciis, voluit ut, ubi ipsa nihil statuit, jus civile romanum sequeremur.

Notandum autem est, 1° nonnullas leges juris romani a SS. canonibus probatas fuisse, alias vero correctas, ceteras silentio prætermissas. Quas Ecclesia probavit et recepit, a nobis probandæ sunt et recipiendæ; improbandæ vero atque rejiciendæ, quas ipsa improbavit vel correxit; quas tandem leges silentio præterivit, si rem spectent mere profanam, per jus civile, si rem spiritualem aut ecclesiasticam, per scripta SS. Patrum interpretari debemus.

2° Ecclesiam nullas hucusque leges codicis gallicani suas fecisse; sed tamen fieri posse ut hæ leges obligent in foro ecclesiastico; id continget in casu, quo in requisitis legum modernarum adsunt requisita substantialia juris romani pro legibus ab Ecclesia probatis. Cf. Dens, *de legibus,* n. 20.

Nota. Qui præcedunt, fontes sunt juris canonici universalis; dantur quoque fontes juris canonici particularis aliquarum ecclesiarum. Inter quos collocanda sunt : 1° concordata; 2° statuta præsulum R. Pontifice inferiorum pro suis subditis, sive lata fuerint in synodo, sive extra eam; 3° statuta Concilii nationalis et provincialis; 4° tandem constitutiones speciales S. Sedis; de quibus omnibus tractabitur suis locis.

CAPUT III.

DE JURIS CANONICI COLLECTIONIBUS.

Multiplicatis Conciliorum canonibus et SS. Pontificum decretis, variæ variis temporibus prodierunt canonum collectiones; sed non eadem omnium ratio fuit. Aliæ canones integros, aliæ contractos, quædam solum canones, quædam canones simul et leges civiles habent, atque a Græcis *Nomocanones* appellantur.

Quod attinet ad methodum, in antiquioribus collectionibus servata est ut plurimum ratio temporum, in recentioribus vero ratio materiarum, sc. ad certa capita et titulos relati sunt canones, ut materia ipsa postulare videbatur.

Magnæ sane utilitatis semper fuere hujusmodi collectiones, propterea quod canones, multis in locis et voluminibus dispersos, in unum fasciculum colligunt, et apta quadam coordinatione legentis animum dirigunt. Ast sola canonum in unum corpus collectio nullam eisdem superaddit auctoritatem majorem ea quam antea habebant, nisi auctoritas competens majorem efficaciam collectioni tribuerit. Proin canones privata auctoritate collecti non aliam vim obtinent, præter eam quam acceperunt ex fontibus unde desumpti sunt.

Acturi de præcipuis canonum collectionibus, primum indicabimus collectiones juris *antiqui,* dein collectiones juris *novi,* et tandem collectiones juris *novissimi;* pro qua divisione sequimur, ut videbitur, modum juris canonici tempora supputandi secundo loco traditum supra p. VIII.

Articulus I.

DE COLLECTIONIBUS JURIS ANTIQUI.

§ 1. *De Canonibus Apostolorum et Constitutionibus apostolicis.*

Antiquissima, cujus mentio fit in ecclesiasticis monumentis, est collectio *Canonum Apostolorum,* qui apud Latinos quinquaginta, apud Græcos vero octoginta quinque numerantur. Prodierunt hi canones una cum *octo libris Constitutionum apostolicarum.*

Quamvis illæ collectiones *Apostolicæ* vel *Apostolorum* dicantur, certum tamen est eas Apostolis adscribi non posse. Neque audiendi videntur, qui S. Clementem Romanum earumdem auctorem prædicaverunt. Cf. Soglia, l. c. § 46-48.

Cum vero contineant disciplinam conflatam partim ex sanctissimis regulis, quas Apostoli ecclesiis tradiderunt, partim ex decretis synodorum et legibus, quibus per tria priora sæcula Orientales ecclesiæ regebantur, argumento id est eos III forte vel IV sæculo in lucem prodiisse, et quidem non uno auctore, quum nullum certum numerum, aut ordinem sequantur.

Neque Canones isti, neque Constitutiones apostolicæ ab omni nævo sunt immunes; quædam enim continent, quæ Ecclesiæ doctrinæ adversantur. Merito tamen reputantur primævæ disciplinæ ecclesiasticæ insigne monumentum.

§ 2. *De collectionibus Ecclesiæ Orientalis.*

Ecclesiam Orientalem medio sæculo V suam habuisse canonum collectionem, constat ex Concilii Chalcedonensis actione secunda. Hæc collectio complectebatur cano-

nes desumptos ex Conciliis Nicæno, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodiceno et Constantinopolitano, per ordinem digestos.

Huic primæ collectioni Canones Apostolorum, Ephesinos, Sardicenses, Chalcedonenses, et regulas 68 ex epistolis S. Basilii desumptas adjecit Joannes Scholasticus, Ep. Cp. an. 577, qui canones distribuit ordine methodico. Aliam postea ejusdem operis editionem dedit, in qua leges civiles, quæ ad easdem materias referuntur, addebantur canonibus : unde origo *Nomocanonum,* id est collectionum, in quibus canones ecclesiastici cum legibus imperialibus conjunguntur. Hæc collectio non omni vitio vacat.

Sæculo IX Photius novam collectionem concinnavit, in qua, propter canones legitimos a sanctis synodis editos, congessit regulas in duobus conciliabulis ipso duce constitutas; quod opus præsulis schismatici merito suspectum reddidit catholicis.

§ 3. *De collectionibus Ecclesiæ Occidentalis.*

Præter collectionem, quæ *Prisca* dicitur, et in qua continentur canones Nicæni, Sardicenses et Chalcedonenses, necnon canones Conciliorum Africanorum, qui usu in disciplina totius fere Ecclesiæ Occidentalis prævaluerunt, decem potissimum collectiones canonum Ecclesiæ Occidentalis numerantur.

Primam initio sæculi VI aggressus est Dionysius, cognomento *Exiguus,* abbas Romanus, doctrina et pietate celebris, eamque in duas partes divisit. Altera, quæ *Codex canonum ecclesiasticorum* audit, complectitur tum 50 Canones Apostolorum, Nicænos, et reliquos, qui in pristina græca collectione continebantur, tum Chalcedonenses et Africanos, diversis sub sectionibus et titu-

lis. Altera vero, quæ *Collectio decretorum Pontificum Romanorum* appellatur, decretales continet a S. Siricio (385-398) usque ad S. Anastasium II (496-498). Hæc collectio percelebris privata auctoritate confecta est, sed tamen ab Ecclesia Romana recepta probataque fuit. Dicitur communiter *Vetus canonum codex.*

Secundam eodem sæculo concinnavit Fulgentius Ferrandus, ecclesiæ Carthaginensis diaconus, qui collectionem suam *Breviationem canonum* inscripsit.

Tertiam versus annum 571 partim ex synodis græcis, partim ex latinis elaboravit Martinus, Archiepiscopus Braccarensis, in Hispania.

Quartam sæculo VII exeunte confecit Cresconius, Episcopus Africanus, cujus duo circumferuntur opera : alterum quod *Breviarium canonum,* alterum quod *Concordia* seu *Liber canonum* appellatur.

Quintam elaboravit S. Isidorus Hispalensis, qui collectioni Dionysianæ plura adjecit e SS. Patribus et Conciliis, quæ in Hispania aliisque regionibus habita fuerant.

Sexta est collectio, quæ Isidori *Mercatoris* vel *Peccatoris* vulgo dicitur, et ineunte sæculo IX prodiit. Quis fuerit iste Isidorus nondum certo constat. Contendit P. de Régnon, *La quest. des fausses Décrét. en 1866,* capitula Angilramni, Ep. Metensis, falsa capitularia et Pseudo-Isidorianas Decretales eumdem habere auctorem, Benedictum nempe diaconum. Cf. *Etudes hist.* etc. T. XI. p. 382 ss.

« Hæc autem collectio, ait Soglia § 51, post præfationem exhibet ordinem celebrandi Concilii, dein 50 priores Canones Apostolorum; tum epistolas priorum Pontificum a S. Clemente usque ad S. Silvestrum; mox decreta Nicæni et aliorum Conciliorum, sive græcorum, sive latinorum, in certas classes distributa; postremo reliquas SS. Pontificum decretales usque ad S. Gregorium M. »

Collectio Isidoriana reliquas celebritate vicit, et tantam apud omnes consecuta est auctoritatem, ut per annos fere septingentos theologi omnes, canonistæ et Concilia ipsa decretales aliaque documenta hujus collectionis citaverint, iisque usi sint, quin ullus eorum ea supposita aut ementita suspicaretur. Omnium primus authenticitatem hujus collectionis impugnavit in *Concordantia catholica,* L. III. cap. 2, Cardinalis Cusanus, qui vixit medio fere sæculo XV.

Apud omnes eruditos nunc convenit Isidorum collectionem suam corrupisse multis epistolis suppositiis, quas ipse fabricatus est, aliis apocryphis et textibus interpolatis.

Attamen fatentur viri docti, 1° in collectione Isidoriana nihil prorsus contra fidem bonosque mores contineri; 2° tantum abesse ut jussu RR. Pontificum fuerit confecta, ut ipsis quidem insciis falsæ decretales aliaque monumenta fuerint inserta; 3° nulla jura vel privilegia R. Pontificis illa collectione tanquam fundamento inniti, quod summa injuria recentiores hæretici calumniati sunt; sed ea omnia inniti divina ordinatione; 4° eam non tantam induxisse mutationem perturbationemque in disciplinam, quantam plures queruntur scriptores.

Ex auctoris præfatione et ex universo collectionis argumento manifestum est, scopum collectoris fuisse duplicem : alterum, ut Episcoporum causas auctoritati Metropolitarum et Conciliorum provincialium subtraheret, easque R. Pontifici reservaret, sicque consuleret indemnitati Episcoporum; alterum, ut stabiliret Primates, quos Patriarchis exequat. Cf. Bouix, l. c. P. III. cap. 10; Wouters, *Hist. eccl. comp.* T. II. p. 44; Icard, *Præl. jur. can.* prol. n. 25; Tarquini, *Jur. eccl. publ. instit.* L. II. n. 16.

Septimam collectionem sub nomine *Decretorum* edidit

an. 1020 Brocardus seu Burchardus, e monacho Benedictino Episcopus Wormatiensis.

Octavam confecit Cardinalis Deusdedit eodem sæculo XI sub Victore II.

Nonam edidit sub pontificatu S. Gregorii VII Anselmus Mantuanus, Episcopus Lucensis.

Decima, quæ vocatur *Decretum et Panormia* seu *Panomia,* auctorem habet Ivonem, Episcopum Carnotensem, temporibus Urbani II usque ad an. 1114.

Articulus II.

DE COLLECTIONIBUS JURIS NOVI SEU DE CORPORE JURIS CANONICI.

Jus novum continetur in *Corpore Juris canonici,* quod dici potest complexio legum ecclesiasticarum in sex codicibus; quorum 1ˢ est Decretum Gratiani; 2ˢ Decretales Gregorii IX; 3ˢ Liber Sextus Decretalium Bonifacii VIII; 4ˢ Clementinæ; 5ˢ Extravagantes Joannis XXII; et 6ˢ Extravagantes communes.

Integrum Juris canonici Corpus diligentissime emendatum Romæ edendum curavit Gregorius XIII, Bulla *Cum pro munere pastorali,* anno 1580. In duo volumina dividitur, quorum alterum continet collectionem Gratianæam, alterum cæteras collectiones. Per modum autem appendicis in quibusdam editionibus adduntur tum Septimus liber decretalium Petri Matthæi, tum Institutiones Pauli Lancellotti. De his omnibus pauca dicemus, atque verbulum addemus de rubricis, superscriptionibus, summariis, glossis et notis, quæ in Corpore Juris habentur.

§ 1. *De Decreto Gratiani.*

Gratianus, monachus Benedictinus, qui Bononiæ in Italia florebat, circa annum 1151 celeberrimam collectio-

nem evulgavit, in qua, certis propositis quæstionibus, canones aliaque monumenta, quæ inter se dissidere videbantur, in concordiam studuit revocare. Hinc ejus collectio *Concordia discordantium canonum* vocata est, licet vulgo *Decretum* dici soleat.

Totum opus dividitur in tres partes.

Prima pars agit de personis ecclesiasticis, habetque 101 *distinctiones* divisas in canones seu capita. Canones hujus partis allegantur tribus modis : vel expresso numero canonis, vel expresso primo canonis vocabulo, vel utroque : v. g. can. 5, vel can. *Miramur,* vel etiam can. *Miramur* 5, dist. 61.

Secunda pars continet 36 *causas,* in quibus agitur de materia et forma judiciorum. Causæ dividuntur in quæstiones et hæ in canones seu capita. In hac parte allegantur vel priora canonis verba, vel ejus numerus, et præterea causa et quæstio, uti *can. Illud* seu 1, *caus.* 8, q. 2, ubi notandum quod cifra, litteram q immediate præcedens, semper causam significet. In hac secunda parte causæ 33 quæstionis 3 insertus est tractatus *de pœnitentia,* in septem distinctiones divisus; quare in hujus citatione semper additur *de pœnit.*

Tertia pars, quæ inscribitur *de consecratione,* agit de rebus sacris, et constat 5 distinctionibus in canones subdivisis. Citantur canones quemadmodum canones partis primæ, a quibus ut discernantur, addi solet *de consecratione,* v. g. *can.* 1, *dist.* 1, *de consecr.*

Hæc partitio Decreti in tres partes præcipuas, sc. de personis, de judiciis, et de rebus ecclesiasticis, in se bona est, et promovendo canonum studio aptissima; sed non semper fuit optima methodo executioni mandata. Opus Gratiani sæpius caret ordine, et, quod magis est, multis erroribus scatet. Idcirco plures viri docti ad decretum emendandum animum adjecerunt.

De auctoritate Decreti quidquid dicant Bouix, *op. cit.* p. 388, et alii canonistæ, variis innixi argumentis, communiter tenetur doctrina Benedicti XIV, *de Syn.* L. VII. cap. XV, 6 : « Gratiani Decretum, quamtumvis pluries RR. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet; quinimo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret. »

Aliqua tamen, sed pauca, Decreti documenta vim majorem ea, quam per se habebant, ex usu scholarum et praxi obtinuerunt.

Quoad canones notatos *Palea,* animadvertimus hoc vocabulum videri illis inscriptum, vel a nomine auctoris qui eos Decreto inseruit, vel ex eo quod in his levia ac nullius momenti, ut palcæ, contineantur, vel ex eo potius quod sint additiones factæ canonibus Decreti, non a Gratiano, sed ab alio, cum inscriptione *post alia,* vel *P. alia,* ex quo librariorum errore exortum est vocabulum *Palea.* Cf. Bouix, l. c. p. 386.

§ 2. *De Decretalibus Gregorii IX.*

Gregorius IX Pontifex renuntiatus an. 1227, ex quinque Decretalium collectionibus, quæ a Decreto Gratiani prodierunt, aliisque novis constitutionibus, confici jussit collectionem suam, quam vulgari nomine *Decretales Gregorii IX* vocamus. Usus est hac in re opera S. Raymundi de Pennafort, Præpositi ordinis S. Dominici, viri pietate et multiplici eruditione præstantissimi.

Totum opus complectitur quinque libros, quorum 1^s^ agit de judicibus, seu prælatis Ecclesiæ, 2^s^ de judiciis; 3^s^ de rebus sacris; 4^s^ de sponsalibus et matrimonio; 5^s^ de criminibus et pœnis; quæ omnia hoc versu indicantur : *Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.*

Singuli libri dividuntur in titulos, tituli in capita. Hodie citantur ponendo primum verbum vel numerum capitis, addita materia tituli ad quem caput illud pertinet : v. g. C. *Judæi* vel 2 *de testib.*

Omnia ac singula, quæ hac collectione continentur, sunt authentica et vim legis universalis habent; siquidem illam cum omnibus suis partibus se approbasse testetur Gregorius IX in suo Brevi operi præmisso.

§ 3. *De Sexto Decretalium Bonifacii VIII.*

Sextus Decretalium, sic dictus quia accessit libris quinque Decretalium Gregorii IX, continet tum canones utriusque Concilii œcumenici Lugdunensis, tum Decretales datas a Gregorio IX aliisque Pontificibus, et ab ipso Bonifacio VIII, qui hunc librum edi jussit circa annum 1298.

Dividitur hoc opus sicut Decretales Gregorii IX, eodemque modo citatur, nisi quod addatur post titulum : *in Sexto,* vel *in* 6 : v. g. C. Licet pater, *de sepult. in Sexto,* vel *in* 6.

Auctoritas hujus collectionis eadem est ac Gregorianæ, eo vel magis quod nihil contineat nisi decreta RR. Pontificum et Conciliorum generalium.

§ 4. *De Clementinis.*

Clementinæ sunt constitutiones, a Clemente V vel ante — vel in — vel post Concilium Viennense latæ, quas idem Pontifex compilari jussit, sed morte præventus non vulgavit. Eas in lucem protulit Joannes XXII, Avenione residens anno 1317.

In hac etiam collectione ordo Decretalium Gregorii IX servatus est, ejusque canones eodem modo citantur cum

additamento *Clementinarum*: nimirum C. Ne Romani, *de elect. ex Clement.* vel *Clement.* Ne Romani *de elect.*

De hujus collectionis auctoritate idem dicendum, quod de Sexto decretalium statim est prolatum.

§ 5. *De Extravagantibus.*

Post Clementinas prodierunt *Extravagantes,* quæ hoc nomine appellatæ sunt, quia extra Corpus Juris incerta quasi sede vagabantur. Duplex earum genus est : aliæ vocantur extravagantes *Joannis XXII,* suntque viginti constitutiones editæ a Joanne XXII; aliæ extravagantes *Communes* dicuntur, quia non unius Pontificis, sed complurium continent constitutiones, viginti quinque scilicet Pontificum, ab Urbano IV ad Sixtum IV.

Extravagantes Joannis XXII unico libro, in 14 titulos distributo, absolvuntur, et sic allegantur : *Extrav.* Cum inter nonnullos *Joann. XXII,* vel absque nomine. Extravagantes vero communes quinque libros habent, et ita citantur : *Extrav.* Rem non novam, *de dol. et contum. inter comm.*

Utraque collectio incerti auctoris est, et etiamnum ignoratur qua auctoritate in Corpus Juris fuerit relata. Verumtamen Extravagantes, præterquam quod communi usu receptæ fuerint, ex propria origine, videlicet a SS. Pontificibus, a quibus singulæ prodierunt, vim legalem sortitæ sunt.

§ 6. *De rubricis, superscriptionibus, summariis, glossis et notis.*

I. *Rubricæ* sunt inscriptiones, materiam titulorum indicantes, sic datæ quia olim litteris rubris exprimebantur.

Bifariam dividuntur, sc. in *præceptivas* et *non præ-*

ceptivas. Præceptivæ dicuntur, quæ sensum perfectum habent; v. g. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*. Cf. etiam tit. 50, L. III, et tit. 28, L. V. Hujusmodi rubricæ juxta plures allegari possunt *dispositive :* hoc est, vim legis habent, utpote quæ a legislatore profectæ, vel confirmatæ sunt; unde valet argumentum *a rubro ad nigrum*, id est, ex præfixa rubrica ad textum canonis non satis perspicuum desumitur utile argumentum et interpretatio ad decisionem causarum. Hinc etiam effatum commune apud auctores liturgicos : *Lege rubrum si vis intelligere nigrum*. Minor tamen auctoritas rubricarum est, quæ in Decreto Gratiani præmittuntur textibus; quia nec Pontificem, nec ipsum etiam Gratianum, sed alium quemdam habent auctorem.

Rubricæ non præceptivæ vocantur, quæ perfectum sensum non habent, sive quæ nihil præcipiunt aut vetant, et non continent nisi meram indicationem rerum quæ in titulis comprehenduntur; v. g. *De testamentis*. Istæ tamquam leges haberi nequeunt, quia nihil certi præfiniunt; attamen allegari possunt *declarative,* quatenus declarando canoni omnino inserviunt, si verba ejusdem canonis ambigua sint.

II. *Superscriptiones* sunt illa verba, quæ indicant ex quo auctore textus capitalis desumptus sit, vel ad quem directus; in libris authenticis sunt authenticæ, et ex illis validum est argumentari.

III. *Summaria,* sic dicta a *summa,* sunt breves illæ periodi, quibus canones, sub titulis seu rubricis inclusi, velut in compendio exponuntur, eorumque sententiæ sub uno veluti aspectu ponuntur. Hæc summaria, licet maximo in pretio sint habenda, et canonibus interpretandis valde prosint, vi tamen legis carent, quod a privatis auctoribus adjecta fuerint.

IV. *Glossa* est uberior sententiæ aut canonum expla-

natio, in margine apposita. Magna quidem est glossæ auctoritas in juris interpretatione, præferenda regulariter alterius doctoris sententiæ; non tamen vim legis habet, cum sit opus privatorum. Quia vero in glossis Corporis Juris multa erant vel erronee aut liberius prolata, vel etiam impia manu adjecta, Gregorius XIII in editione sua emendata glossis substituit peritorum, præcipue correctorum romanorum *additiones*.

V. *Nota* est brevior adnotatio capitulis adjecta ad indicandum vel lectiones variantes, vel loca parallela, vel alia quibus canones possunt illustrari. Nota illam duntaxat habet auctoritatem quam ipse præbet annotator.

Articulus III.

DE COLLECTIONIBUS JURIS NOVISSIMI.

Editis collectionibus, quas hactenus recensuimus, novæ prodierunt et quotidie in lucem prodeunt SS. Pontificum constitutiones; habitum fuit concilium Tridentinum; denique plures a sacris Congregationibus Cardinalium, præsertim Concilii Tridentini interpretum, declarationes emissæ sunt. Ex his omnibus nostro loquendi modo conficitur jus novissimum.

§ 1. *De Bullario.*

Canones Conciliorum et Decretalium, quæ post Sixtum IV in lucem prodierant, primus omnium Gregorius XIII colligere meditatus est. Cum autem ipse re infecta decessisset, neque eam Sixtus V absolvisset, sub Clemente VII tantum Liber VII Decretalium typis mandatus est. Sed obortis difficultatibus, illico suppressus fuit, ait Fagnanus, L. II. Decr. *de Judiciis* n. 61, ne in eum, sicut in reliquos libros, commentarii ederentur; quod erat præveniendum, quia multa continebat decreta Concilii Tridentini, in quod edere commentarios non licet.

Iisdem fere temporibus Petrus Matthæus, jurisconsultus Lugdunensis, edidit *Librum VII Decretalium*, a se privato studio exaratum; sed hoc opus publica auctoritate caret, multa in eo sunt vitia, et plura etiam desiderantur.

Publica quoque auctoritate destituuntur *Institutiones juris canonici,* a Paulo Lancellotto jurisconsulto conscriptæ.

Nulla itaque post Corpus Juris clausum prodiit authentica collectio constitutionum pontificiarum. Privatis tamen curis editæ fuerunt, et adhuc hodie eduntur in *Magno Bullario Romano*. Hæc collectio, qua talis, auctoritatem, seu vim legalem, non habet; sed unaquæque constitutio vim suam nativam retinet.

Bullario Magno, in quo editorum negligentia maxima notatur, auctoritate prævalet *Bullarium Benedicti XIV,* in quo iste Pontifex constitutiones suas ipse edidit. Authenticitatis fide se commendat hoc Benedicti Bullarium; sed ultra quam par est progreditur Bouix, op. cit. P. III. cap. XVI, dum scribit collectionem hanc non minoris auctoritatis censendam esse, quam Libros V Decretalium. Hinc enim sequeretur, quod falsum est, vim obligandi universalem habere ea quoque documenta, quæ vim illam per se non habent, v. g. plura brevia et epistolæ pro aliqua provincia vel diœcesi, vel etiam privatim conscriptæ.

Plures etiam Bullæ collectæ reperiuntur in *Bullario S. Congr. de propaganda fide.*

§ 2. *De Concilio Tridentino.*

Etsi Concilium Tridentinum inter collectiones locum non habeat, ad leges tamen ecclesiasticas, quæ veniunt nomine juris novissimi, referri debet quidquid in eo sta-

tutum est. Nullum autem Concilium generale est, in quo tot quæstiones, tamque scite fuerint examinatæ et enucleatæ; in quo tot lata sint fidei dogmata, totque disciplinæ et reformationis decreta fuerint statuta; ut merito veluti quoddam doctrinæ Christi compendium, et disciplinæ ecclesiasticæ codex irrefragabilis ab omnibus habeatur. Maxime igitur optandum, ut clerici istud frequenter studioseque perlegant.

Concilium Tridentinum constat sessionibus 25, et unaquæque ferme sessio duas habet partes, quarum prior doctrinam et *canones* complectitur, quibus damnantur hæreses et catholica dogmata contra Protestantes firmantur; altera continet decreta, quæ disciplinam respiciunt et morum regulas, ac propterea inscribitur *de reformatione;* quod in citandis Concilii textibus diligenter præ oculis est habendum. Attendendum pariter est in studio capitum disciplinarium, ut diversa loca, in quibus Concilium de eadem re statuit, attente perlustrentur et sedulo conferantur, ne imperfecta vel etiam falsa doctrina ex uno capite, non inspecto altero, eruatur.

Porro Concilium Tridentinum quoad fidem, quæ ubique locorum una semper est heri et hodie, constituit jus pro tota Ecclesia infallibile; quoad vero ejus decreta disciplinæ, tanquam commune Ecclesiæ jus custodienda et observanda sunt, ubicumque legitime promulgata sunt et non abrogata.

Regiones autem, in quibus hucusque promulgatum fuit, indicantur in Theol. Mechl. *de matr.* n. 86.

§ 3. *De collectionibus decretorum S. C. Rituum et resolutionum S. C. Concilii.*

I. Exstat sub titulo *Decreta authentica Congregationis SS. Rituum*, collectio facta ab Aloysio Gardellini, ejus-

dem S. R. C. accessore et sub-promotore fidei. Hæc collectio fidem facit in tribunalibus ad decisionem controversiarum, et expresse prohibitum est ne absque licentia S. R. C. reimprimatur.

Hodie editur Romæ, typis S. C. de Prop. fide, tertia editio, incœpta an. 1856. Hæc editio aliquantisper ordine differt a præcedentibus, sed iisdem privilegiis eademque auctoritate potitur qua priores.

II. Suam quoque collectionem habet S. Congregatio Concilii, quæ ab an. 1739 cœpit publicari sub titulo *Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii,* et hodie continuatur Romæ typis reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Thesaurus continet præcipuas tantum causas in S. Congregatione tractatas : eas sc. quæ proponuntur *in folio,* ut aiunt. Minorum vero, seu earum quæ proponuntur per *summaria precum,* ut dicitur, collectio non exstat nisi illa, quam privata auctoritate edidit Card. Gamberini, quæque continet causas tractatas annis 1823-1825. Postea aliæ etiam hujusmodi causæ typis mandatæ sunt.

En tota series monumentorum juris communis ab ævo Apostolorum ad nostram ætatem. Disciplina, ut videre est, pro temporum locorumque circumstantiis in nonnullis mutationes subiit; decretis decreta successerunt, legibus addendo aut derogando, easve abrogando et novas condendo. Attamen unus et idem in omnibus semper finis intentus fuit : gloria nempe Dei ejusque cultus, salus fidelium, recta Ecclesiæ Christi gubernatio ; potestas enim non est data superioribus in destructionem, sed in ædificationem.

Monumenta, quibus componitur jus particulare, indicavimus supra p. XXXIV.

CAPUT IV.

DE JURISPRUDENTIA SACRA ET SS. CANONUM INTERPRETATIONE.

Articulus I.

DE JURISPRUDENTIA SACRA.

« Cum omnes ferme leges, inquit post Zallwein Card. Soglia, l. c. § 7, sint regulæ generales, et impossibile sit legem ferre ita claram, quæ nulla egeat interpretatione, aut ita universalem, ut ad omnes casus in sacris occurrentes, quos nullus legislator prævidere potest, applicari et extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante leges non solum recte intelligantur, sed et ad actiones hominum sapienter applicentur, et ad casus in legibus non expressos justa interpretatione extendantur.

« Hæc itaque prudentia explicandi applicandique juris solet *Jurisprudentia* vocari, atque adeo definiri : Facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi. Itaque jurisprudentiæ ecclesiasticæ duæ sunt veluti partes, quarum una leges ecclesiasticas scienter interpretatur, altera easdem leges ad facta, sive ut vulgo aiunt, *ad casus obvenientes applicat*. Prima jurisprudentiæ pars, quæ in rectam interpretationem legum incumbit, ardua est, multarum rerum peritiam postulat; altera pars, quæ in applicandis legibus versatur, expedita et facilis est, statim ac ex apta legis interpretatione mens legislatoris comperta fuerit. » Hac igitur parte prælectionibus relicta, quædam hic subjicimus de ss. canonum interpretatione.

Articulus II.

DE SS. CANONUM INTERPRETATIONE.

Interpretatio legis est genuina ejus per aliud clarius explicatio juxta mentem legislatoris.

Juxta quosdam auctores interpretatio distinguitur duplex : *simplex* nempe et illa quæ dicitur *per epikeiam*. Prior est mera legis obscuræ vel ambiguæ explanatio; posterior vero est benigna ac rationalis declaratio, qua statuitur aliquem casum *particularem*, ob *particulares* circumstantias, lege minime comprehendi, tametsi legis verba sint generalia et perspicua. Ex supra data definitione liquet, epikeiam non esse interpretationem proprie dictam, cum sit potius aliqua legis emendatio ex æquo et bono.

Interpretatio simplex dividitur tum ratione *causæ* efficientis, tum ratione *modi*.

1° Ratione causæ efficientis, seu subjecti unde procedit, quatuor sunt species interpretationis, quarum una est *authentica*, quæ etiam dicitur *legalis* aut *necessaria*, secunda *usualis*, tertia *judicialis*, quarta tandem *doctrinalis*, prout fit vel ab ipso legislatore, hujusve superiore aut successore; vel per usum sive consuetudinem; vel a judice; vel a jurisperitis privatisque doctoribus, qui legibus et canonibus interpretandis operam navant. Cf. Dens, *de legibus*, n. 56.

Legislator legem explicare, vel etiam pro suo arbitrio moderari potest sub specie interpretationis, quæ ad instar legis ab omnibus est recipienda. Interpretatio ejus nova promulgatione non indiget, si tantum declaret sensum qui ab initio jam in lege erat imbibitus; secus vero, si legi sensum addat quem per se non continebat.

Consuetudo legitime præscripta etiam loco legis est;

nam ab ipso jure dicitur *optima legum interpres.* L. I. tit. IV. C. Cum dilectus 8, *de consuet.*

Interpretatio judicialis inter solos litigantes jus facit; aliis vero nec nocet, nec prodest.

Interpretatio doctrinalis nullam habet vim legis, cum non procedat a facultate legislativa, adeoque nonnisi directiva et morali pollet auctoritate; tantum autem valet, quantum argumenta quibus stabilitur. Multum proin attendi debet ad qualitates et numerum interpretum, a quibus emanat. Quod si interpretatio communiter a doctoribus tradatur, non contradicente legislatore, non tantum indicat quis sit sensus legis, sed etiam quis nunc jam sit ejus sensus, tametsi ab initio alius fuisset, præsertim si populi consuetudo accesserit, ait Steyaert. Imo si universali muniatur doctorum consensu, temeritatis notam non effugeret, qui eam sperneret, inquit Scavini, *de leg.* cap. 8.

2° Ratione modi, quo fit interpretatio, alia est *comprehensiva* seu declaratoria, quæ verba legis simpliciter explicat; alia *extensiva* seu lata, quæ legem juxta sensum benigniorem interpretatur; alia tandem *restrictiva* seu stricta, quæ legem ad casus determinatos coangustat, quamvis generalis esse videatur. Restrictio tota in eo est, ut dicatur mens seu voluntas legislatoris ad pauciora se extendere, quam verba vel ratio legis ferre videntur.

Lex itaque intelligitur *late,* si verba legis sumantur in significatione quidem propria, sed civili seu juridica, magis autem si in impropria, maxime vero si in accommodatitia quadam. Quia vero interpretationis officium est inquirere quid voluerit legislator, nunquam fieri potest extensio talis, quæ nullo omnino verborum sensu contineatur et ultra mentem legislatoris progrediatur; tunc enim jam esset extensio ipsius voluntatis legislatoris, non autem ejus interpretatio.

Lex autem intelligitur *stricte,* dum verba restringuntur ad propriam suam significationem naturalem, nisi necessitas cogat ea ad sensum proprium civilem seu juridicum, vel etiam ad improprium extendere.

Ut illa recte intelligantur, notandum est quod duplex sit nonnullorum verborum significatio propria. Una *naturalis* sive *communis,* quam verba de se, sive ex natura sua, vel ex communi hominum acceptione habent; quo sensu vocabulum *mors* intelligitur *de morte naturali,* et vox *filius* quandoque etiam comprehendit *filias,* quia communi et vulgari usurpatione pro utroque sexu accipitur. Non videtur tamen vox *filius* in sensu naturali unquam comprehendere nepotes aut adoptivos. Altera est significatio *civilis,* et quasi propria artis juridicæ; v. g. vocabulum *mors* apud jurisconsultos non tantum naturalem, sed etiam *civilem mortem* significare solet; et nomen *filius* etiam *adoptivum,* verbum *legitimus* quandoque *legitimatum* comprehendit.

Ex his quæ statim delibavimus colligitur, nobis hoc loco agendum non esse de interpretatione authentica, vel usuali, vel judiciali, sed tantum de doctrinali, quæ juris studiosis conceditur.

Articulus III.

DE MODO PROCEDENDI IN INTERPRETATIONE.

Ut secure quis procedat in explicatione et applicatione legum, attendere debet in primis ad leges ipsas, dein accurate servare regulas sanæ interpretationis.

§ 1. *De observandis circa leges ipsas.*

Ad legem ipsam quod spectat, varia sunt inquirenda: et primo quidem ex qua collectione sit desumpta; dein

a qua prodierit auctoritate; postea de qua materia agat; et tandem quid præcise statuat.

I. *Collectio.* Collectio habet *vim legalem,* vel *vim criticam* tantum.

Dicitur collectio habere vim legalem, dum leges, per hoc ipsum quod in ea contineantur vel inserantur, censendæ sunt habere auctoritatem universalem. Aliis verbis : textus etiam particularis Concilii vel scriptoris privati acquirunt auctoritatem universalem, per ipsam suam insertionem in collectionem quæ vim legalem habet. Hac prærogativa gaudent, ut vidimus, Decretales, Sextus Decretalium, Clementinæ et Extravagantes.

Si non habeat vim legalem, videndum quænam sit collectionis vis seu valor criticus, id est, ipsa auctoritas quam habet ratione originis a qua promanat. Ad hanc cognoscendam inquirit canonista quis fuerit collator? An operi perficiendo idoneus, tum ratione intellectus, tum ratione voluntatis? Quem finem sibi proposuerit? etc. Cf. supra p. XXXV ss.

II. *Auctoritas.* Hic inspicienda venit legis origo. An procedat a legitima auctoritate, necne? An legislator non excesserit limites suæ potestatis? An lex, licet in initio pure civilis, vel usu introducta, non fuerit postea canonizata, seu ab auctoritate ecclesiastica probata? Cf. supra p. XXXIV.

III. *Materia* Probe examinandum est an lex versetur circa jus divinum, sive naturale, sive positivum, et præsertim circa constituta ab ipso Christo Domino; an vero circa illa, quæ relicta sunt prudenti præsulum arbitrio. Priora enim universalia et immutabilia, cetera semper mutationi obnoxia sunt, et quandoque tantum particularia, ut patet.

IV. *Pars disponens.* Animadvertendum insuper est, quid præcise de disciplinæ parte, quam pertractat, lex

statuat. Ad hoc bene distinguenda est pars legis *dispositiva,* id est sententia principalis, qua legislator jus condit, vel huic derogat, ab ea qua continentur præfatio, rationes, vel alia mere accessoria, quæ aliquando extra propositum principale inserta reperiuntur. Hæc enim omnia, licet multum conducant ad dignoscendum quæ fuerit mens legislatoris, quomodo lex sit executioni mandanda etc., non tamen habent vim legis; quinimo quandoque a vero aberrant.

§ 2. *De regulis interpretationis.*

Regulæ interpretationis possunt dupliciter distingui : sunt enim vel regulæ generales in æquitate fundatæ, quales viri sapientes communiter tradunt, vel regulæ ab ipso jure præstitutæ. Verum quidem est, regulas a doctoribus adductas sæpius esse in regulis juris fundatas, cum iisque confundi; attamen non inutilis erit præfata distinctio ad clariorem dicendorum intelligentiam.

A. De regulis interpretationis a doctoribus allegatis.

Summa totius legis est voluntas legislatoris; *certum enim est quod is committit in legem,* ait reg. 88 juris *in 6, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* Tot igitur sunt regulæ sanæ interpretationis, quot sunt indicia quæ demonstrent mentem legislatoris. Hæc autem indicia reduci fere possunt ad tria, nempe ad formam legis seu verba, ad adjuncta legis, et ad legis rationem.

I. Attendendum est ad *formam legis seu verba,* quæ accipienda sunt juxta propriam et usitatam significationem, nisi sequatur inde quid absurdum aut injustum, vel sic fiat lex ipsa prorsus inutilis. Æstimandum enim est verba a legislatore fuisse adhibita eo sensu, quo facile ab omnibus possit lex intelligi, et omnis error vitari.

Ratio tamen est habenda temporis, quo lex lata fuit, et verbis subjicienda est notio, quam tunc temporis habebant. Nonnulla enim sunt verba, quorum antiquæ significationes in novas mutatæ sunt, vel quibus usus alium quam hodie sensum tribuebat. Exemplo esse possunt vocabula *canonicus, diœcesis* etc., et præsertim vocabulum *censemus,* aliave quæ meram opinionem videntur exprimere, et tamen in libris Decretalium præceptum important (*a*).

Verba igitur clara non indigent interpretatione. Verba generalia et absoluta intelligenda sunt sensu absoluto, absque ulla distinctione secundum axioma juristarum : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Nec admittenda est ulla exceptio cum superior *excipere potuerit, et non exceperit;* unde regula 39 juris *in 6 : Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.*

Si verba sint æquivoca, eorum significatio desumenda est ex contextu, et quantum fieri potest, ita sunt explicanda, ut quam minime lex recedat a jure communi; legislator enim, tanquam juris custos et vindex, præsumitur semper stare pro juris observantia donec probetur contrarium.

Huc spectat regula L. V. tit. 40 *de verb. sign.* c. 8 : *Propterea, si prolixam epistolam meam ad interpretandum accipere te fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri; quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.*

Diximus : *nisi sequatur absurdum* etc. Cum enim lex sit rationis ordinatio, voluntas legislatoris nunquam præsumitur inanis, otiosa, inutilis, lasciva, impia vel absurda.

(*a*) Hac in re multum utilitatis conferre potest eximium opus Caroli Ducange, quod inscribitur *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis.*

II. *Ad legis adjuncta.* Dum verba sic sumpta non sufficienter indicant legislatoris voluntatem, vel ab illorum obvio sensu recedendum est, quia ratio gravis suadet aliud sensisse legislatorem, tunc ex subjecta materia et legis circumstantiis mens ejus eruenda est, illique verba sunt accommodanda; interpretatio enim potius menti, quam verbis legis convenire debet, juxta cap. *Humanæ* 11. C. XXII. q. v. : *non debet intentio verbis, sed verba intentioni deservire.*

Perpendenda igitur sunt adjuncta personarum, locorum, temporum et occasionum, in quibus lex prodiit, et in quibus ipse interpres versatur.

III. *Ad rationem legis.* Si dubium permaneat, utiliter quoque ponderari potest, modo caute fiat, ratio legis. Sed bene distinguenda est ratio in lege expressa a ratione quam legi tribuunt jurisperiti; multo enim majoris ponderis ad legis interpretationem est prior quam posterior, ut liquet. Ad rem autem scribit Suarez, *De leg.* L. VI. cap. I. n. 20, rationem esse « medium ad indagandam mentem, et moraliter certum, quando est in lege expressa; non tamen ita infallibile quin aliæ etiam circumstantiæ ponderandæ sint; quia etiam ipsius rationis sensus potest esse ambiguus, et ex aliis circumstantiis certior redditur. Et contingere etiam potest, ut ex eadem ratione voluntas variis modis et ad diversa moveatur; et ideo ad plene cognoscendam legislatoris voluntatem, quæ est propria mens ejus, non sufficit sola ratio, etiam in lege expressa, sed omnia expendenda sunt et attente consideranda. »

Hæc observatio eo vel magis præ oculis est habenda, quod legislator, etsi aliquam rationem alleget, non semper tamen omnes rationes, totum finem suum, causam integram, neque etiam semper præcipuam exprimat.

Probe hic notandum est, quod ordinarie loquendo in

jure positivo non liceat argumentari a pari, vel a fortiori, vel ab identitate aut majoritate rationis ad casus disparatos; aliis verbis, quod lex non debeat de casu ad casum extendi, licet eadem ratio currat; quia non ratio legis, sed legislatoris voluntas subditis rite intimata vim legis habet et obligat; potest enim legislator de uno disponere, et non de alio.

Est tamen commune legem extendi de casu ad casum, quando non solum eadem, sed eadem et adæquata simul ratio currit; adeo ut, si non extenderetur, legislator accusari posset injustitiæ, vel imprudentiæ : unde tunc valet illud juristarum : *Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio.* Id autem evenit *a/* in *correlativis;* sic, quia maritus et uxor sunt correlativa, si vir liberetur a debito reddendo uxori adulteræ, pariter uxor eximitur a reddendo debito marito adultero; *b/* in *æquiparatis;* sic excommunicatio percussoris clerici extenditur ad mandantem; *c/* in *connexis;* sic lex, quibus permittit condere testamentum, iisdem concedit facere codicillum; *d/* in *subordinatis;* sic dispensatus in quadragesima pro esu carnium, censetur dispensatus pro esu ovorum et lacticiniorum.

Præter has doctorum regulas, SS. canonum interpreti non exiguum auxilium præstant regulæ juris, quarum nonnullas explicabimus post tradita quædam generalia.

B. De regulis juris in genere.

Gregorius IX et Bonifacius VIII inseruerunt, alter ad calcem Libri V Decretalium, alter pariter in fine Libri VI Decretalium, textus quosdam, quos inscripserunt *De regulis juris.*

Q. I. Quid et quotuplex sit regula juris canonici?

R. 1° Regula juris denotat sententiam generalem, quæ

plures leges seu canones hinc inde dispersos, de diversis rebus et casibus eamdem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur et proponit. Sic dum infames unus canon a prælaturis et beneficiis, alius a magistratu, alius ab officio judicis ... arcet, cunctos hos canones diversis in locis positos unica regula 87 *in 6* paucis hisce verbis complectitur : *Infamibus portæ non pateant dignitatum.*

2° Regulæ juris aliæ sunt authenticæ seu Decretalibus insertæ, aliæ non authenticæ, sed doctrinales duntaxat, communiter dictæ *Brocardicæ* (a corrupto nomine Burchardi, celebris olim canonistæ).

Q. II. Quam vim et auctoritatem habeant regulæ Juris?

R. Dist. Regulæ juris authenticæ vim et auctoritatem legis habent, quoad omnes casus non exceptos. Ratio est, quod, etsi jus novum non faciant, tamen plura jura prius jam constituta supponant, eaque compendiose comprehendant, et hoc ipso vim legis contineant, utpote ex jure desumptæ, jurique in speciali titulo insertæ.

Additur autem *quoad omnes casus non exceptos;* quia, etsi regulæ authenticæ vim legis habeant, non semper tamen prævalent, cum in ipso jure nonnunquam reperiantur restrictiones seu exceptiones, quas *fallentias* doctores vocant; unde communiter receptum illud brocardicum seu juristarum axioma : *Nulla regula sine exceptione.*

Regulæ non authenticæ, quæ a jurisconsultis vel aliis doctoribus, privata auctoritate, veluti axiomata juris citantur et applicantur, vim legis quidem non habent, sed tamen magna potiuntur in probando auctoritate. Quasdam citavimus p. LVI SS.

Q. III. Quomodo regulæ juris debeant applicari?

R. Circa applicationem regulæ alicujus, sive authenticæ, sive non authenticæ, duo præcipue sunt observanda : *a/* utrum in casu particulari, de quo agitur, eadem

habeatur ratio cum ratione generali ipsius regulæ; cf. supra p. LVIII; *b*/ utrum iste casus a legislatore specialiter exceptus non fuerit.

Ceterum, licet exceptiones aliquo modo adversentur regulæ generali, eidem tamen præsertim duplici modo opitulantur : et quidem *a*/ quia, juxta tritum axioma, *exceptio declarat regulam,* cum ex qualitate exceptionis et casus excepti facile colligi possit de quonam genere vel materia regula loquatur; *b*/ quia *exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.* Ratio est, tum quod ille, qui aliquam speciem sub genere contentam excipit, de reliquis sub eodem genere contentis etiam cogitasse, et eas non exceptas, sed sub genere comprehensas voluisse censendus est; tum quia verba regulæ generalia generaliter de omnibus sub regula contentis, et specialiter non exceptis, intelligenda veniunt, nisi casus aliqui exceptis omnino similes forent, aut correctio juris vel absurdum sequeretur, vel ex sufficienti ratione appareret verisimile non esse, quod legislator talem casum sub universali regula voluerit esse comprehensum. Cf. Reiff. *Tr. de reg. juris.*

C. De quibusdam regulis juris in specie.

Inter regulas juris authenticas aliæ sunt, quæ referuntur ad legum interpretationem, aliæ ad effectum legum, aliæ ad dispensationes, privilegia et rescripta. De rescriptis actum est supra; reliquæ materiæ ex professo tractantur in præl. theol. mor. *de legibus;* hic quædam dicenda sunt de præcipuis juris regulis, quæ spectant ad interpretationem legum. Tales sunt sequentes inter insertas Sexto Decretalium a Bonifacio VIII.

Reg. 15ª : « *Odia restringi et favores convenit ampliari,* » aliis verbis, leges odiosæ interpretandæ sunt sensu strictiori; favorabiles vero sensu latiori.

Falsæ sunt, adeoque rejiciendæ, interpretationes illorum, qui dicunt illud esse *odiosum,* quod aliquid præcipit aut vetat; *favorabile* vero, quod permittit. Non enim dici potest *odiosum pure et simpliciter* illud quod propter bonum commune statuitur; e contra id omne est sub certo respectu favorabile quod hominem juvat ad malum vitandum.

Leges autem generatim dicuntur *odiosæ,* quæ in detrimentum alicujus personæ vel communitatis latæ sunt. *Favorabiles* vero, quæ in alicujus personæ vel communitatis favorem latæ sunt.

Difficultas tamen sæpe occurrit in decidendo, quænam favorabilis et quænam odiosa dispositio habenda sit; siquidem favor et onus simul in eadem lege non semel reperiantur. Lex quæ sub uno respectu favorabilis est, sub altero sæpe gravat; bonum enim societatis vix procurari potest, quin subditi aliquod patiantur detrimentum naturalis suæ libertatis. Ad hanc minuendam difficultatem sequentes regulas proponit Reiff. l. c.

Quotiescumque odium et favor ab invicem separari possunt, lex vel dispositio partim favorabilis, partim odiosa censenda est. Si autem favor et odium separari nequeant, attendenda est principalis intentio disponentis seu legislatoris; si enim hic per suam legem principaliter intendit alicui favorem exhibere, lex favorabilis censenda est, licet etiam in damnum et odium alterius redundet; si vero primarium intentum in alicujus odium et pœnam tendit, vel contra jus commune militat, lex odiosa reputari debet, etsi cedat etiam in alterius favorem. Ista autem intentio tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia desumi poterit. Quod si vero ex his nondum appareat, an lex principaliter lata sit in favorem vel odium alicujus, favorabilis reputanda est.

Quid sit extendere vel restringere legem aut privilegium, traditum est supra p. LII.

His præmissis, sensus regulæ est, quod stante dubio, quamdiu nimirum, re mature perpensa, vera mens legislatoris non innotuit, et lex potest servato sensu verborum stricte vel late intelligi, restringi debeat in odiosis, et ampliari in favorabilibus.

Hæc jam in specie applicando dicimus :

1° Stricte interpretanda est *a/* lex pœnalis; nam, ut ait regula 49 juris *in 6 : In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

b/ Lex exorbitans a jure antiquo aut communi, vel illi derogans seu limitans, vel corrigens illud, et a fortiori lex posterior priorem abrogans; ait enim regula 28 juris *in 6 : Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda;* dein regula 78 : *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa;* tandem juristarum axioma est : *non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori.*

Lex dicitur *exorbitans,* quæ a communi jure, ob favorem causæ vel personæ, aliquos eximit, diciturque jus speciale ac privilegium; lex *derogans* seu *limitans* dicitur illa, per quam a communi lege exceptio fit, ut in certo casu locum non habeat. Differunt igitur lex limitans et exorbitans, quod illa a communi jure certum casum excipiat comparatione omnium; hæc vero certum duntaxat personarum genus a lege communi simpliciter eximat. *Correctoria* autem lex dicitur, per quam aliquod jus commune vel ex toto, vel ex parte mutatur. Lex *abrogans* est illa, quæ abolet totam legem.

c/ Lex *irritans,* seu quæ actum aliquem nullum et invalidum decernit. Potius enim, quoties fieri potest, interpretandum est pro valore actus; id est, potius ut valeat quam ut pereat, aiunt juristæ.

d/ Lex quævis alia onus imponens, libertatem notabiliter coercendo.

2° E contra late sunt interpretandæ leges, quæ aut bonum publicum, bonos mores, libertatem Religionis tuentur, nullo gravi onere inducto; aut beneficia seu favores, privilegia præter jus, distinctiones honorificas largiuntur, absque gravamine alterius, sive individui, sive societatis.

Reg. 30ª ; « *In obscuris minimum est sequendum.* »

Sensus regulæ est sequens : ubi res *obscura* est, aliis verbis, ubi rei veritas, et intentio legislatoris, consideratis etiam considerandis circumstantiis, non satis apparet, id quod *minimum* est, seu quod minus obligat, vel minus gravat sentire debemus. Ratio est, quod salvo bono publico, jura proniora sint ad liberandum quam obligandum, magisque inclinent ad minuendam quam augendam obligationem.

Eadem ratione canonistæ docent licitum esse uti *epickeia* seu *epykia,* id est, præsumere casum non comprehendi in lege universaliter lata, quando ob peculiares circumstantias, sin iniquum, saltem nimis grave esset ac difficile legem servare. Potius enim habenda est ratio æquitatis, quam juris stricti.

Reg. 34ª « *Generi per speciem derogatur.* »

Genus apud juristas dicitur omne illud, quod plura sub se continet, sive dein hæc plura sint veræ species philosophicæ, uti homo, equus etc. ; sive alia communia, v. g. vestis, lex, fundus etc. ; sive mera individua et singularia ; sive aliæ partes aut res sub tali specie comprehensæ.

Species in sensu juristarum est omne illud, quod sub genere juridico comprehenditur, sive singulare illud sit, sive non; prout respectu hominis Paulus, respectu equi hic vel ille in individuo ac singulari. Insuper nomine spe-

cici venit etiam illud, quod quidem tanquam commune plura continet, sed tamen minus commune est, quam aliud cum quo hic et nunc concurrit; uti si duæ sint leges generales, una magis generalis quam altera.

Hinc verus sensus regulæ est : quando duæ dispositiones sibi contrariæ concurrunt, illa, quæ specialis est derogat generali, et si ambæ communes sunt, ea quæ minus communis, sicque *species* respectu alterius, derogat magis communi, tamquam *generi;* in eo tamen duntaxat in quo specialis generali, vel minus communis magis tali contraria existit. Ratio et finis regulæ est, ut discordantes species et genus, quantum possibile est, concilientur, juxta universale juris præscriptum : *Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari.* L. I. tit. VI. 29, *de elect. in 6.*

Regula procedit in legibus, rescriptis, contractibus, legatis et testamentis. Fallit autem in privilegiis; privilegium enim speciale non derogat generali, nisi de eo expressa fiat mentio; quia per primum privilegium, etiam generale, consequitur quis jus plenum.

Ceterum nihil refert an species præcedat vel sequatur, seu prius vel postea sit constituta; regula semper obtinet, quia ratio ejus in utroque casu locum habet.

Reg. 59ª : « *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* »

Hæc regula non tantum de iis, quæ simpliciter prohibentur tanquam illicita, sed etiam de illis, quæ sub nullitate prohibentur, intelligenda est; ita ut duas implicite contineat partes, et sensus sit quoad priorem partem : quando aliquid, simpliciter duntaxat tanquam minus honestum et illicitum, absque nullitate prohibetur, simpliciter prohibita quoque, sicque illicita, non autem invalida, censentur ea omnia, quæ ex principali prohibito, propter necessariam connexionem et dependen-

tiam, ordinarie sequuntur, saltem si eadem de his uti de illo militat ratio. Sic ex eo quod prohibitum sit in quadragesima comedere carnes, prohibita etiam per se censentur omnia, quæ sementinam trahunt originem carnis, lac videlicet, ova, caseus, etc. Quoad alteram partem : quando aliquid sub pœna nullitatis, seu per legem annullantem seu dirimentem prohibetur, similiter prohibita et invalida censentur, quæ ob necessariam connexionem et dependentiam ex principali prohibito sequuntur. Sic quia alienatio rerum ecclesiasticarum sine debita solemnitate non tantum simpliciter, sed etiam sub nullitate est prohibita, omnis quoque donatio, venditio et similia sub nullitate censentur prohibita, una cum connexis et subsequentibus ex illis, qualia sunt traditio, dominium.

Ratio utriusque partis est, quod connexorum eadem ratio sit, idemque judicium : sive quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extenditur. Præterea quæ ex aliquo sequuntur accessoria illius sunt; *accessorium autem naturam sequi congruit principalis,* ait regula 42 juris *in 6.*

Huic regulæ merito subjungit Barbosa aliam contrariam : *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ ad illud sunt necessaria.* Et ita, cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest, ut facultas citandi, et condemnandi contumaciam.

Reg. 40[a] : « *Pluralis locutio duorum numero est contenta.* »

Verus sensus regulæ hic est : quandocumque in lege terminus pluralis, *plures, plura* indistincte occurrit, requiritur et sufficit ad legis observantiam, ut duæ concurrant personæ, vel duo ponantur actus, nisi majorem numerum jura expresse requirant; quia, sicuti numerus singularis excludit pluralitatem, ita numerus dualis excludit singularitatem.

Reg. 88ª : « *Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* »

Regula intelligenda est in sequenti proprio suo sensu : contra legem delinquit, verusque transgressor legis habetur, qui voluntatem, mentem seu intentionem legislatoris sufficienter perspectam habens, contra ejus mentem, prætextu nudorum verborum, legem pro suo commodo fraudulenter interpretatur et observat. Ratio est, quod universaliter in legibus non nuda verba, sed intentio et voluntas legislatoris respicienda sit, ut supra notavimus.

Regulæ præmissæ sunt ceteris usu frequentiores, magisque scitu necessariæ, ac proinde non immerito specialiter declaratæ; reliquæ indicabuntur in appendice, et, si lubet, earum explicatio repeti potest ex Reiff. l. c.

APPENDIX.

De interpretatione privilegiorum.

Privilegium, sic dictum quasi *lex privata* vel *privans lege,* solet definiri : *lex privata aliquod speciale concedens beneficium.*

Appellatur *lex,* non quidem respectu personæ privilegiatæ cui nulla lex imponitur, imo gratia confertur; sed respectu communitatis cui imponitur obligatio non impediendi privilegii usum. Et additur *privata,* quia privilegium conceditur ob bonum privatum certæ personæ vel alicujus collegii ; cum e contra lex communis respiciat et feratur ob bonum totius communitatis. Ex quo sequitur privilegium concedi non posse, nisi ab eo qui legem concedere potest, illudque etiam acquiri consuetudine legitime præscripta, cum hæc vim legis habeat.

Alii tamen cum Gury, T. I. n. 141, accuratius habent : Privilegium est gratia constans et permanens certis per-

sonis, vel certis dignitatibus, *contra* vel *præter* legem communem a superiore concessa.

Privilegium differt a *dispensatione,* quæ eximit a lege, et ideo semper est odiosa; necnon a *licentia,* quæ conceditur tantum ad paucos et determinatos actus et determinatis personis.

Privilegium distinguitur 1° *reale,* ad quod reducitur *locale,* et *personale;* 2° *contra* et *præter jus;* 3° *favorabile* et *odiosum.*

Privilegium *reale* illud est quod directe et immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, quo casu dicitur etiam *locale,* dignitati, muneri, statui, ratione cujus redundat in personam ad quam res illa pertinet. Hoc privilegium, cum rei inhæreat, transit ad hæredes et successores in eadem re; sed qui illud habent, nequeunt eodem uti extra territorium concedentis, quia censetur esse locale. Privilegia, quæ certo hominum generi vel communitati alicui conceduntur, ut minorennibus, academiis etc., realia reputantur.

Privilegium *personale* vero est quod immediate conceditur personæ, et ratione ipsius personæ, v. g. ob scientiam, sanctitatem; cujus signum est si persona illa nomine suo proprio exprimatur. Hujusmodi privilegium extinguitur cum eadem persona, et qui illud habent, possunt eodem uti in omni loco, quia personam afficit eamque sequitur quocumque pergat; ut habemus ex reg. 7 juris *in 6.*

Privilegium dicitur *contra jus,* quod derogat juri communi, uti sunt exemptiones religiosorum. Illud vero dicitur *præter jus,* quo conceditur facultas aliqua illis quibus de jure non competit, sed absque derogatione alicui legi; tale est privilegium absolvendi a reservatis.

Hoc est privilegium improprie dictum, quod concedi potest etiam non subditis; quia non est actus jurisdi-

ctionis, sed actus meræ facultatis et quasi donatio. Sic Princeps potest concedere extraneo privilegium venandi in suo territorio. Gury, *ibid.*

Privilegium dicitur *favorabile* quod privilegiato prodest, secluso aliorum gravamine, quale est privilegium vescendi carnibus tempore quadragesimæ. *Odiosum* vero, quod alios gravat, dum uni favet; talis est exemptio a solvendis tributis.

Loquendo de interpretatione privilegiorum, brevi calamo notat S. Alph. *app. de priv.* n. 6 :

1° Omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo privilegiato non sit neque inutile, neque onerosum; juxta reg. 61 juris *in 6 : Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

2° Privilegia solus Princeps, vel alii quibus a Principe foret commissum, authentice, vel juridice possunt interpretari. Doctrinaliter vero potest ea interpretari quicumque vir doctus, cujus resolutioni licite potest acquiesci, ut omnes affirmant; et quando in privilegio prohibetur quæcumque interpretatio, de sola authentica et juridica est intelligendum.

3° Generaliter privilegium, utpote beneficium, est large interpretandum, ut habemus ex cap. *Olim.* 16. *de verb. sign.* ubi dicitur : *Cum beneficia Principum sint interpretanda largissime.* Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa quæ sunt derogatoria juris communis; ait enim reg. 28 juris *in 6 : Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam sunt ad consequentiam trahenda.* Talia sunt etiam derogatoria statutorum et consuetudinum particularium. Excipitur *a/* si hæc statuta sint contra jus commune; *b/* si privilegium sit insertum in Corpore juris; ideoque aiunt Sanchez et Mazzotta omnia privilegia realia esse late interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam

inserta in jure communi, unde et regulas juris communis sequuntur; *c/* si alias privilegium redderetur inutile, aut si in eo exstaret clausula *ex certa scientia,* vel ex *motu proprio; d/* si privilegium esset absolvendi, dispensandi, aut communicandi illud cum aliis.

Privilegia in præjudicium aliorum, cujusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, utpote ea ratione odiosa, sunt stricte interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio.* Illis omnibus rite applicanda est reg. 15ª supra explicata : *Odia restringi et favores convenit ampliari.*

Nota tertia intelligenda est de privilegiis concessis personis particularibus; sed ea, quæ sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur juri communi, vel alicui tertio, quemadmodum communissime affirmant doctores. Privilegia enim communitatibus concessa præsumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum præstitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia.

CAPUT V.

DE JURIS CANONICI SUBSIDIIS.

Omnis disciplina quasdam habet scientias tum amicas, tum famulas, quibus adjuvatur et illustratur. Inter scientias, quas, tanquam subsidia seu adminicula, excolere debent qui studio juris canonici fructuose incumbere cupiunt, potissimum recensentur s. theologia, historia ecclesiastica et antiquitates christianæ, jus naturale, civile et gentium, de quibus breviter dicendum est. Cf. *Diss. Zachariæ* præmissa theologiæ S. Alphonsi P. II.

Articulus I.

DE S. THEOLOGIA.

Disciplina theologica et canonica quasi duæ germanæ sorores incedunt, mutuumque sibi præstant auxilium. Et re quidem vera, nemo, qui utriusque vel modicam notitiam habet, inficiari potest, theologiam in multis canonum auxilio uti. Ejusmodi sunt quæ ad ritus sacramentorum et reliqua sacra munia, quæ ad ecclesiasticorum officiorum et beneficiorum administrationem, ac præsertim quæ ad ecclesiasticæ jurisdictionis usum spectant; imo et ea quæ ad solvendas quæstiones quascumque de moribus, et dubitationes de variis hominum actionibus motas pertinent. Quapropter doctissimi quique theologi argumenta plura ex juris canonici armentario depromunt, et theologi nomine indignum pronuntiant, qui canones ignorat.

Verum etiam cognitionem theologiæ ad canonum notitiam apprime conducere, evidentius est, quam ut argumentis confirmandum sit. Etenim, ut recte observat R. de M. *not. gen.* cap. VI. § 1, « sive in jure ecclesiastico publico, seu statu politico et sociali Ecclesiæ tradendo versemur, dogmata fidei ut plurimum cum canonibus disciplinæ confundi dispicimus, seu ipsammet disciplinam ecclesiasticam hic cum fide converti, utpote quæ a Christo ipso divinitus instituta non minus intellectui credenda proponitur, quam voluntati peragenda intimatur. Sive deinde statum politicum et hierarchicum ordinem prætergressi, in rebus ecclesiasticis occupemur, occurrunt statim sacramenta, sacrificium, ceteraque id genus, quæ sub alio respectu non mediocrem theologiæ partem implent. Sive tandem ad postremas juris canonici partes deducti, in judiciis et pœnis ecclesiasticis distineamur, ipsam judiciariam, omnemque legislativam

Ecclesiæ jurisdictionem a fide seu a theologia mutuamur, vel magis ab illo eodem fonte, quo theologia hæc derivat, et nos pariter propriis instructi instrumentis derivamus. »

Articulus II.

DE HISTORIA ECCLESIASTICA ET ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS.

Nihil autem utilius, imo magis necessarium ad juris sacri scientiam acquirendam, quam historiæ ecclesiasticæ et antiquitatum christianarum notitia. Hoc perspicuum cuique erit, qui perpenderit ea quæ egregie scribit Soglia, *Præn.* § 64.

« Enimvero nemo est, qui non intelligat, ad rectam juris ecclesiastici cognitionem magnopere interesse priorum trium Ecclesiæ sæculorum dogmata, disciplinam, mores institutaque perspecta explorataque habere; ad ea siquidem SS. Ecclesiæ Patres atque Doctores frequentissime provocant, et illinc permulti canones decretaque in Ecclesiam derivarunt. Atque earum rerum omnium notitiam adeo utilem et necessariam non possumus, nisi a traditione et historia nobis comparare.

« Sic etiam quæ a conciliis constituta, definita et decreta fuerunt, quorum magna est in Ecclesia auctoritas atque usus, ea nescio quomodo recte intelligi et applicari possint, sine lumine historiæ quæ, cur, et quomodo, et quando Concilium celebratum fuit, res de quibus actum est, disquisitiones, disputationes, deliberationes habitas palam facit. Et undenam antiqui Ecclesiæ ritus, et usus, et incrementa mutationesque disciplinæ, et id genus alia possumus perspecta planeque cognita habere? Nonne ab antiquitatum ecclesiasticarum historia? Uno verbo historia ecclesiastica est earum rerum notitia, quæ ad Ecclesiam pertinent; aperit decretorum et institutionum ecclesiasticarum origines et causas, catholica

dogmata, acta Conciliorum, constitutiones Pontificum, pactaque publica et hujus generis alia.

« Ad leges denique ecclesiasticas cum interpretandas, tum rite recteque applicandas, non sufficit earum verba tenere; sed necesse omnino est legislatoris mentem, sive, ut aiunt, spiritum legis bene exploratum habere. Mens autem legislatoris cognoscitur ex rationibus, causis aliisque rerum eventibus, quæ ad legem ferendam eumdem moverunt. Hæc autem omnia, aut semper, aut plerumque ab historia petenda sunt. In collectione Decretalium, earum nempe epistolarum, quibus consulti Pontifices ad dubias quæstiones responderunt, quæque potiorem juris canonici partem conficiunt, non integræ Pontificum epistolæ relatæ sunt, sed ea tantum epistolæ pars, in qua Pontifex de re proposita sententiam dixit. Ex quo sequitur accuratam controversiæ et circumstantiarum notitiam, neque a decretali, neque (quod interdum, vel potius nimium sæpe fit) ab integra epistola haberi posse, sed eam oportere aliunde quærere, in monumentis scilicet historiæ scriptisque jurisconsultorum, qui super ea quæstione copiose diligenterque egerunt. Idipsum, si non de reliquis omnibus, at certe de plerisque juris ecclesiastici legibus dicendum est. »

De præcipuis historiæ ecclesiasticæ scriptoribus pauca diximus in § 5 introductionis ad prælectiones nostras historiæ ecclesiasticæ, quas ad sæculum VIII usque perduximus, sed, aliis curis et occupationibus distenti, abrumpere coacti sumus 29 Novembris 1864.

Illis addi possunt L. Du Mesnil, *Doctrina et disciplina Ecclesiæ, ipsis verbis veterum monumentorum exposita.* 4 vol. in-fol.

P. Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina.* 3 vol. in-fol. vel 10 vol. in-4°.

Selvagio, *Antiquitatum christianarum institutiones.* 3 vol. in-4°.

Articulus III.

DE JURE NATURALI, CIVILI ET GENTIUM.

Jus naturale et civile magnum juri canonico auxilium suppeditare, sufficienter colligitur ex dictis p. x et xxxiv, ubi jura illa inter fontes jurisprudentiæ sacræ recensuimus. Quare aiebat de Luca, *annot ad Conc. Trid. Sess. 24. c. 16 : Legistam sine canonibus imperfectum judicem esse, et Canonistam sine legibus nihil valere;* quia ex sententia Lucii Papæ III : *Sicuti leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum instituta canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Hoc ante ævum nostrum feliciter usuveniebat, cum jus ecclesiasticum et civile amicas dabant sibi manus ad Ecclesiam et societatem fovendam; sed per tristissimum aliquod temporis spatium leges civiles a damnato rationalismo informatæ Ecclesiam et societatem in ipso Belgio subvertere nisæ sunt, dum rationem humanam religioni divinitus revelatæ substituere, et morum scientiam ac civilem justitiam a lege divina et ecclesiastica independentem reddere voluerunt, quod nunquam fecerunt ipsi Pagani. Ast protegente Deo nova jam illuxit dies : sit patriæ nostræ fausta et longa!

De jure gentium agitur in Præl. theol. mor. *de legibus,* n. 19.

CAPUT VI.

DE QUIBUSDAM JURIS CANONICI INTERPRETIBUS.

Tanta est interpretum multitudo, ut de cunctis agere nec possibile sit, nec necessarium. Illos igitur indicabimus, quos nosse juris canonici tyronum maxime interesse existimamus. Interpretes enim, præcipue antequam juris ecclesiastici principia diligenter explorata habeantur,

non sunt sine delectu et consilio adhibendi. Consulantur pauci et solidiores; ii præsertim, qui non scientia tantum, sed et integritate animi bonaque voluntate se commendant.

Præ reliquis adhibeantur illi, qui mentem Sedis Ap. praximque SS. Congregationum melius notas habent, ut

Fagnanus, *Commentaria in quinque Libros Decretalium*. 3 vol. in-fol. Vir erat perspicaci inter cæcitatis incommoda præditus ingenio et juris canonici consultissimus, qui per quindecim annos munere secretarii functus est in pluribus Congregationibus romanis.

Giraldi, *Expositio juris pontificii*. 3 vol. in-fol. Eruditione et judicii gravitate conspicuus more aliorum non disserit, sed potius jus exponit; constitutiones pontificias, quæ jus antiquum confirmant, vel in aliquibus immutant, refert ordine Decretalium. Partem secundam totam consecrat decretis Tridentini.

Benedictus XIV, ante pontificatum Prosper Lambertini, Arch. Bononiensis. Quamvis proprie dicta commentaria non ediderit, omnium canonistarum facile princeps habetur, cum diversa cujusvis auctoris merita in aureis suis operibus conjunxerit. Inter quæ præcipue et continuo legendum est illud, quod inscribitur *De Synodo diœcesana*.

Peculiarem quoque mentionem merentur :

Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*. 3 vel 6 vol. in-fol. Fuit regularis ordinis minorum S. Francisci, in theologia morali et disciplina canonica peritissimus.

Schmalzgrueber, S. J. *Jus ecclesiasticum universum*. 10 tom. in-4°, Romæ 1845. Fuit professor juris in Universitate Ingolstadiensi et Dilingana, eruditione et methodo in discutiendis quæstionibus conspicuus.

Utiliter etiam consuli possunt Barbosa, Pignatelli, Pirhing, Gonzalez, Pichler, Leurenius, Berardi, Böckhn, etc.

Sunt alii canonistæ tyronibus præsertim commendandi, qui opera minoris voluminis ediderunt, quique non explanationem Decretalium, sed institutiones juris conscripserunt, in quibus præcipua juris capita distincte et ordinate exponunt et explicant. Tales sunt :

Huth, S. J. *Jus canonicum ad Libros V Decretalium Gregorii IX explicatum, et per quæst. ac responsa ... redactum.* in-8°, Venetiis 1766.

Maschat, *Institutiones juris canonici,* auctæ et illustratæ a Giraldi. 2 vol. in-4°.

Devoti, *Institutiones juris canonici.* 2 vol. in-8°.

Soglia, *Institutiones juris publici et privati ecclesiastici.* 2 vol. in-8°.

Phillips, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux;* opus ex germanica in gallicam linguam versum a Crouzet, presb. 3 vol. in-12°, Paris 1855.

R. de M., *Institutiones juris canonici publici et privati,* opus Illmo D^no Parisis, Ep. Atrebatensi, dicatum. 2 tom. in-8°, 1853.

Maupied, *Juris canonici universi compendium.* 2 tom. Migne 1861.

Icard, *Prælectiones Juris canonici habitæ in Seminario S. Sulpitii,* annis 1857-58 et 59. 3 tom. in-12°.

Tarquini, *Juris ecclesiastici publici institutiones,* in-8°, Romæ 1862.

De Camillis, *Institutiones juris canonici.* 3 vol. in-12°.

Ferrari, *Summa institutionum canonicarum.* 2 vol. in-12, Parisiis et Romæ 1869.

Goyhenèche, *Cours élémentaire de droit canonique à l'usage des Séminaires,* in-12°.

Daris, *Prælectiones canonicæ, quas habuit in Seminario Leodiensi.* 4 vol. in-8°.

Bouix. De pluribus materiis hac nostra ætate tractatus edidit, qui puritate doctrinæ plurimum se commendant. 12 vol. in-8°.

Nardi - optima - Romanum

CAPUT VII.

DE METHODO ET DIVISIONE HUJUS COMPENDII.

Post ea quæ in præfatione monuimus, pauca nobis supersunt dicenda de methodo et divisione in instituto nostro adhibitis.

Articulus I.

DE METHODO.

In tradendo jure canonico triplex occurrit methodus, sc. *philosophica, historica* et *practica*.

Methodum philosophicam dicimus illam, quæ ab aliqua veritate fundamentali, tanquam a principio, per logicum divisionum et subdivisionum ordinem, materias omnes, tanquam veritates inferiores seu conclusiones deducit.

Methodus historica ea dici potest, quæ varias disciplinæ ecclesiasticæ evolutiones prosequens, ostendit quid pristina disciplina præscripserit, quando, quomodo et qua de causa, pro personarum et temporum conditione, Ecclesia, vel ab ea recesserit, vel collabentem sustinuerit, vel collapsam restaurarit.

Methodus tandem practica præcipue intendit in jus positivum vigens, et tradit principia in dirigendis et decidentis negotiis tenenda, necnon modum eadem principia applicandi.

His positis, forsan non inutile erit aliquid dicere de variis methodis, quæ quovis tempore obtinuerunt.

Ante sæculum XII jus canonicum non colebatur ut scientia peculiaris et a theologia distincta; ad hanc enim pertinere censebatur. Inde primi canonistæ, seu potius canonum compilatores, in colligendis legibus ecclesiasticis omnem suam operam collocarunt.

Verum editis Decreto Gratiani, et præsertim Libris

Decretalium, scriptores, vulgo dicti *Glossatores,* iis apponere cœperunt *glossas,* quibus successere *apparatus* et *commentaria,* textibus juris eo ordine quo in hisce collectionibus jacent, aptata. Alii composuerunt etiam *summas, disputationes, repetitiones,* etc.; sed exiguus notatur progressus formæ scientificæ, ut vocant, et artis criticæ, usque ad sæculum XVI, quo ipsum juris canonici studium paulo remissum fuit.

Tunc cœperunt interpretes Gregorianam collectionem tanquam basim assumere, ac sequendo librorum, titulorum, et, ut plurimum, ipsorum capitulorum ordinem, eis suas aptare elucubrationes. Aliqui tamen cum Paulo Lancellotto in suis *Institutionibus,* sub Concilii Tridentini temporibus, ab hac methodo recesserunt, et innovantes divisionem, a Gratiano, seu potius a Justiniano in *Institutis* traditam, eamque perficientes, elucubrationes juridicas reduxerunt ad *personas, res* et *actiones* seu *judicia.* Alii insuper separatas de certis materiis dissertationes et commentaria edidere.

Idem fere dicito de sæculo XVII, quo non infimum locum inter canonistas tenet Franciscus Zypæus.

Sæculo XVIII meliori methodo elaborandæ opem contulit Van Espen, historicam addendo praticæ eousque vigenti. Dum tamen id præstitit, factiosis præjudicatisque opinionibus perfidus auctor indulsit. « Van Espen, ait P. De Buck, *Étud. relig.* etc. *Junii 1865,* art. *Mgr De Ram,* p. 183, empoisonna pendant plus de cinquante ans l'enseignement du droit canonique dans le pays (Belgique), et la pratique était encore pire que les préceptes. » Et Zallwein, in *princ. jur. eccl.* T. IV. q. I. c. 2 scribit : « Hortamur catholicos, ut hunc auctorem caute legant, qui sane excessivus est in intentione placiti regii, et jure optimo illis scriptoribus annumerari meretur, qui muscas captant, de umbra disputant, interesse poli-

ticum etiam imaginarium ante oculos habent, atque hac ratione potestatem ecclesiasticam ferme ad incitas redigunt; e contra politicam ultra suos fines quam longissime extendunt. » Addit autem Bachusius, in suo *historico circa Van-Espenium tractatu,* iterum edito 1787, « Jus canonicum Van-Espenii in hunc scopum fuisse concinnatum, ut Jansenistis vires adderet, eorum errores tueretur, Sedem apostolicam deprimeret, jurisdictionem Episcoporum subverteret, immunitatem ecclesiasticam de medio tolleret, laicamque potestatem, dejecta ecclesiastica, extolleret. » Post hæc quis miretur omnia ejusmodi scriptoris opera relata fuisse in *Indicem librorum prohibitorum?*

Exeunte sæculo XVIII methodo practicæ et historicæ jungi cœpit philosophica, quæ licet jam usurpata a Berardi, præsertim exculta fuit introductione novæ speciei juris, juris nempe ecclesiastici publici. Pro reliquis tamen partitio Justinianea adhiberi solebat.

Verum hæc methodus variis incommodis aperuit januam. Et huic speciatim, quod ea seducti, plures canonistæ methodum historicam, et præcipue practicam neglexerint, cum tamen studium juris canonici proxime et maxime praxim respiciat.

Triplicem hanc methodum jungere conati sunt auctores recentes in Germania Walter, Phillips, Permaneder, etc. Sed in omnibus aliquousque desideratur methodus practica, quam tamen diligentius ac Walter curavit Permaneder et potissimum Phillips.

Nostra methodus erit pariter mixta, philosophica scilicet, historica, et præsertim practica. Eam autem ita adhibere conabimur, ut caveamus a mere practica canonistarum antiquorum, et ab abusibus, quibus recens methodus historico philosophica locum dedit. Nimium enim protractæ elucubrationes historicæ, nimiusque me-

taphysicus rigor auditores defatigant et pariunt confusionem. Exordiemur itaque a fundamento, quod collocabimus in indole positiva seu dotibus Ecclesiæ, ut societatis perfectæ, determinato plane modo, positiva Christi Domini voluntate institutæ; et ab eo profecti ulteriorem ecclesiastici juris explanationem, servata partitione de *personis, rebus* et *actionibus,* seu *judiciis,* prosequemur. Materias autem sub his partibus occurrentes, non secundum libros vel titulos a Lancellotto positos, sed libere, prout nobis utilius visum fuerit, disponemus.

Articulus II.

DE PARTITIONE COMPENDII.

Ex dictis articulo præcedenti manifeste colligitur veteres canonistas in tradendo jure canonico jus publicum a privato non separasse. Et merito quidem, cum jus illud esset ab omnibus acceptum et a nemine negatum. « Sed, inquit Tarquini, *proœm.* p. VI, posteaquam Protestantium seditio in Ecclesia commota est, ordinataque methodo ejusdem potestatem oppugnare ii cœperunt, primi scilicet omnium jus publicum ecclesiasticum, veluti novam quamdam scientiam proponentes, fallacibus quibusdam principiis magna cum arte initio constitutis, logicisque exinde conclusionibus accurate derivatis; posteaquam Protestantium conatus ex ipso Catholicorum gremio ingenti studio Regalistæ exceperunt, eorumque cura nefaria eorum systemata, pluribus ubique editis libris, popularia ferme facta sunt; » ex eo jam tempore auctores Catholici specialem principiorum generalium curam habuerunt, et de jure publico separatim egere.

Hæc causa fuit cur Zallinger, ut ipse fatetur, *prol. ad inst. jur. eccl.* cap. [illegible], vel invitus adductus fuerit, ut hanc methodum amplecteretur. Eadem de ratione Leo XII

peculiarem cathedram institutionum juris publici ecclesiastici in magnis Lyceis Romano et Bononiensi constituit.

Verumtamen hæc divisio non omnibus probata fuit, nec difficultatibus caret. Etenim licet auctores circa fundamentalem ideam juris publici et privati conveniant, ubi tamen utriusque materiam adamussim determinare conantur, circa varias quæstiones discrepant in decidendo, utrum ad jus publicum, utrum vero ad jus privatum pertineant. Præterea, cum præsertim in Ecclesia intime sibi cohæreant bonum publicum et privatum, multæ sunt utriusque juris materiæ adeo inter se permixtæ, ut difficile valeant ab invicem separari; et idcirco plures auctores methodum, quæ eas intermiscet, sin minus aptiorem, saltem faciliorem ad erudiendos auditores etiam hodie prædicarunt.

His ultimis calculum adjicimus, et universam jurisprudentiæ canonicæ et canonico-civilis tractationem in unum corpus redigimus. In singulis autem materiis ita procedimus, ut nihil prætermittamus eorum omnium quæ ad rem faciunt, sive ad jus canonicum publicum, sive ad jus canonicum privatum, commune aut particulare nostræ diœceseos, sive ad jus canonico-civile apud nos vigens, pertineant.

Verumtamen, ut legenti patebit, præcipua juris principia generalia, quæ ad jus publicum spectant, ipsa materiarum natura duce, quæstionibus juris privati antecedent.

Compendium autem in tres partes distribuimus: 1ª pars agit de natura Ecclesiæ ejusque potestate, necnon de personis ecclesiasticis; 2ª de rebus, ubi potissimum de locis ecclesiasticis; 3ª tandem de judiciis, delictis et pœnis ecclesiasticis.

JURIS CANONICI

ET

JURIS CANONICO-CIVILIS

COMPENDIUM.

PARS PRIMA.

DE NATURA ECCLESIÆ EJUSQUE POTESTATE,

NECNON

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

1. Hanc primam partem, ut e titulo liquet, in duas dividimus sectiones. In priori disserimus de principio, cui veluti fundamento jus totum innititur, nempe de natura Ecclesiæ qua societatis perfectæ a Christo Domino institutæ, et de potestate ipsi ex natura sua et positiva divini fundatoris sui voluntate competente. Nobis autem animus non est, de Ecclesia Christi omnes illas agitandi quæstiones, quas theologi ex professo pertractant; eas tantum proponimus, quæ ad statum publicum et politicum Ecclesiæ, seu ad Ecclesiæ jus sociale pertinent. De Ecclesia igitur dicimus, qua societate proprium suum regimen, propriamque suam legislationem habente.

In altera vero sectione tractamus de præcipuis sacræ illius societatis membris, videlicet de personis ecclesiasticis; ibique copiose agimus de subjecto potestatis ecclesiasticæ, seu de personis in quibus residet.

SECTIO PRIOR.

DE NATURA ECCLESIÆ EJUSQUE POTESTATE.

CAPUT I.

DE NATURA ECCLESIÆ.

2. Traditis initio hujus capitis elementis et speciebus societatis generatim sumptæ, indicatisque regulis servandis in statu conflictus, derivatur Ecclesiam esse proprie dictam societatem. Proponuntur dein Ecclesiæ dotes et forma constitutiva. Tandem exhibentur relationes Ecclesiam inter et Statum civilem, sive oriantur ex natura utriusque societatis, sive ex jure communi et hodierna praxi, sive ex concordatis.

Articulus 1.

DE SOCIETATE IN GENERE.

§ 1. *De natura societatis.*

3. Societas est conjunctio plurium hominum, mediis communibus ad certum communemque finem concurrentium.

Quatuor igitur requiruntur et sufficiunt elementa ad societatem constituendum : nempe *a/ pluralitas* hominum; *b/* moralis eorum *conjunctio ; c/ finis* aliquis stabilis et per seriem actuum obtinendus; *d/ media* ad finem consequendum. Sed *e/* ordinarie etiam adest et adesse debet *potestas,* qua dirigatur. S. Thomas, *de regim. princip.* L. III. c. 1.

4. Præcipuum autem societatis elementum est *finis;* quia cetera ad illum ordinantur eique serviunt : propter eum membra coalescunt et media adhibentur. Hinc ex

fine societatis, adæquate considerato una cum sua causa efficiente, seu auctore qui eum proposuit, et modo quo fuit præstitutus, determinantur :

1° *Media societatis*. Hæc enim in se determinari nequeunt, sed tantum pro varia finis necessitate ex eorum proportione et sufficientia ad illius assecutionem; quia media natura sua sunt ad finem ordinata, ita ut eatenus tantum expetantur, quatenus ad finem conducant.

2° *Potestas socialis,* seu complexio jurium, quæ pro sua natura societati competunt. Jus enim est facultas moralis ad illud, quod ad rationis normam alicui competit; ast in qualibet societate quidquid alienum est a fine non est ad rationis normam, quia non habet rationem sufficientem, siquidem ratio sufficiens societatis tota est in fine. Ergo jura omnia, quæ pro sua natura societati competunt, prodeant ex fine necesse est.

Hinc cum societas perfecta ea sit, quæ in se completa est, adeoque media ad suum finem plene consequendum sufficientia in se habeat, tota ejus potestas in suos consistit in jure exigendi quæ necessaria sunt ad finis assecutionem. Ad hoc autem tria requiruntur : ut scilicet possit *a/* media, quæ ad finem conducunt, obligatorio modo proponere; *b/* ea quæ proposita sunt, rite, id est, juxta eum modum ac sensum, quo fuerunt proposita, applicare; *c/* et renuentes eadem applicare vi adhibita cogere, impedientes coercere; consequenter triplex potestas in societate perfecta vi suæ naturæ existat oportet : legifera nempe, judiciaria et coactiva.

3° *Ipsa natura seu essentia societatis*. Et revera « determinare alicujus rei essentiam, idem est ac assignare notam aliquam eidem intrinsecam et immutabilem, quæ sit ei unice propria. Atqui nota intrinseca et immutabilis, quæ singulis societatibus sit unice propria, non potest esse nisi finis; quia ex quatuor elementis duo priora,

id est multitudo hominum eorumque conjunctio, quatenus in se spectantur, abstractione facta a fine, sunt communia generi; tertium autem, id est media, non est, ut statim diximus, per se determinatum, insuper aliis etiam potest esse commune; contra vero quartum, id est finis, in societatum genere est plane indeterminatum, determinatur autem tantum in singulis societatibus, ita ut uniuscujusque sit unice proprium. Ergo ex fine tantum essentia societatum determinari potest.

« Quæ vero societates inter se distinctæ sunt, et nihilominus eumdem adæquate finem habent, eæ sunt totidem repetitiones ejusdem societatis, quæ non natura, sed numero distinguuntur. » P. Tarquini, *op. cit.* n. 7 et 14.

§ 2. *De speciebus societatis.*

5. Variæ sunt societatis species, quarum scitu utiliores pro scopo nostro referimus.

1° Societas est vel *universalis,* vel *particularis.* Homines natura conjuncti efficiunt societatem universalem, quæ jus tantum imperfectum vi naturæ sociis tribuit. Societas vocatur *particularis* seu hypothetica, quando aliqui vel pacto vel lege divina sese invicem astringunt.

Inter quas præcipuæ sunt : *a/* familia seu societas *domestica,* sic dicta eo quod quasi *una domo* contineatur, quæ complectitur societatem *paternam, conjugalem* et *herilem,* quæque bonum temporale et spirituale familiæ sub paterna potestate curat; *b/* societas *civilis,* quæ ad temporalem in terris felicitatem obtinendam sub Principis potestate constituitur; et *c/* societas *religiosa,* quæ ad bonum spirituale procurandum ac æternam in cœlis assequendam beatitatem a potestate ecclesiastica dirigitur. Societas religiosa una est vera, Ecciesia nempe Romano-catholica, de qua sola nobis infra sermo.

2° Societas est vel *temporalis,* vel *spiritualis,* prout finis ejus est vel bonum humanum et temporale, seu felicitas temporalis sociorum, vel bonum spirituale sociorum, seu singulorum sanctitas et æterna beatitudo.

3° Societas, sive temporalis, sive spiritualis, est vel *libera* seu *voluntaria, pactitia ,* vel *necessaria* seu *legalis,* prout originem habet consensionem sive pactum sociorum, vel voluntatem fundatoris. A necessariis se abstinere sine piaculo subditi fundatoris non possunt; voluntariis vero nulla est obligatio sese adscribendi.

Hinc *a/* quamvis conceptus societatis involvat ideam causæ qua exstiterit, causa tamen illa non est determinata, nec eadem pro omni societate. Consequenter falso nonnulli affirmarunt omnes societates esse *pactitias,* sicut errarent illi, qui dicerent omnes societates esse *necessarias.*

b/ Societatis forma, dotes, regulæ harumque duratio, immutatio et interpretatio, necnon jura et officia sociorum pendent ab origine seu causa; hæc enim et alia determinantur vel per socios, si societas est pactitia, vel per fundatorem, si est legalis.

c/ Societatis legalis fundamentale principium est, in ea nihil posse membra contra voluntatem fundatoris.

4° Omnis societas, sive necessaria sive libera, est vel *perfecta,* vel *imperfecta,* prout est instructa iis mediis, quibus efficaciter finem sibi propositum potest obtinere; vel caret aliquo medio ad finem suum necessario.

5° Societas est vel *æqualis,* seu æqualium, vel *inæqualis,* seu inæqualium, prout in ea abest, vel adest relatio quæ existit inter superiores et inferiores.

In societate legali necessario adest illa relatio fundatorem inter et socios; sed potest adesse vel abesse, juxta voluntatem fundatoris, inter ipsa societatis membra. Investiganda igitur est fundatoris voluntas, ut sciatur an

dentur inter socios superiores et inferiores, propterea quod aliquorum sit præesse et imperare, aliorum vero obtemperare et subjectos esse; consequenter an in societate quibusdam membris collata sit, necne, potestas præcipiendi, judicandi, et puniendi. Si enim fundator veram societatem publicam instituerit, et aliquibus auctoritatem tribuerit in reliquos, hoc ipso voluit, ut triplex illa potestas iisdem competeret. Sin autem aliquam duntaxat corporationem, privatorum negotiorum finem habentem, crearit, talis potestas merito ejusmodi societati poterit denegari.

6° Omnis societas est *dependens,* vel *independens,* prout alteri societati in suo ordine subordinatur, vel non. Si voluntate fundatoris societas habeat finem in eodem ordine inferiorem fine alterius societatis, erit societas ab altera dependens, ejusque potestas, constitutio, finis et media erunt subordinata societati superiorem finem habenti. Sin vero societas habeat finem prorsus distinctum et alterius ordinis, erit independens, ejusque potestas, constitutio, finis et media nulli erunt in suo ordine alteri societati subjecta. Sed etiam nullum adversus alteram ei competet imperium. Utrique tamen mutuum jus est cavendi ne una alteri impedimento sit, aut præjudicium afferat.

Quæ si serventur, societas in *statu concordiæ* erunt, secus in *statu conflictus.*

6. *Nota.* Natura societatis personarum individualitatem non tollit. Id maxime verum est de societate spirituali, quæ tum formam suam socialem ac regulas ordini externo servando necessarias, tum singulorum membrorum sanctitatem et salutem curare debet; quæque proin duplex habet forum : nempe *externum,* in quo publicum societatis ordinem tuetur, et *internum,* in quo singulorum conscientias dirigit ad finem suum supernaturalem.

Quare si societas quædam spiritualis sit ab omni alia independens, independens ea erit non tantum in foro interno, sed etiam in externo.

§ 3. *De statu conflictus.*

7. Duæ societates dicuntur esse in statu conflictus, cum una finem suum prosequi nequit, quin alteram impediat. Conflictus profecto oriri potest, potissimum inter societates independentes seu impares, iisdem coalescentes membris, cujusmodi sunt Ecclesia et status civilis. Quo casu ut definiatur utra debeat prævalere, regulæ proponuntur sequentes.

1° Imprimis videndum est ad cujusnam societatis ordinem res, de qua ambigitur, pertineat. Judicium autem de ordine, in quo res versatur, spectat ad societatem, quæ excellentiorem finem habet, reservato quoad inferiorem jure ea, quæ sui intersunt, exponendi. Absurdum enim esset boni minoris gratia majus bonum in discrimen vocare. Atqui vocaretur, nisi in re dubia judicium societati superiori ratione finis reservatum esset. Sed etiam judicium rectum ferri nequit, nisi libratis hinc inde rationibus; hinc audiri debent ii, quorum interest.

2° Si illa ratione lis componi nequeat, amica conventio tentanda est. Sed hæc ita iniri debet, ut nihil statuatur contrarium utriusque societatis fini et constitutioni.

3° Si neutro ex præcedentibus modis concordia iniri possit, et summo jure agere velit utraque societas, tunc prævalere debet illa, quæ altioris ordinis finem habet. Hanc regulam sic probat P. Tarquini, n. 32 :

« Ex duabus obligationibus eidem subjecto inhærentibus, quæ in conflictum devenerint, ea prævalere debet, quæ majus bonum tuetur. Atqui duæ vel plures societates iisdem membris coalescentes, rationem habent

plurium obligationum eidem subjecto inhærentium. (Neque enim aliud est societas, nisi hominum multitudo hoc sub respectu considerata, quod mutuam obligationem iidem susceperint sive ultro, sive imperio ejus, qui eam legitime imponere potuit, conferendi vires suas ad certum finem consequendum.) Ea autem societas majus bonum tuetur, quæ altioris ordinis finem habet. Ergo ex duabus societatibus, quæ in conflictum devenerint, ea superare debet, quæ altioris ordinis finem habet. »

Nec dicatur, quod ita una societas constituatur dependens ab altera. Etenim non declaratur finis unius inferior fini alterius in eodem ordine; sed indagatur utrius finis, ceteris paribus, sublimior sit magisque necessarius; quo indagato, ratio ipsa manifestum esse ostendit ei societati, adeoque potestati esse favendum, quæ eo modo sublimior magisque necessaria est. De summo jure agitur; medium solvendi difficultatem adsit oportet; aliunde autem peti nequit.

Articulus II.

DE INSTITUTIONE ECCLESIÆ UT SOCIETATIS.

§ unicus. *Christus ipse Ecclesiam suam instituit ut veram et proprie dictam societatem.*

8. Ecclesia vi nominis, quod est a græco ἐκκαλέω *convoco,* latine sonat convocationem, aggregationem vel cœtum personarum. Apud nos est cœtus Christi fidelium, qui in terris vivunt, ac definitur a Bellarmino, L. III. *de eccl. milit.* cap. 2 : *Cœtus hominum, ejusdem fidei christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii, Romani Pontificis.*

Ex hac definitione patet Ecclesiæ inesse omnia societatis elementa. Etenim *a/* exprimuntur pluralitas et conjunctio membrorum, seu socii : *cœtus hominum ; b/* insinuatur finis; nam finis Ecclesiæ idem est ac Religionis christianæ, seu finis proximus et remotus per professionem veræ fidei et sacramentorum communionem obtinendus; *c/* indicantur media ad finem, *professio fidei* et *sacramentorum communio ; d/* tandem potestas : *sub regimine,* etc.

9. Jam vero luculenter ostenditur in præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 20 ss., Christum Dominum Ecclesiam instituisse; si igitur semel constiterit ipsum omnia illa elementa positiva sua voluntate determinasse, manifeste apparebit, Ecclesiam a Christo fuisse institutam ut veram et proprie dictam societatem. De ea autem per Christum designatione elementorum constat.

Christus enim determinavit 1° *socios;* omnium enim temporum, omnium locorum homines voluit fieri Ecclesiæ suæ membra. Ab ipso Christo instituta et missa fuit Ecclesia ad docendas *omnes gentes* (Matth. XXVIII, 19); ad prædicandum Evangelium *omni creaturæ* (Marci XVI, 15). Docere igitur debet et individuos et status, cujuscunque sint formæ.

2° *Finem communem,* proximum sc. singulorum perfectionem et sanctitatem, remotum et mediatum per priorem obtinendum, æternam beatitudinem. Ecclesia enim sæpe dicitur *regnum Dei, regnum cœlorum,* regnum videlicet in terris de regno cœlesti participans, et ad regnum cœleste disponens; quæ appellatio aliud significare nequit nisi salutem æternam per hanc societatem obtinendam; siquidem nullo alio pacto dici possit regnum Dei et regnum cœlorum, nisi ratione originis et finis; nam in ceteris est terrena, id est ex hominibus in terra degentibus conflata. Deinde pandit Christus Domi-

nus totam rationem instituendæ Ecclesiæ, nempe vitam æternam, quando ait Jo. x. 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Cf. præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 36.

3° *Media ad finem,* quorum præcipua sunt : fidei professio, (Marci, l. c. ; Luc. XII, 8 ; Heb. XI, 6 ; ROM. X, 10) ; sacramenta, baptismus imprimis et Eucharistia (Matth. et Marci l. c. ; Jo. III. 5 ; I Cor. XII, 13) ; subjectio debita præpositis (Matth. XVIII, 16 ss. ; Ephes. IV, 1-16 ; I Cor. XII), quæ omnia vincula sunt quibus fideles adunantur.

4° *Potestatem* seu *imperium ; a/* potestatem docendi seu *magisterium,* (Matth. XXVIII, 19 s.) et quidem cum prærogativa infallibilitatis, qua donatur et ipsa Ecclesia, et Caput ejus visibile, R. Pontifex e cathedra loquens. Conc. Vatic. Sess. IV. cap. 4 : « *Docemus,* ait, *et divinitus revelatum dogma esse definimus, Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit ; per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse. — Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit ; anathema sit.* « *b/* Potestatem regendi seu *jurisdictionem* (Jo. XX, 21, 23 ; Matth. XVIII, 15) ; *c/* potestatem ordinis seu *ministerium* (Matth. XXVI ; Jo. XIII).

10. Hæc omnia confirmantur ex eo quod Christus Ecclesiam suam expresserit typis formam socialem referentibus, typis sc. *regni, civitatis, ovilis, gregis, corporis.*

De divisione Ecclesiæ cf. Præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 1-3.

Alia argumenta omittimus; quia vix reperire est, ut bene notat Bouix, *De princ. jur. can.* p. 406, etiam inter hæreticos, qui negare ausi sint inditam a Christo fuisse Ecclesiæ suæ formam socialem, licet in determinando quænam sit illa forma, multum aberraverint.

Articulus III.

DE DOTIBUS ECCLESIÆ.

Acturi de qualitatibus, quæ ex originaria Ecclesiæ natura ipsi a Christo indita profluunt, articulum inscribimus de *dotibus,* potius quam de *proprietatibus* Ecclesiæ, ut hoc ipso præmoneantur auditores, nos non easdem prorsus ac theologos qualitates proponere, utque ita vitetur rerum confusio. Nobis enim de qualitatibus Ecclesiæ disserendum est, non tam relate ad ceteras societates seu sectas religiosas, quam relate ad societates civiles.

§ 1. *Ecclesia Christi est societas spiritualis.*

11. Ecclesiam Christi esse societatem spiritualem, et non temporalem, satis manifeste colligitur ex dictis de ejus institutione, ex fine tum proximo, tum remoto, necnon ex mediis ad finem, quæ omnia vel ex se, vel saltem ratione finis supernaturalia sunt; nam ad finem spiritualem, videlicet ad salutem et beatitudinem æternam, collimant.

§ 2. *Ecclesia Christi est societas externa.*

12. Ecclesiam esse societatem visibilem, externam, probatur 1° ex variis momentis et rationibus in ipsa Ecclesiæ natura fundatis. Etenim *a/* Ecclesia est societas

constans, non spiritibus tantum, sed hominibus, sub regimine legitimorum pastorum veram Religionem profitentibus, et qua talis necessario visibilis est et externa.

b/ Est societas necessaria, ut statim videbimus, ad quam ineundam omnes homines obligantur præcepto Christi. Requiritur ergo ut Ecclesia sit omnibus visibilis et conspicua; alias Christus dedisset præceptum, quod adimpleri non posset.

c/ Media ad finem Ecclesiæ consequendum pleraque sunt externa : nempe fidei professio, juxta illud Apostoli ad Rom. x. 10 : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* cultus externus; sacramenta, quæ signa sunt externæ consociationis; relatio externa inter ipsa membra, quæ Christus voluit conjuncta esse in charitate (Jo. xvii. 20 ss.).

2° Ex verbis Christi, qui Ecclesiam suam expressit typis externam societatem designantibus. Vide supra n. 10.

Ergo, ait Bouix, non tantum falsa est, quam excogitaverunt Protestantes, invisibilis Christi Ecclesia seu societas animorum, sed ridiculum et naturæ rei oppositum figmentum. Cf. præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 56 ss.

§ 3. *Ecclesia Christi est societas legalis, seu necessaria.*

13. Hujus propositionis duplex est sensus, uterque verissimus. Unus : Ecclesia constituta est per voluntatem imperantem Christi; alter : Ecclesia ex lege Christi est ab omnibus necessario ineunda.

I. Quoad sensum priorem, adversus novatores sæculi xvi duo sunt stabilienda; nempe 1° Christum non *doctoris* tantum sed *veri legislatoris,* seu præcipientis, auctoritatem habentis, munus obivisse; 2° Christum hoc eodem munere functum esse in instituenda Ecclesia sua.

Primum probatur ex S. Scriptura. *a*/ Nisi velimus

ipsa Religionis christianæ evertere fundamenta, admittere debemus de Christo verificata esse, ea omnia quæ de ipso prædixerunt veteris Testamenti libri; atqui et nomen et officium legislatoris in eis Christo tribuitur; nam Is. XXXIII. 22, dicitur *Dominus legifer noster;* et Jer. XXX. 9, Oseæ III. 5, dicitur *Rex* suscitandus a Domino; ergo.

b/ In novo Testamento Christus partim abrogavit, partim perfecit legem Mosaicam, eique substituit legem Evangelicam, quod certe solius imperantis et legislatoris est. Cf. Lucæ XVI. 16; Matth. V. 17 et XIX. 7. Dein in Evangelio passim loquitur de sua lege; v. g. Jo. XIV. 15 et XV. 10; Matth. XXVIII. 20. Tandem ad Hebr. II, Apostolus confert inter se Christum et Moysen, tanquam duos legislatores, alterum veteris, alterum novi Testamenti, et ex eo quod transgressores legis a Moyse datæ puniti sint, concludit transgressores legis a Christo latæ multo magis puniendos esse. Quare merito Concilium Tridentinum, *de justif.* Sess. VI. can. 21, definit : *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

Objici quidem potest illud Jo. I. 17 : *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est;* et Gal. III. 13 : *Christus nos redemit de maledicto legis.* Sed facile objectiones solvuntur, ut videre est apud Becanum, *Anal.* cap. V. q. IX, et apud S. Scripturæ interpretes.

Probatur *secundum*. Auctoritate usus, legislatoria sua potestate determinavit Christus omnia Ecclesiæ suæ elementa.

a/ Antequam Apostolos suos mittat in mundum universum, ad potestatem suam provocat dicendo Matth. XXVIII. 18 : *Data est mihi omnis potestas in Cœlo et in*

terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Quod idem est ac præcepisse ut christiana societas institueretur.

b/ Præcepit finem obtinendum per cultum Religionis, tum quoad partem theoreticam (Marci XVI. 16), tum quoad partem practicam (Matth. XXVIII. 20); et ita quidem præcepit, ut supplicium æternum minatus sit iis qui finem non attingerent.

c/ Præcepit media adhibenda : tulit legem Baptismi (Jo. III. 5); Eucharistiæ (Jo. VI. 54); imperavit fidei professionem (Marci XVI. 16), et alia.

14. His positis, merito dicimus Ecclesiam stare lege Christi; eamque esse quia Christus voluit ut esset, et talem esse qualem ipse voluit. Unde sequitur :

1° Principium Ecclesiæ constitutivum non esse a jure naturæ vel gentium repetendum, sed a positiva voluntate Christi.

2° Falsam esse doctrinam Protestantium, qui ex erroneo principio quod Christus non legislatoris, sed doctoris duntaxat munere sit functus, deducunt Ecclesiam esse societatem pactitiam.

3° Juri conventionali locum nullum in Ecclesia esse, quoad ea omnia quæ Christus ipse determinavit, sed quoad ea tantum, quæ superioribus Ecclesiæ determinanda reliquit.

II. Posterior sensus dilucide probatur et explicatur in Præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 39-52.

§ 4. *Ecclesia Christi est societas inæqualis.*

15. Sensus propositionis est, non omnia Ecclesiæ membra esse æqualia; sed inter ea alios esse superiores seu qui jure divino imperant, alios vero inferiores, seu qui obedire tenentur.

Probatur 1° *ex facto ipsius Christi,* qui tum missionem,

tum rerum sacrarum administrationem, tum veram regiminis auctoritatem S. Petro et Apostolis solis, eorumque in sacerdotio et officio commisso successoribus immediate contulit. (Jo. xx. 11 et xxi. 15-17; Matth. xxviii. 18 et xviii. 15).

2° *Ex dictis et factis Apostolorum.* Hanc potestatem divinitus sibi traditam non solum scriptis, v. g. Act. xv. 41 et xvi. 4; i Thess. iv. 2; ii Thess. iii. 14; ii Cor. xiii. 10; verum etiam factis Apostoli confirmarunt. Namque concilia celebrarunt, de fide et moribus decreta ediderunt, leges disciplinæ tulerunt, latasque abrogarunt, Pastores et ministros in diversis hierarchiæ gradibus instituerunt, in reos et contumaces animadverterunt. Cf. Act. vi, viii, xiv et xx; i Tim. i et iii. 1-10; Tit. i. 6 ss.

3° *Ex testimoniis.* SS. Patres et scriptores ecclesiastici, quorum scripta ad nos pervenerunt, testantur formam Ecclesiæ sæculo i et ii fuisse inæqualem. Habemus itaque consensum in facto asserendo testium numero plurimorum, qui scientia, veracitate et pietate clari, scripserunt in diversis et longe dissitis regionibus. Hujus consensionis ratio alia dari non potest, quam doctrina biblica et prisca traditio. Inter alios, non tanquam doctores, sed tanquam hujus facti testes loquuntur SS. Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Irenæus, Cornelius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus quoque et Origenes.

Pro majori totius probationis dilucidatione remittimus ad Præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 127 ss. 134 ss.

16. *Obj. a/* Christus dedit Apostolis potestatem, eamque ipsi exercuerunt; sed illa potestas, in Ecclesiæ primordiis necessaria, vita functis Apostolis, exstincta est. Ergo.

R. Ea opinio Moshemii nullo argumento stabilitur, et est manifeste contraria SS. Litteris et rationi. *SS. Lit-*

teris, cum Christus ipse significaverit, potestatem Apostolis traditam perpetuo duraturam esse (Matth. XXVIII. 18-20). Præterea SS. Litteræ jubent, non modo Apostolis, verum etiam suis *præpositis,* unumquemque obedire et subjectum esse; ex quo perspicuum est Ecclesiæ præpositis potestatem esse imperandi (Heb. XIII. 17; Act. Ap. XX. 28). *Rationi;* si enim Apostolorum ætate necessaria erat potestas, qua Ecclesia regeretur, ea vel maxime necessaria fuit sublatis Apostolis, quia par est utriusque temporis ratio, ne sc. Ecclesia sine certa gubernatione et imperio relinqueretur; ex quo maxima rerum confusio orta esset, nec diu stare potuisset. Soglia, tom. I. L. I. § 10.

Obj. b/ Ea est indoles Religionis, ut imperium omnino respuat.

R. Dist. Agitur vel de Religione suscipienda, vel de Religione suscepta. Religio libera dicitur, quatenus ad eam suscipiendam nemo invitus compelli debet, nec vero potest, juxta illud S. Bernardi, *Serm. 66 in Cantic.* : « fidem suadendam, non imperandam. » Verum in eos, qui Religionem susceperunt, Ecclesia jure suo potestatem exercet, ad conservandam unitatem, pietatem, ordinem, honestatem, ad malos cohibendos castigandosque. Ibid. § 11.

Obj. c/ Potestas ecclesiastica proprie et radicaliter residet in fidelium communitate, instrumentaliter tantum in ministris a communitate deputatis; jus enim habet populus christianus eligendi ministros, qui potestatem executioni mandent.

Responsum datur peremptorium in Præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 129.

17. Ex probatis deducitur 1° falsam esse opinionem Protestantium, qua contendunt in Ecclesia aliam relationem superiores inter et inferiores non esse, nisi eam,

quæ existit inter doctores et auditores, vel saltem quæ ab hac parum differt.

2° Falsum esse systema Richerii, qui sæculo XVII, in libello *De ecclesiastica et politica potestate,* inter alia docet, potestatem sacram proprie, primario et essentialiter traditam esse a Christo toti fidelium cœtui; Papæ vero, Episcopis et Presbyteris instrumentaliter, ministerialiter et quoad executionem. Cf. Præl. theol. dogm. gen. P. III. n° 123 et 205 ss.

3° Idem asserendum de doctrina eorum, qui Richerismum postea instaurarunt, ut sunt Jansenistæ, inter quos Quesnellus, et Neo-canonistæ Germani, inter quos Febronius primas partes tenet.

4° Illas ecclesias Christi non esse, quæ non sunt constitutæ juxta formam inæqualem.

5° In Ecclesia fundamentale esse principium, nihil posse inferiorem contra voluntatem superioris.

6° Solis superioribus ecclesiasticis competere potestatem *magisterii,* quæ res fidei et morum docet atque definit; *ministerii,* quæ sacramenta resque sacras administrat; *imperii* seu *regiminis,* quæ ad Ecclesiæ gubernationem spectat, sibique conjunctam habet auctoritatem leges condendi, judicandi et puniendi.

7° Ad eosdem pertinere reformationem rerum ecclesiasticarum, et jus conventionale, quatenus in Ecclesia admitti potest.

8° Ecclesiam Christi principio auctoritatis totam initi. Cum autem natura legislationis necessario sequatur naturam societatis, cujus est legislatio, hæc quoque principio auctoritatis innitatur necesse est.

§ 5. *Ecclesia Christi est societas perfecta, adeoque independens.*

18. I. *Perfecta.* — Manifestum erit Ecclesiam esse societatem perfectam, si constiterit Fundatorem ejus et *potuisse* et *voluisse* eam ut talem instituere. Jam vero utrumque constat. Potuit; nam fatentibus etiam adversariis, Regalistis, Christus est Deus. Voluit; cum enim velit omnes homines salvos fieri, eosque in Ecclesia, et non extra illam, salvos fieri, debuit necessario Ecclesiam suam instruere omnibus mediis necessariis ad finem suum, æternæ sc. vitæ adeptionem, consequendum; quod idem est ac societatem perfectam instituere, siquidem perfectio consistat in rei ad finem proportione et sufficientia. Qui enim vult finem, debet velle media.

Eadem veritas probari potest ostendendo absurdum propositionis contradictoriæ « *Absurdum est asserere, divinum Ecclesiæ Institutorem noluisse eam constituere societatem perfectam.*

« *Prob.* Absurdum est, Christum Deum non sufficienter Ecclesiæ suæ providisse. Non providisset autem, nisi talem potestatem eidem dedisset, quæ media omnia ad finem consequendum sufficientia complecteretur, quod est societatem perfectam instituere. Ergo etc.

« *Prob. min.* Si media ad finem Ecclesiæ consequendum penderent ab alia societate, id est, a societate civili, *a/* recta Ecclesiæ administratio fere precaria esset; *b/* ejusdem unitas pro varietate consiliorum variarum societatum civilium in perpetuo discrimine versaretur; *c/* per tria priora sæcula, hodieque etiam in regionibus infidelium, Ecclesia ipsa suis hostibus fuisset dedita. Atqui id profecto est, non bene eidem providisse. Ergo, nisi Christus Ecclesiam suam constituisset societatem perfectam, non bene eidem providisset, quod est absurdum. « P. Tarquini. L. I. n. 43.

19. II. *Independens.* — « Cum catholica Ecclesia, ait SS. Pius IX, *in Litt. ap. 26 Martii 1860,* a Christo Domino fundata ad sempiternam hominum salutem curandam, *perfectæ* societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo *nulli civili potestati subjaceat.* »

Probatur 1° *ex natura Ecclesiæ.* Illa societas est ab omni alia prorsus independens, quæ habet finem sibi proprium, et media sibi propria. Atqui talis est Ecclesia; finem enim habet et media ad finem prorsus distincta a fine et mediis societatis civilis. Finis societatis civilis est tranquillitas, ordo, felicitas temporalis civium; media sunt naturalis, temporalis ordinis. Finis autem Ecclesiæ est tum fidelium supernaturalis perfectio et sanctitas, tum sempiterna felicitas; media etiam sunt supernaturalis ordinis. Ergo Ecclesia est societas specialis et distincta a civili, nullatenus ab ea dependens.

2° *E sacra Scriptura,* ut præclare Bellarminus, L. I. *de Rom. Pont.* cap. VII : « Regimen Ecclesiæ, ait, supernaturale est; nemini igitur convenit, nisi cui Deus commisit. Legimus autem in Scripturis commissum Apostolis, et Episcopis eorum successoribus; nam de Petro Apostolo dictum est Jo. ult. *Pasce oves meas;* et Episcopis dicitur Act. XX : *Quos posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei;* de regibus nihil hujusmodi unquam legimus. »

Eodem loco ex verbis Apostoli I Cor. XII, et Ephes. IV : *Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores et Doctores,* sic ratiocinatur : « Si primi sunt Apostoli, qui Episcopi fuerunt, et quibus Episcopi succedunt, certe primi non sunt Reges et Principes sæculi; imo, ut recte adnotavit Damascenus, *in 2ª orat. pro imagin.,* Apostolus Reges non solum non posuit

primo loco, sed nec ullo alio, ut indicaret non esse Reges Ecclesiæ magistratus, sed tantum sæculi. »

Argumenta illa confirmantur *a/* ex dictis et factis Christi Domini. Christus non tantum hanc statuit legem fundamentalem : *Reddite quæ sunt Cesaris, Cesari, et quæ sunt Dei, Deo,* secundum quam, relicta Principibus integra rerum profanarum cura et administratione, ea quæ ad Religionem et salutem animarum spectant, ad Ecclesiæ principatum revocavit; verum etiam prædixit a Principibus multa Apostolos esse passuros; in rebus ad Ecclesiam spectantibus noluit principibus obtemperari; Ecclesiam suam instituit invitis Principibus civilibus, ejusque regimen concredidit certis quibusdam et electis a se hominibus, et de Principibus ne mentionem quidem fecit.

Profecto res spirituales regulare non possunt Principes, qua Principes; ast ne dicas id penes ipsos esse per baptismi susceptionem; nam qua tales in Ecclesiam sunt recepti ut ab ea pascantur et regantur, nullatenus vero ut eam pascant vel regant.

b/ Ex facto Apostolorum, qui voluntatem divini sui Magistri executioni mandantes, Principibus, dum de rebus Ecclesiæ agebatur, restiterunt, atque multa circa res sacras propria auctoritate statuerunt et præscripserunt absque ullo Principum interventu.

Hæc ratio est, cur ab initio fideles Principibus, in Ecclesiam sibi potestatem assumentibus, obedire noluerunt, et Patres contra Imperantes civiles sacra invadentes vocem extulerunt. Ut inter plures unum citemus, S. Gelasius scripsit ad Anastasium : « Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus regitur, sacerdotalis auctoritas, et regalis potestas. Utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est. »

Quam quidem doctrinam professi sunt multi Reges at-

que Imperatores, etiam pessimi, quos citat P. Tarquini, L. I. n. 44. Cf. Præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 133 ss.; Bouix, *de princ.* p. 412.

20. *Obj.* 1° Ecclesia necessario pendet a Statu civili; *a/* Ecclesia enim non habet territorium; ast *b/*, saltem si distributim sumatur, est pars societatis civilis, in cujus sinu coalescit, juxta verba S. Optati Milevitani L. III. *de schism. Donat.* : *Ecclesia est in Republica, non Respublica in Ecclesia.*

R. ad *a/* Ecclesia non habet territorium, id est, non habet locum, ubi jure pollet exercendi potestatem sibi divinitus collatam; *neg.* Territorium quidem pertinet ad Principes civiles, ut temporalem curent suæ societatis finem; sed pertinet quoque ad Ecclesiam, ut finem suum, qui est supremus, et cui temporalis subordinatus esse debet, prosequatur. Cum autem nemo sit hominum, qui fine Ecclesiæ non adstringatur, ideoque Ecclesia sit societas natura et institutione sua catholica, totus terrarum orbis est territorium Ecclesiæ juxta ipsam divinam voluntatem expressam Matth. XXVIII. 18-20, Marc. XVI. 15, et alibi. An Christus Deus non habebat jus Ecclesiam suam in isto territorio ædificandi, et an reipsa pro omnibus non ædificavit? An forsan quis ausus fuerit dicere eum ædificasse in territorio alieno, sc. Principis, et consequenter ædificium ad Principem pertinere?

Ad *b/* negatur 1° suppositum. Supponunt enim adversarii Ecclesiam, cum de ejus natura ac juribus agitur, distributim sumi posse, ita ut tot fere corpora habeat quot sunt societates civiles in quibus vivit, quod est falsum. Ecclesia enim, quamvis pro facilitate regiminis dividatur in Episcopatus, Archiepiscopatus etc., una est non modo unitate fidei et charitatis, verum etiam unitate finis atque regiminis, sub communi omnium capite Romano Pontifice, adeoque una unitate corporis.

2° Quinimo etiam admisso, non concesso, quod supradictæ divisiones sint Ecclesiæ partes, nondum sequitur quod Ecclesia etiam particularis sit pars societatis civilis. Etenim finis utriusque societatis est omnino diversus; ex finis autem diversitate merito concluditur ad diversitatem societatum; et tamen pars debet esse ejusdem naturæ ac suum totum. Dein finis Ecclesiæ est multo excellentior, nam est supernaturalis, adeoque repugnat ut in fine inferiori, præsertim naturali, contineatur.

Sequitur perperam ab adversariis objici auctoritatem S. Optati, cujus verba alio omnino sensu sunt exponenda, ut videre est in Præl. theol. dogm. gen., P. III. n. 140.

21. *Obj.* 2° Duæ societates iisdem membris coalescentes, quarum utraque *perfecta* est, et consequenter duæ potestates *summæ* in eadem civitate, quemadmodum duo in eodem corpore capita, repugnant; quod aliis verbis tradit axioma : *Status in Statu repugnat.* Insuper inde frequens oriretur conflictus et maxima necessario nasceretur confusio. Jam vero societas civilis ex omnium gentium consensu perfecta est, ejusque potestas summa. Ergo Ecclesia non est societas perfecta, ejusque potestas nec summa est, nec esse potest.

R. *Dist.* Status in Statu repugnat, si ad unum eumdemque finem contendant. C. Si ad diversum finem, *subd.* dum agitur de finibus sibi absolute oppositis C.; dum vero agitur de finibus coordinatis, ita ut finis unius sit subordinatus fini alterius, N.

Jam vero *a*/ Ecclesia non habet eumdem finem ac societas civilis, sed plane diversum; *b*/ earumdem fines sibi invicem non opponuntur, sed mirifice se mutuo adjuvant (*infra*); *c*/ fines illi inter se sunt coordinati, ita ut finis societatis civilis Ecclesiæ fini subordinatus sit (*infra*).

Quapropter, si qui oriantur conflictus, ex regulis ab ipso jure naturali propositis facile poterunt componi; et

quoniam societas civilis et ecclesiastica non status in statu, sed status in una civitate duo sunt, diversi omnino generis et naturæ, iique coordinati, omnis pugna tollitur atque rerum confusio ex finis et objecti diversitate.

Quia igitur Ecclesia est independens, independentem eam dicamus necesse est in omnibus, quæ ad ejus ordinem spectant ; sc. in triplici potestate magisterii, ministerii, regiminis, et huic conjuncta potestate legislativa, judiciaria et coercitiva.

22. Ex his deducitur : 1° merito proscripsisse SS. Pium IX, in *Syllabo* adjecto *Encyclicæ* 8 Dec. 1864, seqq. propositiones :

Prop. XIX. *Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis ; sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat.*

Prop. XX. *Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet, absque civilis gubernii venia et assensu.*

Prop. XLIV. *Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt ; quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione, et dispositionibus, ad ea suscipienda necessariis, decernere.*

Prop. LI. *Imo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quæ episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.*

Prop. LIV. *Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.*

Cf. etiam propositiones XXXIII, XXXVI, XXXIX, XLI, XLV ad XLVIII, L, LII, LIII, LXVIII ad LXXI et LXXIV.

2° Falsum esse systema Marsilii Patavini, qui adjutus opera Joannis Janduni, docebat in libro *Defensor pacis* an. 1324, potestatem ecclesiasticam proprie et primario competere communitati; hanc potestatem translatam fuisse in Principes, si essent fideles; sin infideles, in Episcopos, non tamen sine subjectione tum populo ipsi, tum Principibus.

3° Rejiciendam esse doctrinam Gallicanorum, qui adhærent Declarationi dictæ cleri gallicani 1682, Jansenistarum, Regalistarum, Josephistarum, Pistoriensium et aliorum, qui juribus Ecclesiæ ita detrahunt, ut res, si non spirituales, at certe spiritualibus annexas, et *disciplinam Ecclesiæ externam* potestati civili subjiciunt.

4° Rejicienda esse, inter alia systemata Protestantium, *a/ episcopale,* quo jura episcopalia, non exceptis juribus pontificiis, Principibus tribuuntur; *b/ territoriale,* quod innititur hisce principiis : *Ecclesia est in Statu; Cujus est regio, illius est religio.* Hoc systema Principi civili non præcise summi Episcopi dignitatem adscribit, sed ipsi jurisdictionem sacram tribuit in omnes ecclesias particulares sui territorii, vi imperii territorio et statui inhærentis; atque ita regimen ecclesiasticum partem potestatis civilis constituit; *c/ collegiale,* quod vult Ecclesiam nihil aliud esse, nisi quamdam membrorum æqualium collectionem, seu collegium sub inspectione et directione Status.

Collegii autem nomine communiter intelligitur societas quædam minor et imperfecta, respectu alterius societatis majoris et perfectæ, intra quam continetur; v. g. societas negotiatorum in aliqua societate civili. Inde systema collegiale civili potestati tribuit jus dirigendi Ecclesiam, sicut dirigit cetera collegia et privatorum civium actiones. In hoc systemate jura alia sunt *collegialia,* quæ collegio, seu cœtui fidelium pro tempore saltem competunt;

alia *majestatica,* seu *jura Imperantis circa sacra,* quæ ad Principem spectant. Huc pertinent *jus cavendi,* sub quo *placetum regium, appellatio ab abusu,* et *jus regendi.* Ex his colligitur errores modernos circa relationes Ecclesiam inter et Statum civilem magnam habere affinitatem cum hoc systemate a Puffendorf et Pfaff invento, et a Boehmero vulgato.

Plura a Protestantibus excogitata Ecclesiæ systemata refert P. Tarquini, L. II. n. 6. Cf. Card. Gousset, *théol. dogm.* P. II. n. 1089; Mgr Parisis, *des empiètem.* 2 p. II. *Droit divin dans l'Église,* § 2 et 3. 1846.

§ 6. *Ecclesia est qualibet societate superior.*

23. Quoniam quæcumque ab hominibus legitime expetuntur, ea vel æterna, vel temporali felicitate continentur, quælibet, quam ineunt, societas ad Ecclesiam vel societatem civilem reduci debet. Quamobrem societates omnes his inferiores, respectu habito ad Ecclesiam, sunt vel *homogeneæ,* seu Ecclesiæ partes, eumdem ac Ecclesia saltem partialiter finem habentes, v. g. ordo aliquis religiosus; vel *heterogeneæ,* seu partes societatis civilis, quandoquidem finem ab Ecclesiæ fine diversum sequantur; cujusmodi v. g. sunt collegia militum, negotiatorum, etc.

Præsens igitur controversia tota reducitur ad superioritatem Ecclesiæ respectu societatis civilis Catholicorum. Etenim nulli dari potest dubium, quin societates homogeneæ sint Ecclesia inferiores, utpote hujus partes. Dein si ostendatur ipsam societatem civilem esse Ecclesia inferiorem, idem a fortiori concludetur de societatibus heterogeneis, quandoquidem istæ sint ipsius societatis civilis partes.

Superioritas duplex considerari potest : una dignitatis et honoris; altera auctoritatis et jurisdictionis.

I. Ad primatum dignitatis quod spectat, licet societas civilis sit in suo ordine ab Ecclesia independens, et in rebus temporalibus, sub respectu sc. finis temporalis, Ecclesia nihil possit in societate civili, hæc tamen, fatentibus omnibus catholicis, honore et dignitate Ecclesiæ inferior est, eique in conflictu cedere debet.

Et revera Ecclesia præcellit Statui, *a/* ratione originis; hic enim institutionis humanæ, illa institutionis divinæ est; *b/* ratione extensionis; territorium Ecclesiæ est universus terrarum orbis; territorium vero cujuslibet Status limitibus est circumscriptum; *c/* ratione constitutionis; Ecclesia fundata est supra leges æternas et immutabiles; Status vero supra leges humanas et mutationi obnoxias; *d/* et præcipue ratione finis; etenim societas civilis felicitati temporali quærendæ vires intendit; Ecclesia vero felicitati spirituali et adeptioni vitæ æternæ. Finis autem spiritualis et æternus tantum prævalet temporali et transitorio, quantum anima prævalet corpori, quantum cœlestia terrenis; quinimo est finis hominum atque societatum supremus et ultimus.

Quod luculenter ostenditur ex S. Scriptura. Legimus Act. v, 28 s. : *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto : et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra : et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus et Apostoli dixerunt : obedire oportet Deo magis quam hominibus.* In his tria habentur : *a/* objiciunt sacerdotes et seniores, qui erant magistratus nationis Judaicæ, causam boni temporalis et tranquillitatis publicæ, *vultis,* etc.; *b/* hujusmodi bono temporali et publicæ tranquillitati obstabat bonum spirituale, scilicet prædicatio nominis Jesu et constitutio Ecclesiæ; *c/* in hoc autem conflictu Spiritus S. per Apostolos aperte edicit, posthabendam esse tranquillitatem publicam, magisque Deo obediendum quam hominibus.

Idem adstruunt alia S. Scripturæ loca, quæ felicitatem temporalem, etiam quoad ea, quæ magis necessaria sunt (Matth. VI. 31 ss.), licet simul carissima (Matth. V. 29 s.; Luc. XIV. 26), quinimo totam simul complexive sumptam (Matth. XVI. 26) posthaberi præcipiunt vitæ æternæ, id est Ecclesiæ fini.

Hæc confirmantur ex testimoniis. Unanimis et constans est SS. Patrum doctrina, ita finem societatis civilis ejusque imperium Ecclesiæ fini et imperio subesse debere, quemadmodum corpus subest animæ. Cf. Tarquini, L. I. n. 52 ss.

24. Ex his deducitur, in conflictu summum judicium ad Ecclesiam spectare; eamque potestatem suam jure exercere, et civilem societatem eidem cedere debere. Quare damnata est in *Syllabo* prop. XLII : *In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.*

II. Jam quæritur utrum Ecclesia præ societate civili etiam habeat primatum auctoritatis seu jurisdictionis?

25. Jurisdictio exercetur respectu membrorum alterius societatis potestatem habentium, vel in personas seu actus earum privatos, vel in potestatem ipsam qua talem, seu actus ejus imperii.

Cum autem utraque potestas summa sit et in suo ordine independens, iisdem hominibus tanquam membris coalescat, conveniunt catholici mutuam existere subordinationem : omnia membra societatis civilis, magistratus et Principes æque ac simplices cives auctoritati Ecclesiæ subjiciuntur; quemadmodum omnia membra Ecclesiæ, Pastores æque ac simplices fideles (salva immunitate) subduntur auctoritati civili ejusque legibus justis. Nulla igitur difficultas quoad personas.

26. Utrum vero primatui Ecclesiæ conjuncta sit indirecta saltem jurisdictio in magistratus et Principes qua tales, ita ut Ecclesia *per accidens* in societatem civilem

potestatem suam exercere queat, cum scilicet proprii finis, propriave conservationis necessitas id exigit, indagabimus infra, ubi *de jure R. Pontificis in temporalia Principum.*

Articulus IV.

DE FORMA ECCLESIÆ CONSTITUTIVA.

§ unicus. *Forma Ecclesiæ est monarchica.*

27. Solemne est politicis post Aristotelem formam regiminis nuncupare modum, quo istud residet in subjecto.

Porro si summum imperium stet penes unum, sine superioris aut æqualis, populi vel alterius Principis consortio, *monarchicum,* seu forma ejus *monarchica* ex græco recte dicitur; si vero penes aliquos Optimates gradu proprio et nativo, non vicario, simul existat, est *aristocratica;* si tandem penes totam multitudinem seu populum, *democratica* vocatur. Præter tres istas formas simplices dantur aliæ mixtæ, quæ ex priorum commistione seu *temperamento,* ut aiunt, exsurgunt, quæque diversa sortiuntur nomina pro diverso suo temperamento.

28. Q. Quæ sit Ecclesiæ, seu ecclesiastici regiminis forma, an democratica, an aristocratica, an vero monarchica?

R. 1° Quidquid dicant aliqui Lutherani, formam Ecclesiæ non esse *democraticam* facile suadent ea, quibus supra n. 15, probavimus Ecclesiam esse societatem inæqualem. Bellarminus quidem loquitur de elemento democratico in constitutione Ecclesiæ; sed id lato et improprio sensu est intelligendum. Etenim dum dicit suum quemdam in ea locum habere democratiam, hoc nihil aliud significat, ut ex contextu patet, nisi quod nullus sit ex omni christiana multitudine, qui ad episcopatum vo-

cari non possit, si tamen dignus eo munere judicetur. « Huic assertioni, ait post Zallinger Soglia, L. II. § 38, quoad rem nemo Catholicorum facile refragabitur; quoad loquendi modum, qui secundum receptas de imperii forma notiones disserit, ægre quisquam assentietur. »

2° Neque forma ecclesiastici regiminis est *aristocratica*. Huic enim maxime repugnat primatus honoris et jurisdictionis, divinitus institutus, quo unus et solus R. Pontifex, S. Petri successor, universæ Ecclesiæ præest.

3° Forma igitur regiminis ecclesiastici est *monarchica*, cum solus R. Pontifex, Ecclesiæ et ipsorum Episcoporum princeps, habeat immediate a Christo plenam et supremam potestatem regendi ac gubernandi universam Ecclesiam; quod est proprium monarchæ, ut statim diximus. Cf. Præl. theol. dogm. gen. P. III. n. 178 ss., 210-219.

29. De re ipsa inter Catholicos nullum potest haberi dubium; sed de nomine quædam existit disceptatio.

Alii enim, ut Devoti, Wirceburgenses, Phillips, R. de M. formam ecclesiastici regiminis dicunt monarchicam *pure* et *absolute* talem; quia unus est in Ecclesia principatus, et potestas cujuscumque primatui Petri est subdita et obnoxia. Licet enim omnibus Apostolis concesserit Christus Dominus plenam illam et extraordinariam potestatem, qua in apostolatu pares fuerunt cum B. Petro, huic tamen soli contulit primatum in universam Ecclesiam, eumque cunctis fidelibus, et etiam Apostolis, caput præfecit. Episcopi autem, Apostolorum successores, summi quidem sunt et principes respectu populi cui præsunt; sed subditi quoque sunt respectu principis cui subsunt. Solus Petrus omnium absolute et simpliciter est princeps, sine principe hic in terris, adeoque simpliciter et absolute summus, unde consequenter simpliciter et absolute monarcha.

Alii vero, ut Soglia, Icard post Bellarminum et Muzzarelli, eam dicunt monarchicam, sed aliqua tamen aristocratiæ specie temperatam; quoniam Episcopi sunt veri Pastores suarum ovium, et in Conciliis generalibus veri judices. « In quam sententiam cl. Zallinger præclare animadvertit, ait Soglia, l. c. : temperamentum istud aristocraticum non tale intelligi debet, quale in statibus profanis esse solet, quorum forma mixta ex divisione jurium summi imperii ita oritur, ut quod in uno subjecto inest jus, non idem in altero insit, neque ab altero pendeat. Discrimen facit unitas, atque unitatis conservandæ obligatio, quam Christus suæ Ecclesiæ propriam fecit. Nam primo ipsa potestas Episcoporum, quæ temperamentum illud aristocraticum efficit, perpetuo et ex natura sua alligata est ad centrum unitatis ac supremam potestatem Vicarii Christi, eidemque subordinata, ut proinde hæc mixtio aristocratica non absoluta, sed limitata sit. Secundo, quidquid juris competit Episcopis, id eminenti quadam ratione inest in Primate Ecclesiæ, ac summo Vicario Christi. Hæc, ni fallor, de aliis formis profanis, ex monarchia et aristocratia mixtis asseri haud possunt. » Et Wirceburgenses, *de princ. direct.* cap. III. art. 1. n. 158 : « Temperamentum sine diminutione stans in eo, quod Optimates Ecclesiæ eligi queant ex fidelium aut clericorum cœtu, electi autem non vicario tantum nomine, sed auctoritate propria principatum gerant in designata sibi ecclesia, neque ut consiliarii duntaxat, sed ut judices ferant sententiam in Conciliis, utrobique tamen cum inferioritate et dependentia a Supremo Capite, principe et judice, hoc, inquam, temperamentum perfectæ monarchiæ non officit, sed solitudinem duntaxat excludit. »

30. Ex probatis colligimus 1° rejiciendum esse temperamentum aristocraticum sensu Declarationis anni 1682

intellectum. Juxta illos Gallicanos principatus residet in Ecclesia universali, in Episcopatu, in communi Episcoporum consensu. Hinc assertum : Concilium generale est supra Papam. Cf. Maret, *du Conc. gén.* T. I. p. 131 ss.

2° Gravissima censura merito notatas fuisse *a*/ a facultate theol. Lovaniensi propositionem Ant. de Dominis, qua asserebat :*Ecclesiam Spiritu Christi instructam, et singulis ecclesiis voluisse monarchiam, et in se totam aristocratiam, ut altera alterius vitia corrigeret; b*/ a facultate theol. Parisiensi sequentes ejusdem auctoris propositiones : *Doctrina in articulis Jo. Huss contenta, nimirum in Ecclesia non dari unum Caput Supremum et monarcham præter Christum; Christum suam Ecclesiam per multos ministros sine isto monarcha mortali regere perfecte et gubernare, est doctrina catholica a SS. Patribus egregie explicata et confirmata. — Monarchiam semper Christus a sua Ecclesia amovit, et eam ipsa Ecclesia est abominata.* Consule P. Matignon, *Une résurr. du Gallic.* Études relig. 1 Octobre 1869, p. 614 ss.

Articulus V.

DE MUTUA RELATIONE ECCLESIAM INTER ET STATUM CIVILEM.

§ 1. *De distinctione utriusque societatis.*

Prænotandum nos in sequentibus promiscue loqui de *societate* et *potestate;* quod enim societati, id quoque potestati in hisce convenit.

31. Ex fuse disputatis de independentia societatis ecclesiasticæ a societate civili, necessario sequitur utramque habere, ut ita dicam, individuam existentiam, indolem sibi propriam, nempe proprium suum finem, necnon sua jura et officia distincta, de quibus art. seq., seu media propria et apta ad finem illum assequendum. Unde

distinctio, seu *non-absorptio, non-unificatio* utriusque societatis. Quod si non existeret, una societas absorberetur ab altera; adeoque una tantum daretur, quæ naturam indueret elementi sui præcipui, temporalis videlicet aut spiritualis. Cf. supra n. 19.

Noluit Deus confusionem utriusque societatis, et non tantum ab Ecclesiæ institutione, sed ab omni retro antiquitate imperium a sacerdotio, thronus ab altari, forum a templo, rex a pontifice, uno verbo potestas temporalis a spirituali distincta fuit. Bianchi, *della potestà e della polizia della Chiesa,* L. I. c. I § 2. Du Lac, *l'Église et l'État.* T. I. p. 125 ss.

32. Sed immerito inde deduceretur societates illas ab invicem esse *separandas.* Quamvis enim permagna utriusque differentia sit, ambæ tamen Deum auctorem habent, quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt; dein ad unum ultimate eumdemque finem tendunt, hoc est ad universam salutem. Ideirco non inimice, sed concorditer incedere debent.

Vocabulo *separationis* non intelligitur superius descripta independentia; sed separata operatio, cessatio omnium relationum Ecclesiam inter et Statum civilem. Multi recentiores hanc separationem semper in votis habent : alii animo catholico, ne Ecclesia opprimatur a potestate laicali; alii perverso fine, ut utraque societas per discordiam patiatur detrimentum.

Gregorius XVI vero illam generatim reprobat in *Encyclica* 15 Aug. 1832, his verbis : « Neque lætiora et Religioni et Principatui ominari possumus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta exstitit ac salutaris. »

Et SS. Pius IX eam quoque respuit in *Encyclica* 8 Dec. 1864, et in *Syllabo* damnans prop. LV : *Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.*

33. Quibus rite perpensis, colligimus :

1° Admitti non posse potestatem sacram a civili, et civilem a sacra esse alienam aut inimicam.

2° Nec consequenter asserendum eas numquam uni eidemque personæ competere posse. Oppositum quidam tenent, ut denegent S. Pontifici principatum suum civilem; de quo infra, ubi de R. Pontifice.

3° Separationem non esse imprudenter postulandam, nec violenter adducendam, etiamsi in specialibus quibusdam circumstantiis potestas civilis detrimentum quoddam Ecclesiæ inferat.

4° Tanquam typum perfectionis, seu optimam conditionem Guberniorum non esse proclamandam illam, in qua non habetur Religio catholica tanquam unica Religio Status, ut aiunt. Hoc expresse damnatur in *Syllabo,* prop. LXXVII : *Ætate hac nostra non amplius expedit Religionem catholicam haberi tamquam unicam Status Religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.* Cf. Mgr Parisis, *Cas de conscience,* 2ª edit. p. 89.

5° Regimen societatis civilis non posse esse *atheum,* vel *pure naturalisticum,* quod *passive,* ut aiunt, se habet ad Deum ejusque legem, Religionem et probitatem; ita ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu, ac si ea non existeret.

Hoc impiorum systema vocat Ill. Parisis, *op. cit.* p. 86, perversum, absurdum, summe criminosum et periculis plenum. Et re quidem vera ad ipsam pertinet felicitatem temporalem Religionis ac probitatis curam haberi; ita ut hisce neglectis, illa quoque evertatur; quandoquidem Religione et probitate exulante, ipsa quoque humana fides, qua societatis fœdus colligatur, exulet necesse est;

In exultatione justorum multa gloria est, legitur Prov. XXVIII. 12; *regnantibus impiis, ruinæ hominum;* et ibidem XIV. 34 : *Justitia elevat gentem; miseros autem facit populos peccatum.*

Et SS. Pius IX, in cit. Encycl. *Quanta cura :* « Ecquis non videt, petit, hominum societatem, Religionis ac veræ justitiæ vinculis solutam, nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? »

Separationem totalem Ecclesiæ a Statu non existere in Belgio sub Constitutione anni 1831, præclare probat J. Malou in *Revue générale* an. 1870 T. I. p. 466 ss.

§ 2. *De concordia inter utramque societatem.*

34. Tantum abest ut Ecclesia et societas civilis sint potestates inimicæ, ut potius, si concorditer incedant, sibi mutuo sint adjutorio et emolumento, atque concordia imperii et sacerdotii omnimodam humani generis felicitatem creet et promoveat, juxta illud S. Ivonis Carnotensis, *epist. ad Paschalem Papam* : « Novit paternitas vestra, quia cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia; cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur. »

Varii sunt in utroque jure textus, quibus id agnoscitur; inter quos frequentior ille est, quo tum Pontifices, tum Principes civiles edicunt ecclesiasticas leges juvari statutis et legibus civilibus, legesque civiles, canonibus et legibus ecclesiasticis. Cf. *præn.* p. LXXIII.

Hæc tamen mutua protectio, mutuumque auxilium

nullam dat auctoritatem potestati protegenti in eam, cui auxilium fertur, nullam jurisdictionem in res illas, circa quas protectio versatur. Potestas protegens officium exercet, illud autem in jus mutare non potest : tuitionis officium in potestate altera defendenda, non in ea regenda, versatur. « Utinam vero, ait Pius IX, *alloc. 9 Dec. 1854,* qui libertati obsistunt catholicæ Religionis, agnoscant aliquando quantopere publicæ rei bono ipsa conducat, quæ sua cuique civium observanda proponit, et inculcat officia ex cœlesti quam accepit doctrina! Utinam persuadere sibi tandem velint, quod olim Zenoni Imperatori scribebat S. Felix prædecessor noster, nihil esse utilius Principibus, quam sinere Ecclesiam uti legibus suis; hoc enim illis esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeant subdere, non præferre. »

55. Quod probe notandum est : *a/* adversus eos qui potestatem civilem facile excusantes, injuste queruntur de usurpationibus potestatis sacræ, et Ecclesiæ vitio vertunt, quod magistratui civili sæpe est exprobrandum; siquidem antiquissima experientia ab ipsa S. Ambrosii ætate perspectum sit, *cupidiores esse Imperatores sacerdotio, quam Sacerdotes imperio. Epist. ad. Sor.* Cf. Syllabus, prop. XXIII.

b/ Adversus alios nonnullos, qui officium tuitionis ss. canonum et protectionis fidei ac Ecclesiæ, quod juxta Trid. *Sess. 25. cap. 20,* a Deo Principes habent, ita dilatant, ut ex tutoribus legislatores faciant. Tota enim vis et potestas tuitionis in eo est, ut Principes procurent observationem legum, quas Ecclesia et potestates spirituales condiderunt, et defendant promoveantque executionem quoad ea, quæ in istis legibus ad ordinem exteriorem spectant.

« Non seulement les Princes ne peuvent rien contre

l'Église, ait Fénélon, *Disc. pour le sacre de l'Électeur de Cologne;* mais encore ils ne peuvent rien pour elle qu'en lui obéissant. Il est vrai que le Prince pieux et zélé est nommé *l'Évêque du dehors* et *le protecteur des canons,* expressions que nous répéterons avec joie dans le sens modéré des anciens qui s'en sont servis; mais l'Évêque du dehors ne doit jamais entreprendre la fonction de celui du dedans; il se tient, le glaive à la main, à la porte du sanctuaire, mais il prend garde d'y entrer; en même temps qu'il protége, il obéit. »

§ 3. *De conflictu inter utramque potestatem.*

36. Ut concordia regnet inter Ecclesiam et Societatem civilem, tria sunt servanda : ut nempe utraque libere valeat jure sua et officia exercere; in suo ordine seu intra limites suæ potestatis actiones suas contineat; et alterius jura revereatur. Si unum alterumve pessumdetur, conflictus oriatur necesse est, qui juxta tradita supra n. 7, solvendus erit applicando regulas sequentes.

1° Inquirendum an causa conflictus sit ecclesiastica, civilis vel mixta; quo facto, res committenda est potestati cui competit vel ex toto, vel ex parte. De quo statim.

2° Si ea ratione conflictus solvi nequeat, ineundum est concordatum, seu amicalis compositio.

3° Quod si et huic medio via præcludatur et summo jure agendum sit, jus decidendi ad Ecclesiam spectat. Ecclesia enim et dignitate et necessitate superior est societate civili; ea sola res suas cognoscere valet; et præterea quod Ecclesiæ prodest, Statui nocere nequit. Vide supra n. 23 ss.

Articulus VI.

DE LIMITIBUS UTRIUSQUE POTESTATIS.

37. Difficillima hæc controversia, inter ipsos Catholicos plurimum agitata, dirimi consuevit non solum ex jure divino, seu ex utriusque potestatis natura, sed insuper ex jure communi, seu ex juribus, quæ labentibus sæculis rite Ecclesia acquisivit; præ oculis tamen habendo plura ex iis potestati civili hodie esse relicta consensu, ratihabitione vel tolerantia Ecclesiæ.

Hisce intenti, variis relictis dubiis, ea, quæ circa hanc quæstionem nobis certiora videntur, proponere, et præcipuos errores excludere conabimur.

Ad determinandos limites utriusque potestatis, seu ad decidendum quænam res a potestate sacra, quænam vero a potestate civili debeant pertractari, auctores sat communiter docent videndum esse ad cujusnam potestatis finem vel *exclusive,* vel *potius,* vel *æque* res, de qua agitur, debeat referri, ut hoc investigato, alterutri vel utrique potestati subjiciatur. Verum hujus generalis criterii applicatio nonnunquam valde difficilis est. Idcirco ad particularia quædam descendere necessarium duximus.

38. Quoad præsentem quæstionem, res universim distinguuntur in triplicem speciem : nempe in *civiles, ecclesiasticas* et *mixtas*.

Ecclesiasticas dicimus potius quam *spirituales,* quia non idem est rem esse spiritualem ac ecclesiasticam; res enim temporales etiam possunt esse ecclesiasticæ, quando nempe ad finem Ecclesiæ referuntur. *Civiles* potius quam *temporales* scribimus, quia non omnis res temporalis est res civilis; Ecclesia enim etiam utitur temporalibus.

N. potestas distinguitur secundum actus — actus autem secundum objecta, quæ attingunt.

§ 1. *De rebus et causis civilibus.*

39. Res et causas civiles hic vocamus illas, quæ regimini potestatis sæcularis subjiciuntur.

Aliæ sunt civiles natura sua, nempe mere temporales, ut cultura agrorum, commercium humanum, administratio politiæ, tribunalium civilium et exercituum; aliæ tales hodie habentur ex privilegio aut concessione Ecclesiæ, v. g. in aliquibus regionibus regia nominatio Episcoporum; aliæ ex diuturna consuetudine aut præscriptione, v. g. immunitas realis et personalis.

Ex rebus indicatis quædam soli foro civili subduntur, quædam vero mixti fori sunt; ut eruetur ex §§ sequentibus.

§ 2. *De rebus et causis ecclesiasticis.*

40. Ecclesiasticæ hic dicuntur illæ res et causæ, quæ potestati sacræ subjiciuntur.

Aliæ tales sunt ratione sui, aliæ ratione finis, aliæ ratione personarum.

A. De rebus & causis ratione sui ecclesiasticis.

Huc pertinent res et causæ mere spirituales, vel spiritualibus annexæ.

41. Inter mere spirituales recensentur omnes causæ, quæ versantur *a*/ circa fidem et doctrinam fidei et morum; *b*/ circa sacramenta, sacramentalia, ritus sacros, vota, juramenta, dies festos, preces sacras, indulgentias, censuras et sacram disciplinam universim.

Has in solo foro ecclesiastico esse pertractandas nullus Catholicus ambigit; potestas quippe illas cognoscendi pendet a jure clavium, quod solis sacerdotibus est a Christo concreditum.

Quapropter ad Ecclesiam independenter spectat prædicatio fidei, veræ doctrinæ morumque custodia, et consequenter religiosa institutio ubicumque tradatur, sive in scholis inferioribus, sive in collegiis et lycæis, sive in seminariis et universitatibus; librorum approbatio et prohibitio; delectus magistrorum et promotio ad gradus academicos in sacris disciplinis; sacramentorum dispensatio, et circa illa judicia et decisiones; ordinationes divini cultus; causæ et præscriptiones precum publicarum, etc.; institutio sacrorum ministrorum; leges omnes disciplinares ad informationem morum et hierarchiæ observantiam. Civili autem potestati nullum jus competit aliquid illorum examini, judicio, placitove suo subjiciendi.

Hinc patet quam merito proscriptæ fuerint in *Syllabo*:

Propositiones XLIV et LI, citatæ supra n. 22.

Prop. XXII. *Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.*

Prop. XXXIII. *Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.*

Prop. XLV. *Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui,ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in doctrina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.*

Prop. XLVI. *Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.*

Prop. XLVII. *Postulat optima civilis societatis ratio, ut*

populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis et politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

42. Præter mere spirituales, ecclesiasticis annumerandæ sunt res et causæ, quæ habent temporale spirituali annexum. Materialiter et intrinsece consideratæ, secundum objectum, sunt temporales; sed quia spiritualibus annexæ, in concreto et formali suo conceptu spirituales dicendæ sunt. Tales sunt v. g. causæ circa beneficia ecclesiastica, juspatronatus, redditus ecclesiasticos (decimas, jus funeris et sepulturæ). Cf. Devoti, L. III. tit. IV. §§ 3 ad 6.

Dum autem has causas Ecclesiæ foro auctores subdunt, alii dicunt rem temporalem induere naturam spiritualis per ipsam suam spirituali annexionem; alii vero statuunt rem subjacere potestati, quæ eam instituit, et leges tulit quibus administretur : ab Ecclesia autem instituta fuisse beneficia, etc.; alii tandem aiunt, cognitionem causæ ad eum spectare, cujus jurisdictioni res, de qua agitur, subjacet; judicem autem laicum jurisdictionis spiritualis esse incapacem.

B. De rebus & causis ratione finis ecclesiasticis.

43. Res Ecclesiæ temporales, causasque, quæ circa ipsas versantur, Ecclesiæ exclusive esse vindicandas, manifestum erit ex art. seq., in quo ex professo probavimus jus Ecclesiæ acquirendi, possidendi necnon administrandi bona temporalia.

C. De causis ratione personarum ecclesiasticis.

44. Causæ temporales clericorum, sive civiles, sive criminales, ad forum ecclesiasticum spectant vi *immunitatis,* ut vocant, *personalis,* seu *privilegii fori.* Clerici, qua cives, debent legibus civilibus obtemperare, quæ non repugnant sacris canonibus et officio clericali; at si deliquerint contra eas, debent in foro ecclesiastico conveniri, et non a laico, sed a superiore ecclesiastico judicari et puniri.

Non vacat hic examinare quæstionem, quo jure, divinone an humano, clerici in causis mere temporalibus exempti sint a jurisdictione sæculari : sufficiat notasse hac exemptione certo clericos potitos, ubi primum Ecclesia, sedatis persecutionum procellis, christianos Principes nacta est; hancque insequentibus sæculis et Romanos Pontifices et Principes summa inter se consensione clericis confirmasse. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. c. IX, 8.

§ 3. *De rebus et causis mixtis seu mixti fori, sive per se, sive ex jure communi.*

Circa res mixtas potissimum versatur præsens de limitibus controversia; oportet ergo ut bene determinemus quænam eo nomine veniant.

45. *a/* Sunt qui cum Natali Alexandro, *Hist. eccl.* sæc. IV. c. 2, schol. 3, res *mixtas* vocant eas, quæ pertinent ad Ecclesiæ et Reipublicæ tranquillitatem, v. g. hæresis, matrimonium, seditio. Vel qui cum Gibert, *Corpus jur. can.* proleg. P. I. tit. 8. sect. 3, eas *mixtas* dicunt, quæ duplicem finem habent, et ad utriusque ordinem pertinent. v. g. matrimonium.

Hanc acceptionem rejicit Devoti, *Jus. can. univ.* prol.

cap. XII § 21, cum in iis, ait, utraque potestas, servatis finibus suæ administrationis, id tantum curat quod suum est.

b/ Alii censent *mixtas* vocandas esse res illas temporales, quæ cum spiritualibus connectuntur. Nos autem illas inter res ecclesiasticas recensuimus.

c/ Alii tenent res *mixtas* esse, quæ vel privilegio, vel expressa tacitave alterius potestatis concessione, vel diuturna consuetudine, utrique potestati communes evaserunt, ita ut alterutri liceat priori loco negotium occupare. Ita Devoti, l. c. Phillips. Neque hæc definitio exclusive admitti valet, licet verum aliquem rerum mixtarum sensum exhibeat.

46. *d/* Ut autem rerum mixtarum tradatur notio, quæ præsenti quæstioni conveniat, componenda videtur prima opinio cum tertia, et dicendum res *mixtas* illas esse, quæ neque ad ecclesiasticas, neque ad civiles absolute possunt referri; sed tales esse, quæ constituunt tertiam speciem post ecclesiasticas et civiles, et de quibus consequenter utraque potestas aut omnino, aut pro parte disponere potest. Hæc autem earum indoles cognoscitur vel ex ipsarum natura, vel ex diuturno usu, historia et praxi utriusque potestatis.

Hoc posito, dicimus: 1° sunt aliquæ res et causæ, quæ *per se* mixtæ sunt, et partim ad unam, partim ad alteram spectant potestatem: pro his regula est, utramque curare quod suum est. Talis est res matrimonialis in qua ad solam Ecclesiam spectant causæ, quæ versantur circa matrimonii valorem, vim sponsalium, jus instituendi divortii quoad thorum et cohabitationem; ad potestatem vero civilem, solæ causæ, quæ connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe et immediate respiciunt; uti sunt lites, quæ frequenter moventur super dote, donatione propter

nuptias, hæreditaria successione, alimentis et similibus. Cf. Ben. XIV, l. c. n. 4.

Qua in re notentur propositiones sequentes in *Syllabo* damnatæ :

Prop. LXXIV. *Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.*

Prop. LXVII. *Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.*

Prop. LXVIII. *Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.*

Prop. LXIX. *Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.*

Prop. LXXI. *Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.*

47. 2° Plures causæ sunt quæ ex *jure communi* mixtis accensentur ; sic *a/* causæ reales seu contractus laicorum, quibus adjectum est juramentum. De valore quidem ipsius juramenti judicare soli Ecclesiæ proprium est ; sed insuper de ipsa quoque executione talis contractus Ecclesia poterat judicare propter juramentum. « In Gallia tamen, addit Ben XIV, l. c. n. 8, non solum interdictum fuit, ne deinceps juramentum apponeretur contractibus, sed simul sancitum, quod contra legum prohibitionem appositum vires amplius non haberet causam pertrahendi ad forum ecclesiasticum. »

b/ Decretalium jure ecclesiasticum judicem adire possunt viduæ, pupilli, orphani ceteræque miserabiles personæ. Quin etiam civiles leges laicorum controversias ecclesiastico judici committunt, non solum cum duo liti-

gantes consentiunt, sed etiam cum eorum alter dissentit. Devoti, L. III. tit. IV § 7 ad 11.

c/ Ad eumdem pertinet executio testamentorum ad pias causas, et alia plura. Cf. Giraldi ad tit. *de foro comp.*

d/ Mixta negotia facta sunt ea, quæ propter connexionem cum re spirituali soli foro ecclesiastico erant addicta, sed ex Ecclesiæ concessione, vel diuturna consuetudine, Ecclesiæ et potestati civili communia evaserunt, v. g. juspatronatus, præsertim in judicio possessorio.

48. Quæ itaque in rebus mixtis vere per se spiritualia sunt, ea soli Ecclesiæ propria manere debent. Quoad reliqua vero serventur regulæ sequentes : aut tota res non est communis utrique potestati, et tunc utraque curat quod suum est; aut est tota utrique communis, et tunc locus est præventioni; adeo ut ea potestas, quæ alteram prævenit, totum negotium tractet. Sin vero res habeat partem, quam Ecclesia civili potestati non potest committere, et partem, quam civilis potestas sibi et Ecclesiæ tractandam reliquit, tunc quidem quoad partem civilem præventioni locus esse potest; sed Ecclesia sola curabit eam, quæ ipsi per se propria est.

Multa in hac quæstione deciduntur per regulam, quam tradit Devoti, *Jus can. univ.* proleg. c. XII § 24, his verbis : « Utraque potestas in illa antiquissima, in qua versatur, possessione retinenda est. »

49. Lapsu igitur temporum plura jura variis modis Ecclesia sibi acquisierat. Hæc semper velut sibi propria defendit, et quæ contra fiebant solebat considerare tanquam suæ potestatis læsiva. Verum enim vero multa ex iis, quæ de jure communi ad forum ecclesiasticum aut unice aut simul pertinebant, civilis potestas primum in aliquibus regionibus, deinde vero fere ubique, tanquam sua cœpit tractare, atque ita limites fori ecclesiastici multum contraxit.

Protestata est Ecclesia adversus illas usurpationes, præsertim dum agebatur de rebus, quæ ipsi exclusive propriæ sunt, vel quæ intime sunt connexæ cum rebus spiritualibus. Attamen nonnulla ex his usurpavit potestas civilis, et quoad alia, quæ propter circumstantias Ecclesia potestati civili cedere potuisset, debitum modum non servavit. Noluit concordem cum Ecclesia compositionem inire, nec quidem eam audire. Ecclesia tamen semper se præbuit paratissimam, ut liquet e concordatis, ad satisfaciendum Principum exigentiis, in iis etiam juribus, quæ non nisi ob gravissimas rationes cedere potest.

Non omnia tamen vi et injuria acta sunt a potestate civili; quædam enim jura, quæ jure communi Ecclesiæ competebant, consecuta est diuturno usu contrario, vel Ecclesiæ indulgentia aut tolerantia; v. g. juspatronatus, neglectum immunitatis personalis et realis.

Cum autem desperandum sit, ut potestas sæcularis intra constitutos sibi ab antiquo limites se contineri patiatur, ... rem impossibilem nullus imprudenter aggrediatur. In iis itaque, quæ hodie passim obtinent, si privilegium, vel amica compositio intervenit, omnia adamussim serventur; quoad reliqua vero teneantur sequentia monita Ben XIV, *de Syn.* L. IX. c. IX, 12-13 : « Quare suo muneri satis abunde facturum se credat (Episcopus), si ad hæc tria animum diligenter intendat. Primo, ne Princeps sæcularis sibi unquam arroget jus sacrorum; hoc est, ne in ullo rerum eventu se immisceat in causis primi generis, mere scilicet spiritualibus et ecclesiasticis.

« Secundo, ne judex laicus eam quoque partem ecclesiasticæ jurisdictionis invadat, quæ hactenus perseverat intacta; nisi enim Episcopus ejus vindicem statim se præbeat, hanc pariter pedetentim amittet...

« Tertio denique, ubi aut privilegio, aut legitima consuetudine, fori ecclesiastici limites ultra juris communis

sanctiones ampliati sunt, quod ceteroquin per quam raro contingere scimus, curabit Episcopus, ne sua incuria, aut conniventia contrahantur. »

§ 4. *De præcipuis in hac materia erroribus.*

50. Qui rite perpenderit ea, quæ præcedentibus §§ dicta sunt, non impinget in periculosissimos errores

1° Illorum, qui determinant respectivas utriusque potestatis attributiones secundum utilitatem, quæ in re aliqua alterutri potestati potest obvenire. Etenim, præterquam quod hocce modo nulla habeatur solutio, Ecclesia subjicitur Statui civili, et Status civilis vice sua Ecclesiæ, quum fere omnia utrique utilia sint vel esse possint.

2° Illorum, qui asserunt interna ad Ecclesiam, externa ad Statum civilem pertinere; vel, Ecclesiam animis, Statum civilem corporibus præesse et imperare. Quippe Ecclesia non puros spiritus regit, sed homines corpore et spiritu concretos, atque societas externa est et independens. Hunc errorem, qui præcipue urgebatur a Marsilio Patavino, Ant. de Dominis et aliis Regalistis, damnavit post alios Pontifices Benedictus XIV, const. *Ad assiduas,* 4 Martii 1755 (Bull. *ed. Mechl.* vol. XI. p. 86), et Pius VI in bulla *Auctorem fidei,* contra Synodum Pistoriensem.

3° Illorum, qui referunt privata ad Ecclesiam, publica vero ad Statum civilem; Ecclesia enim non est collegium, non est corporatio quædam tendens ad finem specialem, subordinatum fini universali Status civilis; sed est societas publica, perfecta et independens.

4° Illorum, qui dicunt mere spiritualia ad Ecclesiam, reliqua ad Statum civilem spectare. Huic errori posterioribus sæculis maxime occasionem dedit Declaratio immerito dicta Cleri Gallicani an. 1682. Celebris hæc Declaratio, seu Libertates Gallicanæ, ad sequentes *quinque,*

seu potius *quatuor* propositiones (nam quinta ad evulgationem priorum pertinet) veluti ad totidem germina, unde practica consectariorum seges plurima exoriatur, revocantur : 1ª *RR. Pontificibus nulla est in Reges, atque in civilia negotia, ne indirecta quidem, potestas;* 2ª *Concilii generalis auctoritas R. Pontificis auctoritate est superior;* 3ª *potestas Sedis Ap. coarctatur a/ per canones jam conditos, totiusque mundi reverentia consecratos; b/ per consuetudines atque instituta a regno et ab ecclesia gallicana recepta;* 4ª *R. Pontificis judicium infallibile censendum non est, nisi Ecclesiæ consensus accedat.*

Doctrinæ articulis illis contentæ præcipue favebant Parliamenta, et ita fundamentum jecerunt articulorum, quos Concordato an. 1801 furtive addidit Gubernium Gallicanum sub hac rubrica : *Articles organiques.*

Articulus VII.

DE JURE ECCLESIÆ ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA, INDEPENDENTER A STATU CIVILI.

Nomine *bonorum Ecclesiæ temporalium, bonorum ecclesiasticorum* seu *sacrorum,* veniunt omnia bona, tum mobilia, tum immobilia (cod. civ. art. 516 s.), quæ ad Ecclesiam pertinent, sive ad dotationem cultus, sive ad sustentationem ministrorum, sive ad curam pauperum destinentur.

Manifestum erit Statum civilem esse incompetentem ad judicandum et statuendum de acquisitione, applicatione, administratione et alienatione bonorum sacrorum, si constiterit Ecclesiam habere jus, a societate civili independens, acquirendi et possidendi bona temporalia, sive mobilia, sive immobilia. Hoc enim probato, quasi ex fonte necessario profluit omnes alios actus, qui circa illa bona exercentur, ad solam Ecclesiam privative per-

tinere, cum suapte natura ei competant cui res ipsa, siquidem spectent ad integritatem dominii, ejusdemque sint proximæ sequelæ.

Priusquam vero Ecclesiæ jus illud vindicemus, indicandi sunt ejusdem juris detractores.

§ 1. *De præcipuis in hac materia erroribus.*

51. « In duplicem generatim classem dividi possunt, ait Carrière, in egregio suo opere *de jur. et just.* P. I. sect. 1, n. 94, qui Ecclesiæ capacitatem ad acquirenda et possidenda bona temporalia impugnarunt.

« 1ª classis eos complectitur, qui contenderunt Christum prohibuisse ne Ecclesia, aut viri ecclesiastici bona temporalia possiderent. Inter eos recensentur Arnaldus de Brixia circa an. 1139, Valdenses ante an. 1210, Marsilius Paduanus an. 1527, et præsertim Wiclefus, inter cujus errores, in concilio Constantiensi damnatos an. 1415, exstant propositiones infra citandæ.

« 2ª classis complectitur quosdam theologos et plures jurisperitos Ecclesiæ auctoritati satis infensos, qui eam ita restringere conantur ad res spirituales, ut contendant nullum ipsi jus in temporales competere posse, nisi ex concessione legis civilis seu Principum, a quorum proinde nutu omnino pendet, et quorum arbitrio semper revocari potest.

« Duplici autem præsertim via id explicant et adstruere conantur. Juxta quosdam, cum bonorum divisio, seu origo dominii ex jure civili repetenda sit, non aliter ratiocinandum est de possessionibus Ecclesiæ seu cleri. Ecclesia, inquiunt, nulla bona temporalia a Deo vel Christo accepit; ergo si quædam possideat, non jure divino, sed jure humano tantum possidere dicenda est. Juxta alios bona ecclesiastica vere agnoscenda sunt sub domi-

nio gentis, seu Reipublicæ; tum quia illorum dominium nec clero generatim sumpto, nec illis privatis tribui potest, sed ad summum illorum administratio; tum quia hæc bona Ecclesiæ collata sunt in utilitatem publicam, ideoque sunt veluti pars fortunæ publicæ; tum demum quia corpora moralia, quibus hæc bona tribuerentur, non aliter existere possunt quam vi legis, quæ proinde, quemadmodum potest ea supprimere, a fortiori potest de illorum bonis disponere.

« Hæc propugnarunt, in diversis tamen gradibus, 1° plures ex iis qui circa an. 1750 scripserunt contra immunitates cleri, occasione tributi in bona ecclesiastica imponendi, quibus se adjunxerunt in Italia quidam Janseniani, aut Jansenianis faventes; 2° qui anno 1789 promovere aut vindicare conati sunt invasionem bonorum ecclesiasticorum; 3° tandem nostris diebus plures comitiorum regni oratores » necnon auctores nefandæ ac semper detestandæ legis, quam pseudo-liberale Gubernium Belgicum ecclesiis imponere præmeditabatur, et comitiis subjecit 17 Novembris 1864; sed quam postea, anno nempe 1870, fere ex toto lacerare coactum fuit.

Pessimis hisce erroribus convellendis paulisper insistimus. Docemus autem Ecclesiam acquirendi et possidendi capacem esse jure naturali et divino, ac proinde non esse contra, sed juxta Christi legem, ut Ecclesiam bona acquirat temporalia, eaque possideat et administret; istius juris Ecclesiæ divinam, non civilem, originem, adeoque libertatem et independentiam a lege civili vindicamus; et ostendimus ad Ecclesiam ipsam, non ad Statum, spectare judicium de congrua dotatione et sustentatione quæ Ecclesiæ competit, et idcirco contra leges *amortizationis* insurgimus.

§ 2. *Ecclesia jus habet et habilitatem acquirendi et possidendi bona temporalia.*

52. Hæc propositio de fide est, ut constat ex proscriptione errorum Wiclefi in Concilio Constantiensi.

Ecclesia præfatum jus habet 1° *jure naturæ*. « Jure naturali, ait Icard, n. 573, quævis communitas, ad finem honestum formata, potest acquirere dominia rerum temporalium. Cum, ex omnium confesso, quisque privatus valeat acquirere bona, quibus provideat suis necessitatibus et commodis, cur eodem jure non potiretur communitas hominum, persona moralis? Habet utique corpus morale facultates intellectuales, morales et physicas, quibus hæc bona sibi comparet, ea gerat, iisque in suum commodum utatur. Necessitatibus obnoxia est, quibus aliter providere nequit; oportet enim communitatem suos ministros habere, conventus agere, ordinem publicum tueri, quæ cuncta non obtinentur absque expensis; ergo omnis persona moralis, seu communitas, est capax dominii eadem prorsus ratione ac vir privatus; ergo Ecclesia, quæ est societas omnium perfectissima, eo jure donatur. » Cf. Ill^s^ De Montpellier, *Défense des droits de Dieu,* etc. ch. II et III.

2° *Jure divino*. Ecclesia, ut supra demonstratum est, a Christo fuit instituta tanquam societas externa, cum cultu publico, perfecta et independens. Jam vero talis societas *a/* indiget bonis temporalibus ad cultum publicum et ad ministrorum cultus honestam sustentationem necessariis; sed *b/* capax est per se solam, independenter ab omni alia societate, acquirendi et possidendi bona illa, siquidem sit instructa omnibus mediis ad finem suum consequendum necessariis; ergo Ecclesia immediate a divino suo Fundatore, positiva Christi voluntate, consequenter jure divino obtinuit jus acquirendi et possidendi bona temporalia.

53. Hæc confirmantur *a/* ex veteri Testamento, Num. XVIII, 8 ss. et XXXV, 1 ss.

b/ Ex novo Testamento 1 Cor. IX, 5 ss., ubi S. Paulus multiplici argumento ostendit, fideles ex officio teneri ad Evangelii ministros sustentandos, hosque jus habere ad temporalia subsidia, seu tandem ipsam Ecclesiam jus habere acquirendi et possidendi. Cf. præl. S. Script. in 1 Cor. l. c.

c/ Ex auctoritate et consensu omnium populorum, etiam ethnicorum. Cf. Carrière, *ibidem.* n. 96 ss.

d/ Ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nobis innotescit tum ex facto piorum fidelium, qui res etiam immobiles cum magna devotione Ecclesiæ elargiti sunt; tum ex facto sanctorum Ecclesiæ Antistitum et Patrum, qui, jam ante Constantinum Magnum, non dubitarunt nomine ipsius Ecclesiæ recipere et possidere domos, agros, prædia, licet tunc temporis Ecclesia, eo quod tanquam collegium illicitum habebatur, jure civili vetaretur arcam retinere, eoque minus res soli possidere; quique præterea omni tempore, non solum bona temporalia semper possederunt ac rexerunt, sed etiam sua jura circa bona illa tanquam naturalia et divina perpetuo promulgarunt et propugnarunt. Quis autem Catholicus dubitaverit quin hac in re, sicuti in aliis quæ ad divinum institutum referuntur, voluntatem Christi recte interpretata sit Ecclesia?

e/ Ex SS. Pontificum decretis et Conciliorum definitionibus. Concilium Constantiense sequentes damnavit propositiones Wiclefi : X. *Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones;* XXXII. *Ditare clerum est contra regulam Christi;* XXXIII. *Sylvester papa et Constantinus imperator errarunt Ecclesiam dotando;* quibus addi possunt prop. XXXVI et XXXIX. Et Martinus V, confirmando per bullam *Inter cunctas* decreta ea de re

edita, statuit insuper, ut quilibet de his erroribus suspectus interrogaretur, « utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi? »

Concilium Lugdunense II, an 1274, *can. 12,* et Concilium Tridentinum, *Sess. XXII,* c. 11, generali constitutione sanxerunt universos et singulos, quacumque dignitate, etiam imperiali et regali, præfulgeant, qui bona alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii ..... quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, anathemati tamdiu subjacere, quamdiu bona, res, jura fructus et redditus quos occupaverint, ... integre non restituerint Ecclesiæ.

Et SS. Pius IX *in Syllabo* inter alias damnavit :

Prop. XXVI. *Ecclesia non habet nativum et legitimum jus acquirendi et possidendi.*

Prop. XXVII. *Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.*

Jure itaque merito Beatissimus Papa, *in alloc. 5 Sept. 1851,* « Omni studio, ait, et contentione vindicandum ac tuendum curavimus jus quo Ecclesia pollet, acquirendi sc. et possidendi quæcumque bona stabilia et frugifera, veluti innumera prope Conciliorum acta, et SS. Patrum sententiæ et exempla, et prædecessorum nostrorum constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent, ac demonstrant. Atque utinam ubique gentium, ubique terrarum possessiones, Deo ejusque sanctæ Ecclesiæ dicatæ, semper inviolatæ fuissent, et homines debita illas reverentia essent prosecuti! Equidem haud cogeremur deflere plurima omnibusque notissima mala et damna, in civilem ipsam societatem

derivata, ex injusta prorsus et sacrilega ecclesiasticarum rerum ac bonorum spoliatione et direptione, quæ ad funestissimos quoque ac perniciosissimos *socialismi* ac *communismi* errores fovendos magna ex parte viam munivit, » Cf. Soglia, L. III. cap. II. § 73 ss.; Devoti, L. II. tit. XII; const. *Apostolicæ Sedis* an. 1869, P. I. n. 11 s.

Obj. 1° Ex sacra Scriptura : *a/* ex veteri Testamento Num. XVIII, 20; Ezech. XLIV, 28.

Ast, præterquam quod ipsi textus contra adversarios probent, observari debet eos loqui de parte cæremoniali et judiciali. Dein alii textus veteris Testamenti, ut Num. XXXV. 1 s. Jer. XXXII, III Reg. II, etc. nostram doctrinam confirmant.

b/ Ex novo Testamento Matth. X. 9; Luc. IX. 3, XIV. 33.

Sed alium esse citationum sensum, patet tum ex sana earum interpretatione, tum præsertim ex earum collatione cum aliis N. T. locis, v. g. Jo. XII. 6, XIII. 29; Act. IV, V et VI, ubi Apostoli dicuntur recepisse multas pecunias, ut ipsi aliique inde alerentur.

Obj. 2° Ecclesia est societas spiritualis, non temporalis; spiritualia igitur, non temporalia bona possidere debet.

R. *Dist.* Ecclesia est societas spiritualis, non temporalis, eo sc. sensu, quod ad finem spiritualem, non temporalem tendat, et ad eumdem finem omnes res suas, sive spirituales, sive temporales, dirigat, *conc.* Est societas spiritualis hoc etiam sensu, quod nulla re temporali seu materiali, sed nonnisi mere spiritualibus uti possit, *neg.;* contrarium probant principia jam in tuto posita supra n. 12 et 18.

Quod autem hic ad rem non sit instantia, quæ petitur ex II Tim. II. 4 : *Nemo militans Deo,* etc., videri potest apud S. Scripturæ interpretes. Cf. Scavini, nov. ed. T. IV. n. 209 ss.

§ 5. *Jus Ecclesiæ acquirendi et possidendi, cum proveniat a jure naturali et divino, repeti non potest a concessione societatis civilis; sed est perfecte ab ea independens.*

54. Prænotanda. *a*/ Hæc propositio, licet corollarium sit præcedentis, specialem tamen obtinet locum, quia hodierni pseudo-politici præcipua sua argumenta adversus eam depromunt, sicque jus Ecclesiæ convellere conantur.

b/ Dum asseritur præfatum Ecclesiæ jus esse a societate civilis independens, non negatur Status civilis potestas præscribendi solemnitates servandas pro transmissione bonorum ad Ecclesiam. Nullo modo; ultro enim concedimus quod Ecclesia, non secus ac privati, formas illas servare debeat, quæ præscribuntur secundum boni publici exigentiam et protectionem bonis civium impendendam. Sensus itaque est, Ecclesiam jure sibi proprio et nativo acquirere et possidere; originem dominii ecclesiastici nullatenus a societate civili esse repetendam, et consequenter jus Ecclesiæ ab ejus nutu non pendere, nec ejus arbitrio revocari posse.

55. His præmissis probatur assertio : 1° ex dictis in propositione præcedenti, cujus hæc, ut observavimus, merum est corollarium. Si enim jure naturali et divino Ecclesiæ competat jus acquirendi et possidendi, non est a lege civili aut auctoritate Principum repetendum.

2° Ex ratione agendi Ecclesiæ. Quemadmodum Christus Dominus, absque ulla licentia vel concessione legis civilis aut Principum, Ecclesiam suam fundavit, eamque dotavit jure acquirendi et possidendi, ita Ecclesia absque ullius licentia, vel potius Principibus contra nitentibus, nata est ac exstitit, et præfato jure, ut vidimus, semper est usa. Et revera nullibi legitur Ecclesia talem facultatem a potestate civili rogasse, et multo minus hanc ultro ab ea obtinuisse. Cf. Ill. De Montp. *op. cit.* ch. VI.

Dum igitur potestas civilis Ecclesiam recognoscit ut personam moralem, seu ipsi concedit *personificationem civilem* quod vocant, et consequenter eam habet ut dominii capacem, hæc recognitio nullum jus novum Ecclesiæ tribuit, sed illud quod jure naturali et divino habet confirmat, prout, cum nullum allegare possit recusandi motivum, necessario facere debet, nisi rectæ rationi jurique divino nuntium mittere velit. *Ibidem*, ch. VII.

Quomodo autem jus istud firmatum stabilitumque fuerit jure publico Belgii per Concordatum et Constitutionem, videbimus dum inferius, Parte II, ad explicationem Decreti an. 1809 devenerimus.

3° Idem confirmatur ex propositionibus sequentibus in Syllabo damnatis :

Prop. XIX, citata supra n. 22.

Prop. XXV. *Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.*

Prop. XXXIX. *Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.*

56. 4° Cum autem hæc veritas a pluribus impugnetur, alia pro bonis ecclesiarum, præsertim Reipublicæ Gallicanæ, repeti possunt argumenta : *a/ ex titulis acquisitionum,* qui sunt vel donationes factæ ab Episcopis, clericis, monachis; etiam a simplicibus privatis, Regibus et Principibus, sed ea lege, ut bona tradita perpetuo ad ecclesias pertinerent; vel legitimi contractus quos, servatis a lege præscriptis, iniit Ecclesia; *b/ ex juribus quæ Ecclesia circa bona illa exercuit.* « Peut-on mettre en question, inquit Ill. Affre, *Traité de la propr. des biens eccl.* ch. II § 4, si un corps est propriétaire, quand il est

autorisé à aliéner pour certaines causes de charité ou d'utilité, lors surtout que les obstacles qu'on met à des aliénations plus faciles n'ont pour objet que de conserver la propriété, et non d'en entraver l'utile exercice; lorsqu'il peut consentir à des hypothèques, faire des baux emphytéotiques, donner des biens pour gage d'un emprunt, constituer des rentes sur ces mêmes biens; quand enfin il est appelé comme propriétaire aux assemblées de la nation? » Cf. Carr. l. c. n. 108 ss.

57. *Obj.* 1° Ecclesia nulla bona a Deo, vel Christo accepit, ergo si quædam possideat, ea obtinuit jure humano, nempe civili.

R. *Trans. antec.;* non enim propugnamus Ecclesiam accepisse a Christo bona, sed jus et habilitatem ad bona acquirenda et possidenda. Sed *neg. cons.;* num Statui civili, aut privato homini denegabit quis jus naturale acquirendi et possidendi temporalia, eo quod talia a Deo non acceperit? Quod si dicant Statum ea accepisse a membris suis, qui in communi consulere debent unde Status possit recte constitui et existere, et Statum jure ipso naturali aptum esse ad ea consequenda et exigenda, idem de Ecclesia ejusque membris jure naturali et divino affirmandum esse in superiori § probavimus.

Obj. 2° Dominium rerum temporalium est de jure civili, quod illud condidit et introduxit; unde qui illas possident, ex sola juris civilis licentia possident.

R. *Neg. assertum.* Dominium enim non fuisse inductum a jure civili, patet ex eo quod dominia exstiterint ante societates civiles; imo quod societates civiles conditæ sint ad dominiorum jam existentium tuitionem et protectionem. Unde autem origo dominii repetenda sit inquirunt Zallinger, *Jus nat. priv.* cap. 14; Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta,* L. II. tit. 2; Laforêt, *Phil. mor.* p. 210 ss. 1853. Cf. Carr. l. c. n. 26.

De cetero etiamsi verum esset, cives, ratione subjectionis, nonnisi de licentia Status possidere, id nondum verum esset de Ecclesia, quæ nullatenus est Statui subdita.

Obj. 3° Quidquid sit de privatis, Ecclesia est collegium. Jam vero in civitate recte ordinata nullum collegium potest creari aut existere, adeoque nec possidere, absque magistratuum consensu; ergo nec Ecclesia.

R. *a/ Neg. assertum.* Ecclesia non est collegium, sed societas omnino independens a societate civili (supra n. 19 s.).

b/ Christus Dominus Ecclesiam suam non instituit, nec eam dotibus suis et juribus dotavit de consensu Cesaris aut Judæorum, sed contra. An prætergressus est limites suæ potestatis?

Obj. 4° Dominium bonorum ecclesiasticorum nulli subjecto in Ecclesia applicari potest, ut satis ostendit controversia inferius, Parte II, agitanda; ergo sola horum bonorum administratio est penes Ecclesiam; dominium vero penes Statum.

R. *Neg. cons.* Illa enim controversia nullatenus probat dominium non esse penes Ecclesiam; ea enim non obstante canonistæ unanimiter bonorum ecclesiasticorum dominium soli Ecclesiæ tribuunt. Dein retorqueri posset argumentum contra dominium Status.

Obj. 5° Bona Ecclesiæ ei collata sunt ad utilitatem publicam; sed res utilitatis publicæ spectant ad Statum; ergo et Ecclesiæ bona.

R. *Dist. antec.* Bona Ecclesiæ data sunt directe et principaliter in utilitatem publicam societatis sacræ, *conc.* Directe et principaliter in utilitatem publicam societatis civilis, *neg.;* alioquin Statui, non vero Ecclesiæ collata fuissent.

Obj. 6° Corpora moralia, quibus bona ecclesiastica

tribuuntur, aliter existere non possunt, quam vi legis; ergo etc.

R. *Dist. antec.* Corpora moralia aliter existere non possunt, quam vi legis, id est, non sunt corpora moralia quæ verum jus habeant existendi et possidendi, *neg.;* quod enim jus naturæ et divinum instituit, lex humana destruere non valet. Sed non sunt corpora moralia coram lege, id est, eorum hujusmodi jus lex non tuetur nec protegit, *conc.* Sed an ideo jus non habent? Sic in specie dum Ecclesia a Principibus impugnabatur, an jus suum amisit? An non acquirebat et possidebat mediis in persecutionibus? An forsan non legitime? Absit. Ecclesia jus suum legitime exercebat et tuebatur; sed societas civilis, quæ arbitrarie et consequenter contra normam rationis jus illud denegabat, inique se gerebat.

Hinc prorsus immerito dicitur, bona ecclesiastica esse sub dominio Reipublicæ (*de la nation*). Quæ enim hucusque diximus, ostendunt ea esse vere sub dominio Ecclesiæ, quæ cum sit distincta a Republica, nullo jure ea huic cedere debet.

§ 4. *Leges, vulgo* amortizationis *dictæ, secluso speciali Ecclesiæ privilegio, iniquæ sunt, atque in Ecclesiam injuriosæ.*

58. Nomine legum *amortizationis* appellari solent leges illæ civiles, quæ prohibent quominus res temporales, præsertim immobiles, in Ecclesiæ dominium transferantur, absque consensu civilis potestatis.

Jam ante plura sæcula omnis bonorum translatio in Ecclesiam, monasteria, aliave loca pia aut religiosa, dicebatur *amortizatio,* et eorum possessores *manus mortua, main-morte, gens de main-morte;* quia Ecclesia semel acquisita conservat, tanquam nequaquam, vel saltem sub

certis tantum conditionibus ab Ecclesia positis, alienabilia sunt quippe ordinario commercio subtracta, eique veluti *mortua;* manus autem quæ ea detinet, quasi *manus mortua,* immobilis et inhabilis ad ea ad alios transferenda. Ne vero nimia esset talium bonorum copia, potestas civilis, quibusdam in locis, leges tulit, olim incognitas et inauditas, quæ requirunt ejus licentiam, interdum pro omni acquisitione ab Ecclesia facienda, interdum pro acquisitione certam summam excedente.

59. Istæ leges 1° sunt *iniquæ,* tum respectu Ecclesiæ, cui impedimento sunt, quominus libere fruatur et jure acquirendi ac possidendi, a divino Fundatore accepto, et jure sibi proprio judicandi de mensura ac necessitate suæ dotationis; tum respectu civium, quorum jus proprietatis nimium quam par est restringunt, siquidem ipsis suarum rerum in pias causas transferendarum potestatem adimant.

Jurisdictio Status civilis, seu *dominium altum* quod vocant, necessarios habet limites exigentiam boni publici, et protectionem juribus bonisque civium debitam. Ad bonum publicum potest præcipere *expropriationem,* ut aiunt, posita scilicet necessitate vel vera utilitate publica, et data justa compensatione. Securitati vero bonorum civium consulitur per formas requisitas ad translationem bonorum.

Itaque quæri tantum potest utrum, absque lege amortizationis, consuli nequeat incolumitati et necessitati publicæ Status civilis. Periculum consistit, aiunt, in eo quod bona Ecclesiæ subtrahantur commercio, libera sint a tributis. Quoad prius, verum est quod difficilius alienentur; sed ideo non subtrahuntur communi hominum vitæ et bono societatis civilis. Fructus percipiuntur, et hi exigentiis vitæ melius inserviunt quam continua ad alios bonorum transmissio; iis aluntur clerici et pauperes, re-

staurantur ecclesiæ, etc. Dein si non facile alienentur, saltem locantur. Accedit bonum publicum civile, etiam quam maxime promoveri per bonum morale, quod Ecclesia ipsi procurat. Ergo tantum abest ut bona in Ecclesiam translata civili societati noceant, ut etiam prosint.

Sed quid de tributis?

Omnes admittunt Ecclesiam jure communi immunem esse a tributis bonis suis imponendis.

Quoad ea vero, quæ erant bonis imposita ante eorum per Ecclesiam acquisitionem, controvertitur.

Alii dicunt ex jure communi hujusmodi tributa solvenda esse; et ratio est, quod bona et res transeant cum onere suo.

Alii docent generatim bona ecclesiastica ab omnibus tributis jure communi esse libera. Juxta hos ratio allata non valet; cessante enim jurisdictione et dominio alto Status, cessant et tributa.

Alii distinguunt: ex jure communi bona ecclesiastica consecrata, vel benedicta, a quibuscumque tributis immunia sunt. Idem dicendum de bonis, quibus aliqua ecclesia fundata est vel dotata; reliqua vero non sunt libera a tributis impositis antequam fierent ecclesiastica.

60. 2° Istæ leges sunt *Ecclesiæ injuriosæ;* supponunt enim Ecclesiam sæculi divitiis inhiantem, et externa coercitione in officio continendam.

Verumtamen justas esse posse, in certis adjunctis, leges amortizationis putat Schenkl, in suis *Instit. juris eccl.* § 410. Tres præcipue affert rationes: 1° quia hæc Principis lex non circa bona Ecclesiæ, sed circa bona civilia versatur; 2° cum Ecclesia semel acquisita alienari vetet ob utilitatem Ecclesiæ, cur simile quid Principi, servato recto ordine, non liceat ob bonum Reipublicæ; 3° quia per hanc legem ecclesiastici et Ecclesia non privantur jure acquisito, sed acquirendo, et quidem jure acqui-

rendi *bona solum iis haud necessaria ;* privantur autem eo jure boni publici causa.

Ast respondetur ad 1m. Quamvis lex feratur verbo tenus in bona laicorum, re tamen vera in detrimentum Ecclesiæ fertur; vetantur laici bona sua transferre in Ecclesiam, non propter laicos ipsos, sed propter Ecclesiam, ne scilicet Ecclesia rebus augeatur. Ergo ipsa Ecclesia ejusque damnum intenditur. Idem enim est impedire quominus alimenta aliunde debita alicui præstentur, et ipsum iis privare.

Ad 2m *Negatur paritas.* Inter legem amortizationis, et legem de non alienandis bonis Ecclesiæ maximum discrimen est. Prior privatos vetat in ecclesias et loca pia ullam bonorum suorum partem transferre absque licentia Status; proinde privati possunt res omnes, quarum dominium habent, alienare, donare, testamento relinquere, atque etiam, prout iis libuerit, consumere et disperdere, dummodo nihil quidquam conferant in ecclesias et loca pia. Contra vero per legem de non alienandis Ecclesiæ bonis, non vetantur clerici bona patrimonialia alienare, quorum liberum dominium et administrationem retinent; sed vetantur ecclesiarum bona alienare, quorum ipsi nec dominium, nec proprietatem ullam habent, sed tantum administrationem. Itaque argumentum illud nihil probat; utriusque enim legis dispar conditio est ex dispari fine et natura rerum : in argumentis vero a pari oportet omnia esse paria.

Ad 3m. Non privantur *bonis* acquisitis, *conc.;* non privantur *jure* acquisito, sc. acquirendi bona, *neg.*

Quod autem spectat ad illud additum : *bona solum iis haud necessaria,* hoc Ecclesiæ et ecclesiasticis simpliciter injuriosum est; et merito queruntur Patres VI Concilii Parisiensis anni 829 : « Quand donc verra-t-on disparaître cette éternelle objection que l'Église de Jésus-

Christ possède un trop opulent patrimoine? que l'on songe donc que les richesses de l'Église ne peuvent jamais être trop grandes, pourvu qu'elles soient administrées comme elles doivent l'être... Chose étonnante! le monde n'a jamais assez, et l'Église a toujours trop! » Dein tale judicium ad Ecclesiam, non ad Statum pertinet.

Tandem dato non concesso, quod *priventur eo jure boni publici causa,* observandum non omne quod videtur ad bonum publicum pertinere, id confestim fieri posse : nihil imo fieri potest quod est injustum.

Jure itaque merito de legibus amortizationis scribit Michel, *Theol. can. mor.* append. 2, t. 1 : « Si dicas rationem publicam efflagitare tales leges, ne scilicet exhauriatur territorium, et nervus fere omnis transferatur ad manus mortuas religiosorum clericorum, repono viam omnibus paratam ad S. Pontificem, qui re ad se delata, et justitia causæ cognita, facile consentiet in talem legem vel statutum, si subsit justa causa. » Soglia l. c.

§ 5. *Ecclesia jus habet independens bona sua administrandi.*

61. Ex discussis præcedentibus §§ plane consequitur, idque propter rationem initio hujus articuli indicatam, bona ab Ecclesia legitime acquisita pleno jure ad ipsam solam pertinere, eaque imperio civili nulla ratione esse obnoxia. Ad Ecclesiam igitur spectat libere ea administrare, et de eorum conservatione, alienatione, etc. regulas statuere. Solet quidem, quantum fieri potest, in iis se conformare solemnitatibus seu formis civilibus, vigentibus in regione, in qua bona possidentur; sed hoc nequaquam potest repeti ex Status civilis *alto* seu *eminenti dominio,* quod exercet duntaxat in bona civium. Cf. Ill. de Montpellier, *op. cit.* ch. XI; Soglia, *jus priv.* § 110.

Istud corollarium clarius apparet, dum animadvertitur bona ecclesiastica apud omnes populos, legislatores et jurisperitos a rebus profanis distingui, vocarique *res Deo sacras*. Dicuntur etiam *res nullius,* non quia sunt omnibus communes, ut aer et lumen; sed quia semel Deo et Religioni consecratæ non amplius possunt ad privatos usus inservire. Ex hac observatione unusquisque intelligit, ea dependere et administranda esse ab illis, quibus Deus sacra concredidit, qui certe alii non sunt nisi R. Pontifex et Episcopi. *Ibidem,* ch. X.

Et revera Ecclesia ipsa sola omni tempore bona sua administravit, regulasque præscripsit, quibus illa administratio debeat ordinari, ut abunde constat ex historia ecclesiastica. *Ibidem,* ch. XII ss.

62. *Obj.* 1° Bona Ecclesiæ vere Deo sacra appellari non possunt; pecunia enim ac possessiones ecclesiarum et monasteriorum nihil sacri in se habent, nec consecrationem nec benedictionem; quam etiamsi haberent, tamen temporalia sunt bona, neque naturam suam exuerunt, ex quo in Ecclesiam collata sunt. Jure itaque merito continuo inclamant pseudo-liberales : *Les biens affectés au temporel du culte sont laïques;* et consequenter a laicis administranda.

R. *Neg. antec. et conseq.* Bona illa dicuntur temporalia, quia *per se*, spectato sc. objecto materiali, finem temporalem habent. Ast non necessario referuntur ad finem temporalem; possunt ad finem quoque spiritualem referri; et ita inserviunt ad utriusque societatis usum et necessitates. « Intrinsecam naturam non exuerunt; at posteaquam Deo ac Religioni oblata sunt, hanc induerunt proprietatem et velut moralem qualitatem, ut censcantur res Dei et patrimonium Christi... Si nihil interest inter profana et ecclesiastica bona, quid est ergo quod Christus asseruit, et contra Pharisæos, adversarios suos,

tanquam rem exploratam sumpsit, a templo *sanctificari* aurum, quod in templo est, et ab altari sanctificari donum, quod est super illud? (Matth. XXIII, 17 s.) » Zallinger, *Jus eccl. publ.* § 397 sub 1.

Instant DD. Van Humbeek et Orts, *Ann. parlem.* Sess. 1861-62, p. 219 s. Qualitas bonorum deducitur ab ipsa qualitate seu persona domini; atqui fabricæ ecclesiarum sunt corpora laicalia; ergo etc.

R. 1° *Neg. maj.;* etenim non a qualitate seu persona domini, sed potissimum a fine in quem collata sunt, moralem suam qualitatem bona deducere, illico probatum est.

2° Hoc etiam dato, non concesso, non sequitur probatio. Confundunt enim adversarii personam moralem, quæ est fabrica, quæque ut verus dominus bonorum ecclesiarum a pluribus habetur, cum ipsis personis matriculariorum, qui duntaxat sunt eorumdem bonorum gestores. Jam vero fabrica non est corpus laicale, sed religiosum et ecclesiasticum; nam cultus seu ecclesiæ personam gerit.

Per transennam nota præfatos oratores comitiorum Belgii immerito provocare ad auctoritatem Dalloz et Durand de Maillane, siquidem hi jurisperiti præcise contrarium doceant.

Obj. 2° Iisdem titulis Ecclesia sibi vindicare deberet administrationem bonorum pauperum.

R. *a/* Magnum datur discrimen inter istas bonorum classes. Bona Ecclesiæ ex institutione sua ipsi sunt necessaria, inhærent naturæ societatis ecclesiasticæ; non autem bona pauperum.

b/ Ecclesia igitur poterit sibi vindicare gestionem bonorum pauperum, non ratione naturæ eorum, sed ratione curæ commissæ, si fuerint ipsi collata ut pauperibus distribuat; voluntas enim donatoris vel fundatoris summa

lex. Alias, quamvis utilius et securius bona pauperum ab Ecclesia administrentur, tamen, spectata eorum natura, nihil impedit quominus a laicis gerantur, modo salva semper maneat donatorum voluntas.

Ceteroquin tolerantia Ecclesiæ legitimas non reddit usurpationes potestatis civilis.

63. Ex præfato generali corollario varia deducuntur consectaria, nempe :

1° Leges civiles, bonorum Ecclesiæ administrationem ordinantes, non sunt legitimæ, nec possunt, nisi ex indulgentia vel tolerantia Ecclesiæ, effectus producere. Tale est quod apud nos viget Decretum an. 1809, *de fabricis ecclesiarum*.

2° Nequit civilis potestas bona illa in alios usus convertere. « Itaque retinendæ sunt leges, cum quibus ea bona vel testamento, vel contractu inter vivos concessa sunt. Quod si necessitatis aut publicæ utilitatis ratio postulat, ut alius esse debeat eorumdem bonorum usus, S. Pontificis est uti auctoritate, quam habet in res Ecclesiæ, reique cum alia commutandæ facultatem tribuere. Id autem fit ex cognitis justisque causis, quoniam servanda diligenter est voluntas eorum, qui rerum suarum dominium ad ecclesias transtulerunt. » Devoti, *Jus can. univ.* Proleg. cap. XII § 28.

3° Injustissimæ sunt omnes illæ spoliationes Ecclesiæ, seu bonorum Ecclesiæ invasiones, quæ in variis regionibus locum habuerunt, interdum quidem antiquiori tempore, præsertim vero ad finem sæculi XVIII, et nostris infaustissimis diebus. Spoliationes ejusmodi eo magis sunt damnabiles, quod bona ecclesiastica, propter offerentium intentionem et Ecclesiæ finem, quovis tempore considerata fuerunt, tanquam patrimonium Christi, pauperum etc.; ita ut in invasores semper Ecclesia animadverterit, veluti in sacrilegos raptores, eosque gravissimis

pœnis subjecerit. Indulgentia quandoque usa est in condonando, v. g. per Concordatum anni 1801; sed hæc condonatio non reddidit invasiones legitimas, nec debet esse ratio injustitiam renovandi.

4° Tributorum autem exactionem quod attinet, tenetur quidem jure naturæ etiam Ecclesia necessitatibus Status civilis subvenire; sed ipsa bonorum Ecclesiæ destinatio et jus divinum naturale suadent, ut, si aliter possit iis sufficienter occurri, libera maneant a tributis illa præsertim bona, quæ ad cultum divinum explendum immediate serviunt, vel quæ ad fundationem vel dotationem ecclesiarum pertinent. Si autem necessitas postulat Ecclesiæ adjutorium, consulatur suprema potestas sacra, ejusque consensus vel expressus vel tacitus exspectetur, ne jura ejus lædantur. Nam si absque necessitate et Ecclesiæ consensione tributa violenter exigantur, peccatur non tantum contra jus commune, sed etiam contra jus divinum naturale, et in specie contra illam hujus prohibitionem ne injustitia committatur in modo exigendi. Hæc eo vel magis sunt servanda, quod Ecclesia libenti et generoso animo semper universæ societati subvenerit, ut monumenta historica tradunt. Cf. Soglia, l. c.

Articulus VIII.

DE CONCORDATIS.

Tota præcedentium articulorum tractatio probat necessitatem concordiæ inter utramque potestatem. Ut autem ea servari valeat, necesse quandoque est, ut S. Sedes cum civilibus Guberniis de securitate et libertate Ecclesiæ, de jurisdictione et disciplina, de privilegiis et immunitatibus amice tractet. Inde *Concordata*.

Ineuntur ut plurimum cum societate civili catholica, licet nihil impediat quominus ineantur etiam cum societate civili, sive hæreticorum, sive infidelium.

Agimus hic tantum de Concordatis inter Ecclesiam et societatem civilem catholicam; prius tradimus notiones generales, dein de Concordato anni 1801 specialiter inquirimus.

§ 1. *De natura concordatorum.*

64. Canonistæ in controversiam vocant, utrum concordata habeant rationem privilegii vel pacti. Nobis autem illa præplacet opinio, qua dicuntur solemnes sponsiones et conventiones inter R. Pontificem, tanquam Ecclesiæ Caput, et supremum aliquem Principem civilem.

Dicitur 1° *sponsiones, conventiones;* harum enim et naturam et effectus habent. Concordata, scribit Soglia § 60, « pacti rationem habent, estque illud pactum non temporarium vel personale, sed reale ac perpetuum, quod religiose servandum est. »

Non tamen absolute et indistinctim æquiparanda sunt aliis synallagmaticis seu bilateralibus pactis; hæc enim ineuntur inter privatos, sibi mutuo aliquid de rebus in suo commercio positis cedentes; in concordatis autem partes non tam stricte de suo cedere dici possunt; altum duntaxat dominium in res illas habent, et ideo nequeunt eas proprie alienare, sed tantum juxta necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ vel Status de iis disponere. Quod si latiori sensu voces adhibeantur, profecto jurium æqualitas et reciproca obligatio, pactis bilateralibus propriæ, facilius concipiuntur pro una specie concordati quam pro alia. Vide infra.

Dicitur 2° *R. Pontificem, tanquam Ecclesiæ Caput.* Hinc concordatum non est æquiparandum conventionibus internationalibus; potestas enim civilis catholica, cum R. Pontifice concordatum iniens, non agit cum extraneo Principe. Recte quidem hoc diceretur de con-

ventione inita cum R. Pontifice, tanquam civile Principe Status sui; falsissime autem de concordatis, quæ sanciuntur cum ipso, tanquam supremo Præsule Ecclesiæ, quæ orbem universum complectitur.

Si vox *concordatum* late sumatur, eo nomine etiam venit conventio vel Prælatum inter et Gubernium, vel inter personas sacras, circa jura sua aut res ecclesiasticas.

§ 2. *De vi obligatoria concordatorum.*

65. Quemadmodum privatorum, ita et societatum pacta invalida esse consentiunt omnes, sive desit materia licita, sive desit liber consensus. Idcirco concessiones, quas ab Apostolica Sede terror atque arma extorserunt, firmæ esse non possunt. Huc pertinent (præter alias non paucas, præsertim superiori sæculo labente initas) concessiones a Paschali II Henrico V factæ, quæ proinde in Synodo Lateranensi II merito revocatæ sunt. Cf. Wouters, *Hist. eccl. comp.* T. II. p. 191 s.

Sed concordata rite inita vim habent veræ conventionis et pacti. Effectus igitur immediatus est obligatio contrahentium, et cum contrahentes non agant personas privatas, sed publicas, concordata ligant subditos et successores paciscentium, nisi aliter fuerit statutum. Hinc ab iis resilire eisque derogare neutra pars potest, invita altera; alterutra vero fidem frangente, altera potest vel resilire, vel executionem urgere.

Id sæpius affirmarunt ipsi RR. Pontifices; sic Julius III, bulla *Decet Romanum*, 14 Sept. 1557, verba faciens de concordatis Germaniæ, ait: « Nos attendentes concordata prædicta *vim pacti inter partes* habere, et quæ ex pacto constant, *absque partium consensu* abrogari non consuevisse, nec debere. » Leo X in concordato cum

Francisco I, 13 Maii 1517, tit. XVII : dixit : « Illam conventionem contractus et obligationis inter Nos et Sedem Ap. ex una parte, et præfatum Regem et Regnum suum ex altera parte, legitime initi vim et robur obtinere... necnon irritum et inane quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam per nos et successores nostros, scienter aut ignoranter contigerit attentari, decernimus. » Et in concordato inter SS. Pium IX et Josephum Imperatorem Austriacum 18 Aug. 1855, art. 33 legitur : « Utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos. Si quæ vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas sua et Majestas Cæsarea invicem conferent ad rem amice componendam. »

§ 3. *De materia et forma concordatorum.*

Theoretice loquendo iniri possunt concordata, vel quia de aliqua re dubitatur ad quamnam pertineat potestatem, et tunc utraque potestas, ad tollendam dubitationem, de suo aliquid concedit; vel quia restaurandæ sunt res Ecclesiæ, post damna a potestate civili ipsis illata, et tunc, ad majora mala vitanda, Gubernio civili R. Pontifex quædam indulget, ea lege, ut ab ulterioribus in Ecclesiam conatibus abstineat, et in aliis negotiis salva relinquat Ecclesiæ jura. Primi generis concordata vix fert Historia, sed pleraque secundi generis sunt.

66. Ad *materiam* concordatorum quod spectat, duplicem solent habere partem : prima continet officia, quæ Principibus, etiam absque concordato, ex rerum natura incumbunt, ea sc. quæ spectant ad liberum Religionis exercitium, libertatem fidelium communicandi cum Sede Ap., libertatem jurisdictionis Episcoporum, et alia hujusmodi. Cf. Concordatum anni 1801, art. 1,

12, 14 et 15. Altera pars respicere solet concessiones a S. Pontifice factas, v. g. nominationem Episcoporum, speciali privilegio concessam Principibus vel capitulis, præsentationem personarum idonearum ad alias quoque dignitates et officia etc. Vide ibidem, art. 2 ad 10, 13 et 16.

Quænam generatim negotia, et quomodo possint esse objectum concordati, dictum est n. 30 ss. et n. 47 ss.

67. *Forma* concordatorum pariter duplex est : vel publicantur in forma conventionis, cui subscribunt Pontifex et Princeps civilis, aut eorum delegati, quorum dein subscriptio rata habetur a delegantibus; vel, conventione facta, R. Pontifex in peculiari bulla promulgat ea quæ vi suæ potestatis, sed juxta præcedens pactum, de rebus ecclesiasticis statuit; Princeps vero civilis per peculiare documentum populo suo nuntiat ea quæ Pontifex promulgavit, eaque ut leges Status servari jubet. Forma prior solet adhiberi in concordatis cum catholicis, posterior vero in concordatis cum hæreticis vel infidelibus.

§ 4. *De interpretatione, mutatione et rescissione concordatorum.*

68. *Authentica interpretatio* facienda est communi actu paciscentium (n. 65). Perperam autem a nonnullis affirmatur, eam semper fieri debere in favorem potestatis civilis, quia, ut aiunt, concessiones fiunt in favorem ejus; nunquam vero in favorem Sedis Apostolicæ. Perperam, inquam; quia concessiones factæ non sunt meræ liberalitates, mera privilegia; sunt sacrificia, concessiones onerosæ, propter malitiam temporum factæ, quæ certe non ferunt interpretationem denuo onerosam. Cf. Syllabi prop. XLIII statim citanda.

Interpretatio *judicialis* et *doctrinalis* sequitur regulas propositas in *præn.* p. LV ss.

69. *Mutatio* vel *rescissio* concordatorum fieri debet vel mutuo consensu, vel, saltem regulariter, societatis principis judicio. Legitimæ mutationis vel rescissionis, præter præscriptionem et violationem fœderis, titulum indubium præbet evidens necessitas. Hæc autem bene debet intelligi, et reducitur ad casum, quo nequeat absque boni publici Status civilis vel Ecclesiæ detrimento concordatum servari. Ideo

Q. 1° Quandonam possit R. Pontifex a concordato recedere?

Respondet Barthel, *Dissert. gener. de concord.* C. III. sect. II, n. 3 et 5 : « Cum utilitas communis evidentissima, puta si moderna disciplina in graves, communes et constantes abusus patenter degeneraret etc. aut extraordinaria, gravissima flagitaret Ecclesiæ necessitas, ex plenitudine potestatis, dominante charitate et prudentia duce, a S. Pontifice provideri posse, atque hoc sensu ejusdem potestatem, generalem superintendentiam et imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi Primatus reservatum, per concordata inabdicabile, vel potius sub concordatis nunquam comprehensum coarctatumque fuisse, inficiari ego non ausim. Plenitudo enim potestatis Pontificiæ ex jure divino respicit bonum commune Ecclesiæ, atque in ordine ad hoc ipsum condita erectaque sunt concordata ; medium vero desinit esse tale, dum evidenter fini intento adversatur. »

Ceterum nullum est hucusque exemplum concordati a Sede Apostolica violati.

Q. 2° Possitne etiam Princeps civilis, propter necessitatem boni publici civilis, a concordato recedere?

R. Distinguo : *affirm.* si tale sit concordatum, ut vere in materia civili concessiones fecerit, et hæ concessiones

jam non possint, absque boni publici civilis evidenti et notabili detrimento, servari; *neg.* vero, si tale sit, quale esse solet nempe concordatum, in quo nihil de suo concedit Princeps civilis, sed tantum spondet se impleturum officia aliqua, ad quæ jam aliunde tenebatur.

Q. 3° Quisnam modus recedendi servandus sit a potestate recedente?

R. Prius audienda est pars altera, et videndum utrum communi consensu talis possit induci concordati mutatio, quæ respondeat necessitati; damnata enim est in Syllabo prop. XLIII, quæ sic sonat : *Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones vulgo* (concordata) *super usu jurium, ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium, cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.*

Sin vero mutuus consensus obtineri non possit, pleno jure est necessitati satisfaciendum; ast præ oculis habendum societatem civilem esse Ecclesiæ subordinatam (n. 23).

70. Pro coronide nota : *a/* licet Ecclesiæ et præsertim Imperio fausta fuerint concordata, acerrimos tamen hostes habuerunt. Quos inter recensendi sunt Punctatores Emsani, aliique non pauci etiam hisce diebus, qui contra concordatum Austriacum insurrexerunt.

Alii ea vehementer insectati sunt, tanquam libertati populorum infensa, atque excogitata ad RR. Pontificum explendam cupiditatem, qua ardent, ubique terrarum et gentium dominandi. Hæc et similia dicta responsum accipiunt ex dictis supra de materia concordatorum.

Alii ea improbant, propterea quod existiment in concordatis faciendis aliquod semper vulnus hierarchiæ ecclesiasticæ, divinitus constitutæ, inferri, perinde ac si Ecclesia de divinis rebus transigere unquam consuevisset.

Febronius tandem irreverenter et temere affirmat :

« Prætendit Curia (sic vocat Sedem Apostolicam) concordatis se non ligari. »

Respondet auctor Febronii abreviati : « Ubi probatio? Hoc per se et simpliciter dictum falsissimum est : audiantur solum ipsi Pontifices Innocentius X, Clemens VII, Paulus V, Gregorius XII, » et alii, quos supra citavimus. Ergo contrarium proclamant Pontifices; et si quis eorum tale quid dixerit, hoc dixit sensu supra exposito, sc. non ita concordatis ligari Pontificiam potestatem, ut bono licet Ecclesiæ necessario exigente, recedere nequeant Pontifices. Etenim quomodocumque paciscantur, non possunt excludere hanc conditionem : *Nisi aliud exigat bonum Ecclesiæ.*

b/ Erraret qui crederet jus commune non vigere in regionibus, pro quibus inita fuerunt concordata. Viget in quantum ipsi non fuit derogatum per dispositiones concordati, consuetudinem vel alium titulum legitimum. Cf. Scavini l. c. n. 108.

Nimis longum esset de omnibus concordatis verba facere; de solo concordato an. 1801 speciali § tractamus.

§ 5. *De concordato anni 1801.*

71. Buonaparte, primus Gallorum Consul, plurimorum Religioni catholicæ fideliter inhærentium desiderium cognoscens, ratusque sibi admodum profuturum ad capessendum, quod ambiebat, summum imperium, si R. Pontificem sibi conciliaret, jam in campo de Marengo manifestaverat consilium tractandi cum Pontifice, de instaurando Religionis catholicæ in Gallia exercitio. Quod cum Pio VII pro parte nuntiatum esset, Pontifex, quantumcumque metueret, ne homo ambitiosus, qui in Ægypto Mahometis præconem egerat, suis potius quam Religionis commodis studeret, perpendens tamen, hanc

viam forsan a divina Providentia assumptam, ad restituendum in Gallia divini cultus exercitium, J. Spina, archiepiscopum Corinthi, cum Caselli, quondam generali Servitarum ministro, Parisios ablegavit. Qui cum mense Octobri 1800 Parisios advenissent, cum Gubernio de conditionibus pacisci cœperunt; sed irriti fuerunt eorum conatus, donec superveniens 20 Junii 1801 Cardinalis Consalvi, die 15 Julii concordatum signavit conditionibus quidem durissimis, sed quæ necessariæ visæ sunt, ad redimendum tot inter commotiones liberum Religionis exercitium. Celeberrimi illius concordati sequens est textus. Cf. Mémor. belge, T. VII. p. 401 et T. VIII. p. 97.

Conventio inter S. Pontificem Pium VII & Gubernium Gallicanum.

72. *Gubernium Reipublicæ recognoscit Religionem catholicam, apostolicam, romanam, eam esse Religionem, quam longe maxima pars civium Gallicanæ Reipublicæ profitetur.*

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem Religionem, maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore præstolari ex catholico cultu in Gallia constituto, necnon ex peculiari ejus professione, quam faciunt Reipublicæ Consules.

Hæc cum ita sint atque utrinque recognita, ad Religionis bonum internæque tranquillitatis conservationem, ea quæ sequuntur inter ipsos conventa sunt:

Art. I. *Religio catholica, apostolica, romana, libere in Gallia exercebitur. Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.*

II. *Ab Apostolica Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum diœceses circumscribentur.*

III. *Summus Pontifex titularibus Gallicarum eccle-*

siarum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto, quo ipsas suas episcopales sedes resignent.

Hac hortatione præmissa, si huic sacrificio, quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novæ circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

IV. *Consul primus Gallicanæ Reipublicæ, intra tres menses qui promulgationem constitutionis apostolicæ consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novæ circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas.*

V. *Item Consul primus ad episcopales sedes, quæ in posterum vacaverint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.*

VI. *Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo Consule, juramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum :*

« *Ego juro et promitto, ad sancta Dei Evangelia, obe-*
« *dientiam et fidelitatem Gubernio per Constitutionem Gal-*
« *licanæ Reipublicæ statuto. Item, promitto me nullam*
« *communicationem habiturum, nulli consilio interfutu-*
« *rum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque*
« *extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat;*
« *et si, tam in diœcesi mea quam alibi, noverim aliquid in*
« *Status damnum tractari, Gubernio manifestabo.* »

VII. *Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano Gubernio designatis.*

VIII. *Post divina officia in omnibus catholicis Galliæ templis sic orabitur :*

Domine, salvam fac Rempublicam;
Domine, salvos fac Consules.

IX. *Episcopi, in sua quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus accesserit.*

X. *Idem Episcopi ad parœcias nominabunt; nec personas seligent, nisi Gubernio acceptas.*

XI. *Poterunt iidem Episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque diœcesi, sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.*

XII. *Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.*

XIII. *Sanctitas Sua, pro pacis bono felicique Religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.*[a]

XIV. *Gubernium Gallicanæ Reipublicæ in se recipit, tum Episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quæ cujusque statum deceat.*

XV. *Idem Gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.*

XVI. *Sanctitas Sua recognoscit in primo Consule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac privilegia, quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.*

XVII. *Utrumque conventum est, quod in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi Consulis catholicam Religionem non profiteretur, super juribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, necnon super nominatione*

ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.

Ratificationum autem traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis, die 15 mensis Julii 1801.

Hercules, Cardinalis Consalvi. (L. S.) *Jos.* Bonaparte. (L. S.)
Jos. archiep. Corinthi. (L. S.) Cretet. (L. S.)
F. Carolus Caselli. (L. S.) Bernier. (L. S.)

Pius VII hanc conventionem ratam habuit 15 Augusti ejusdem anni, per bullam *Ecclesia Christi,* et 29 Novembris, Cardinalium consilio audito, bullam dedit *Qui Christi Domini vices,* quæ ecclesias Galliarum antiquas omnes suppressit et 60 novas erexit. Tandem Cardinali Caprara, legato *a latere* cum amplissima facultate, commisit totam rerum ordinandarum executionem.

Cum autem per Concordatum anni 1801, bullas confirmatorias, decretaque ad illud spectantia, ecclesiarum nostrarum disciplina in multis fuerit immutata, operæ pretium est illi paulisper inhærere, et examinare quomodo jus commune restaurarit vel ab eo recesserit, quæque tulerit statuta transitoria.

A. Juris communis applicatio.

73. I. *Priscus Gallicarum ecclesiarum status penitus extinctus est.* Hujus propositionis veritas ex ipsis Concordati art. 2 et 3, et præsertim ex bulla *Qui Christi Domini* manifeste eruitur. Prorsus fuerunt per suppressionem deleta omnia jura, privilegia, prærogativæ cujuscunque generis, quæ ecclesiis metropolitanis et cathedralibus, earumque capitulis antea competebant. « Supprimimus, ait Pius VII, *cit. bulla,* § 6, annullamus et perpetuo exstinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infrascriptarum ecclesiarum archiepiscopa-

lium et episcopalium, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscunque generis..... ita ut (deleto etiam omni jure metropolitico cujuscunque metropolitanæ ubicunque existentis) omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus, cum abbatiis, etiamsi eæ vere essent nullius cum separato territorio et jurisdictione, haberi debeant in posterum, tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnino exstincti, aut in novam formam erigendi. »

Quia vero non occurrit vox *consuetudines,* quærunt auctores utrum post Concordatum anni 1801 invocari possint consuetudines, quæ antea in illis regionibus vigebant?

Negant Bouix, *de princ.* p. 76 ss., post ipsum Maupied, *Jur. can. comp.* T. I. coll. 115 ss. et alii; sed quidam eorum parum accurate loquuntur, siquidem argumentum ducant e verbis bullæ, ubi Pontifex inter clausulas, quibus derogat iis quæ bullæ executioni obstare possent, allegat et hanc : « non obstantibus..... earumdem ecclesiarum..... consuetudinibus etiam immemorabilibus. » Aliud enim est Pontificem velle ut suppressio effectum sortiatur non obstantibus consuetudinibus; aliud vero Pontificem una cum ecclesiis etc. suppressisse earum consuetudines.

Aliqui generatim affirmant; sed erronee consuetudinum permanentiam deducunt ex verbis Card. Caprara, quibus vult, ut « in capitulorum statutis..... consuetudinum laudabilium, antea vigentium..... ratio habeatur. » Nam aliud est hoc potuisse tunc fieri ab Episcopis ex speciali mandato, aliud vero ipsam illarum consuetudinum vim permansisse. Tandem multo minus hæc permanentia probatur ex articulis Concordati 4, 6, 16.

Melius respondetur cum distinctione. Deletæ sunt consuetudines, quæ pertinebant ad ipsum statum ecclesia-

rum, seu diœcesium et capitulorum administrationem, sc. statuta, officia vel jura, per consuetudinem acquisita; hæc enim cadunt sub expressis bullæ verbis, et ut abolita habentur praxi RR. tribunalium ac S. Congregationis Concilii, ut videre est ex causa Derthonensi 1829, Niciensi 1847, Pigneroliensi apud Bouix, *op. cit.* p. 466, necnon ex verbis Card. Orioli, *ibidem* p. 472. Intactæ vero remanserunt consuetudines, quæ populi moribus constabant, et per eos erant introductæ. Ratio est, quod ex bulla nihil pro earum exstinctione erui possit.

74. II. *Novus Gallicarum ecclesiarum status juri communi subjectus fuit a S. Pontifice.* — Per bullam *Qui Christi Domini vices,* destructo toto antiquo statu episcopatuum, capitulorum et parochiarum, fuit alius novus status substitutus omnino a priori, formaliter saltem, diversus, et ab hoc tempore Ecclesiæ Galliarum jure communi, salvis Concordati derogationibus, necessario sunt regendæ. Hæc nostra conclusio per partes probatur.

1° *De Religione ejusque cultu generatim.* Articulo primo concordati duo stabiliuntur : *a/* Religio *catholica* (non vero nationalis ac Status), *apostolica, romana* (cujus R. Pontifex est Caput supremum), *libere* (sine obstaculis contra ejus leges ac jurisdictionem), in Gallia exercebitur. *b/* Cultus *publicus* erit tam extra quam intra ecclesias, et subjicietur publicitas illa ordinationibus politiæ; sed tantum in eo quod pro tranquillitate publica necessarium existimabitur.

2° *De Archiepiscopis et Episcopis.* Lege art. 2, 3, 4, 5 et 17 Concordati et nota : *a/* ex bulla *Ecclesia Christi* constare novam diœcesium circumscriptionem a Gubernio postulatam fuisse; *b/* nonnullis Episcopis sedes resignare nolentibus, Pius VII omnes tunc in territorio Reipublicæ Gallicæ existentes diœceses suppressisse novasque erexisse : quoad Belgium, suppressis metropolitana ec-

clesia Mechliniensi, ejusque tunc suffraganeis ecclesiis cathedralibus Argentinensi, Leodiensi, Iprensi, Gandavensi, Antverpiensi, Ruremundensi et Brugensi, erecta fuit ecclesia metropolitana Mechliniensis, una cum ei subjectis novis cathedralibus Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, Moguntina; *c/* jurisdictionis Archiepiscoporum et Episcoporum extensionem et regulas ex ecclesiarum titulis quærendas esse; in quibus videre est eam exerceri debere ad normam juris communis.

3° *De parochis et parochiis.* Vide Concordati art. 9 et 10. In bulla *Ecclesia Christi* legitur : « Jus nominandi parochos ad Episcopos pertinebit, qui tamen personas non seligent, nisi iis dotibus instructas, *quas Ecclesiæ canones requirunt.* » Ad removenda omnia novæ circumscriptionis parochiarum obstacula, Legatus Caprara, in decreto executionis § 25, omnes parochias in unaquaque diœcesi declarat perpetuo suppressas.

4° *De capitulis.* Vide concordati art. 11. Card. Caprara, eodem decreto § 21, Antistitibus primo futuris facultatem concedit ut capitulum « erigere ipsi possint, juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam. »

5° *De seminariis.* Vide rursus Concordati art. 11. In citato decreto legimus § 23 : « Seminarium quoque..... quibus poterunt modis ac temporalibus adjumentis, ad sacrorum canonum et Conciliorum sanctiones, Archiepiscopi et Episcopi curent instituendum. »

B. Juri communi derogationes.

75. Art. 2 limitatur jus S. Pontificis erigendi et circumscribendi novas diœceses; exerceri enim debet *collatis cum Gallico Gubernio consiliis.*

Art. 4 et 5 nominatio Archiepiscoporum et Episcoporum spectat ad Gubernii ducem.

Art. 6 et 7 auctoritati civili præstandum est juramentum ab Archiepiscopis et Episcopis, atque ecclesiasticis secundi ordinis.

Art. 9 limitatur jurisdictio Episcoporum in erigendis novis parochiis; effectus enim novæ circumscriptionis subjicitur Gubernii consensui.

Art. 10 Episcoporum jus parœcias conferendi subjicitur Gubernii acceptationi.

Art. 13 alienata Ecclesiæ bona condonantur possessoribus.

Ast etiam art. 15 statuitur, providendum esse decenti sustentationi ministrorum cultus catholici, et liberum esse ecclesiis consulere novis fundationibus.

C. Statuta transitoria.

76. Hoc nomine vocamus illas juri generali derogationes, quæ in favorem primo institutorum Episcoporum post Concordatum an. 1801 sunt factæ, et quæ nullum jus, nequidem particulare, constituere possunt. Has postulabat celerrima et urgens diœcesium et parœciarum restitutio. Eruuntur autem ex bulla *Qui Christi Domini,* et ejusdem bullæ executoriali decreto Cardinalis Caprara. Sequentes sunt præcipuæ :

Episcoporum canonica institutio per Legatum, eorumdemque consecratio per ipsum, aut ab eo delegatum Episcopum, assistentibus duobus simplicibus presbyteris defectu Episcoporum.

Capitulorum erectio ac constitutio per primo institutos Episcopos.

Iisdem Episcopis jus concedendi capitularia insignia et indumenta choralia.

Solis primo institutis Episcopis, sed pro prima vice tantum, jus nominandi ac instituendi dignitates et canonicos.

Iisdem solis jus condendi statuta capitulorum.

Jus primos parochos nominandi ac instituendi absque concursu. Cf. Maupied, P. I. c. 17; André, *Cours alph. de droit canon,* art. *Concordat.*

77. Plenæ hujus Concordati executioni magnæ difficultates fuerunt oppositæ, tum a parte nonnullorum Episcoporum, sedibus suis renuntiare nolentium; tum a parte Gubernii, quod, inscio Pontifice, die 8 Aprilis 1802 una cum Concordato edidit *Articulos* dictos *organicos,* per quos, uti ex textu videre est, multa in conventione statuta evertebantur, et graviter lædebatur Ecclesiæ libertas. *Vide ad calcem App. 3.*

Quid itaque de articulis organicis sentiendum?

R. Eos nullam habere vim legis ecclesiasticæ, neque per se, neque per consensum S. Pontificis. Non *per se;* quia non prodierunt ab auctoritate legitima; Ecclesiæ namque soli potestas est leges ecclesiasticas ferendi. Non *per consensum S. Pontificis;* tantum enim abest ut Sedes Apostolica assensum iis præbuerit, ut omni data occasione contra eos sit protestata. Sic *in Alloc. 24 Maii 1802* Pius VII : « Animadvertendum, ait, una cum præfata conventione nostra, nonnullos alios articulos, ignotos nobis, promulgatos esse, quos, vestigiis prædecessorum nostrorum inhærentes, haud possumus non expetere, ut opportunas ac necessarias modificationes accipiant. » In bulla *Cum memoranda,* 10 Januarii 1809 : « His articulis, inquit idem Pontifex, non solum exercitio Religionis in maximis potissimisque rebus adimitur, quæ solemniter promissa fuerat, protectio; verum etiam eorum quibusdam ipsa haud procul impetitur evangelica doctrina. » Nomine Sedis Apostolicæ contra eosdem articulos Le-

gatus pontificius, Card. Caprara, reclamationem dedit 18 Augusti 1803 ad de Talleyrand, rerum externarum administrum. At non nisi sero, et in aliquot solum articulis, Sedis Apostolicæ expostulationibus factum est satis per decretum Imperatoris 28 Februarii 1810. Ferebat quidem art. 3 Concordati 11 Junii 1817, inter Pium VII et Ludovicum XVIII initi : « Articuli *organici* nuncupati, qui inscia Sanctitate Sua conditi, ac sine ullo ejus assensu, die 8 Aprilis 1802 una cum supradicto Concordato diei 15 Julii anni 1801 promulgati fuerunt, abrogantur in iis quæ adversantur doctrinæ et legibus Ecclesiæ ; » sed hoc Concordatum exitum non habuit, nisi quoad erectionem plurium diœcesium, quæ facta fuit juxta statuta an. 1822. Cf. Ill. Sibour, Arch. Par. apud André, l. c.

Ceterum, quamvis articuli illi nullam habeant vim legis, de facto tamen eorum plures executioni mandavit Gubernium ; et Sedes Apostolica, quemadmodum in initio se non omnibus articulis eadem severitate opposuit, aliquorum ex iis applicationi non restitit.

In Belgio nonnulli articuli, v. g. 1. 3. 6. 7. 8, abrogati sunt articulo 16 Constitutionis, 4^s^ vero articulo 19. Cf. etiam Const. art. 14.

EXCURSUS.

DE DIŒCESI BRUGENSI EJUSQUE DISCIPLINA.

78. I. Paulus PP. IV, anno 1559, parte territorii a diœcesi Tornacensi avulsa, sedem episcopalem in Brugarum civitate constituit. Eam cum aliis suppressit Pius PP. VII, an. 1801, per bullam *Qui Christi Domini,* ejusque diœcesis territorium finitimo univit Gandavensi episcopatui. Attamen in Belgarum regno novo publicarum rerum ordine constabilito, in Concordato 18 Junii 1827, inter Leonem XII et Guilielmum I, conventum

fuit de erigenda diœcesi Brugensi, ac per Ap. litteras *Quod jam diu* præfinita fuit episcopalis ecclesiæ Brugensis redintegratio. Ast mortuo Leone XII res non fuit executioni mandata, donec Gregorius PP. XVI, per litteras Ap. *Romanæ Ecclesiæ,* anno 1834, universam Flandriæ partem, quæ Occidentalis appellatur, a diœcesi Gandavensi divisit, atque in civitate Brugensi sedem, cathedram ac dignitatem episcopalem in cathedrali et parochiali ecclesia, sub invocatione SS^mi^ Salvatoris et S. Donatiani, Ep. et Conf., denuo erexit.

79. II. In diœcesi Brugensi, uti in aliis Belgii diœcesibus, viget jus commune et Concordatum an. 1801, salvis mutationibus huic postea allatis præcipue per Constitutionem an. 1831 et per bullam erectionis an. 1834; de quibus nonnulla ducimus notanda :

1° Perperam aliqui asseruerunt cessasse Concordatum per Constitutionem. Per novam enim constitutionem mutantur quidem interna regni negotia, non vero conventiones, sive cum aliis regnis, sive cum R. Pontifice initæ, Utique potest per illam major libertas Ecclesiæ concedi, ast restringi nequit absque R. Pontificis assensu.

Majoris libertatis Ecclesiæ in Belgio exemplum est constitutionis articulus 16, quo nominatio et institutio Episcoporum omnino jam libere fit a R. Pontifice, absque regis interventu; et nominatio necnon institutio aliorum ministrorum ab Episcopo, absque Gubernii acceptatione, juxta regulas juris canonici. Eo igitur articulo abrogantur articuli 4^s^ ad 7^m^ et 10^s^ § 2 Concordati.

Exemplum autem illegitimæ restrictionis est idem articulus, ubi dicit : « Le mariage civil devra toujours pré-« céder la bénédiction nuptiale, sauf les exceptions à « établir par la loi, s'il y a lieu. » Hæc limitatio articuli 1 Concordati desumpta est ex Articulis organicis.

2° Bulla erectionis expresse statuit sequentia :

a/ De jurisdictione Episcopi. Jurisdictio ejus sive ordinaria, sive delegata in personas et res exerceri debet ad normam juris communis.

b/ De capitulo legitur : « Instituimus et erigimus capitulum, decem constans stabilibus ac perpetuis canonicalibus præbendis, nimirum tribus dignitatibus, quarum prima *archidiaconatus,* quæ post pontificalem erit major;..... secunda *archipresbyteratus,* ac tertia *cantoratus* nuncupabitur; necnon septem canonicatibus, comprehensis theologali ac pœnitentiaria præbendis, quæ, juxta canonicas sanctiones ac præsertim Concilii Tridentini decreta, in capitulis ecclesiarum cathedralium exstare debent. Hujusmodi autem dignitatum, non minus quam canonicalium præbendarum futuri ac pro tempore existentes possessores apud eamdem ecclesiam Brugensem, in cathedralem erectam, personaliter residere, ac in ea divina quoque officia cæterasque ecclesiasticas functiones celebrare, horasque canonicas, cum diurnas, tum nocturnas, decantare, recitare et psallere; Missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, ac eidem ecclesiæ Brugensi in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta in posterum edenda diligenter observare teneantur.

« Utque cultui divino et decori memoratæ ecclesiæ Brugensis satius consulatur, eidem Ecclesiæ ejusque capitulo... inservient sex presbyteri capellani seu mansionarii, ac alius presbyter sacrarii custos, nulla tamen facta immutatione circa animarum curam, quæ sicut prius ab uno parocho cum tribus vicariis et duobus confessariis exercebitur. Antistiti vero pro tempore Brugensi facultatem tribuimus atque concedimus, canonicos honorarios nominandi et in capitulum adjiciendi, ita tamen, ut titularium canonicorum numerum neutiquam excedant (vi indultorum RR. adauctus fuit numerus canonicorum

honorariorum); et eisdem quidem ac titulares honoribus, insigniis atque privilegiis utantur et gaudeant; sed ultimi post canonicos titulares sedeant, ac jure suffragii in capitularibus comitiis omnino careant. Collationem et provisionem, tum dignitatum, tum canonicatuum et mansionariarum, ... hac prima vice futuro Episcopo Brugensi concedimus atque elargimur : futuris autem temporibus archidiaconatum..... quovismodo et quandocumque vacare contigerit, Nobis et Apostolicæ Sedi affectum et reservatum edicimus atque decernimus..... reliquas autem dignitates, canonicales præbendas ac mansionarias ab Episcopis pro tempore existentibus, ut in prima eorum provisione, personis idoneis et in SS. ordinibus constitutis, semper et in perpetuum libere conferri, reservationibus et affectionibus cessantibus, statuimus et ordinamus, exceptis tamen canonicalibus theologali ac pœnitentiaria præbendis, quas prævio examine et concursu, ad præscriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum, tum hac prima vice, tum perpetuis futuris temporibus, per Episcopum conferri volumus atque mandamus. »

c/ De seminario. Erigi debet juxta canonicas sanctiones, cum dotatione a publico ærario pendenda.

d/ De parochis et beneficiis. « Existentes parochias aliasque ecclesias quascunque, monasteria, conventus et omnia, sive secularia sive quorumvis ordinum regularia, cum cura et sine cura, beneficia ecclesiastica, item utriusque sexus personas et incolas, tam laicos quam clericos, non tamen exemptos cujuscunque gradus, ordinis et conditionis, ordinariæ jurisdictioni, regimini ac potestati futuri ac pro tempore existentis Episcopi Brugensis pariter perpetuo submittimus atque subjicimus. »

Juxta disciplinam, post Concordatum anni 1801 in nostris provinciis vigentem, parochi tripliciter distinguun-

tur : sunt nempe parochi *primæ classis*, parochi *secundæ classis* et *succursalistæ*, qui etiam gaudent omnibus juribus parochialibus, una inamovibilitatis prærogativa excepta.

Præterea exstant Statuta diœcesana, et singulo fere anno publicantur acta Congregationis prosynodalis RR. a. DD. Decanorum diœcesis, in quibus multa statuuntur disciplinæ ecclesiasticæ capita.

Quod vero spectat ad bona ecclesiarum temporalia, ea reguntur Decreto 30 Decembris anni 1809, quod piæ memoriæ Ill^s^ Malou, Ep. Brug. a parochis, in quantum ab ipsis res pendet, diligenter servari voluit. Cf. *Acta Congr. prosyn.* 6 Maii 1856. Idem enixe commendat Ill^s^ D. Faict, in *Congr. prosyn.* 6 Sept. 1870, art. IV.

CAPUT II.

DE POTESTATE ECCLESIÆ.

80. Superiori Capite, articulo III § 4, constitit, Ecclesiam esse ex institutione Christi societatem inæqualem, quæ sc. per homines, hoc est per Petrum et Apostolos eorumque successores, administratur cum potestate sibi propria nec aliunde dependente. Ista autem potestas, sicut potestas cujuslibet societatis perfectæ, ad ejus finem assequendum proportionata esse debet. Cum itaque finis Ecclesiæ proximus sit cultus Dei et sanctificatio animarum; cumque ille finis nonnisi geminarum virium conspiratione comparari possit, scilicet gratia sanctificante, quam Christus per sacramenta conferri voluit, atque hominis, tum per rectam fidem, tum per bonam vitam cooperatione, necessario sequitur duplex potestatis genus in Ecclesia esse oportere, eam scilicet, quæ ordinatur ad efficienda sacramenta, quæque *potestas or-*

dinis dicitur, et eam, quæ ad Ecclesiæ regimen, seu ad fidelium cooperationem dirigendam, et, quantum fieri potest, efficaciter urgendam instituta est, quæque *potestas jurisdictionis* appellatur.

Duplicem hanc potestatem, pro suo more, nitide exponit S. Thomas, *2. 2. q. 39 art. 3 :* « Duplex, inquit, est spiritualis potestas; una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur. Omnes autem consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manente re quæ consecratur; et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in hæresim labatur..... Potestas autem jurisdictionis est, quæ ex simplici injunctione hominis confertur, et talis potestas non immobiliter adhæret; unde in schismaticis et hæreticis non manet. »

81. Tertiam potestatis speciem, quam *Magisterium* appellant, invexerunt nonnulli recentiores canonistæ, quos inter Phillips et Permaneder, præferuntque divisionem in potestatem *ministerii, regiminis* seu *imperii* et *magisterii*. Potestas ministerii sacramenta resque sacras administrat; potestas regiminis ad Ecclesiæ gubernationem spectat, conjunctamque habet auctoritatem condendarum legum, judicandi, pœnisque coercendi; potestas magisterii res fidei et morum docet atque definit. Ast non videtur discedendum a partitione in scholis catholicis communiter recepta. Si enim purum est magisterium, potestas dici nequit; sin autem ita concipitur, ut jus eidem insit inclinandi fideles in obsequium fidei eorumque assensum imperandi, pars est potestatis jurisdictionis.

Potestas ordinis plenius exponitur a theologis; nobis autem disserendum est de potestate jurisdictionis. Pro-

ponemus itaque prius notiones et regulas generales circa jurisdictionem; dein peculiariter probabimus esse in Ecclesia potestatem legiferam, judiciariam et coercitivam.

Articulus I.

DE POTESTATE JURISDICTIONIS.

§ 1. *Notio jurisdictionis.*

82. Vi vocis jurisdictio idem est ac potestas *juris dicendi,* seu judicandi. Verum in jure canonico latius accipitur, et generatim sumpta definitur *potestas publica regendi fideles, sive docendo, sive imperando, judicando, puniendo.*

Dicitur *potestas publica*, quia ab Ecclesia confertur clericis, qui eam non suo, sed Ecclesiæ nomine exercent, et quia versatur circa regimen seu gubernationem fidelium, rectumque ordinem in sacrorum administratione servandum.

Dicitur *sive docendo, sive imperando, judicando, puniendo;* nam potestas jurisdictionis latissime patet, et complectitur *a/* magisterium doctrinale, seu potestatem docendi res fidei et morum; *b/* potestatem condendi leges, quibus societas ecclesiastica regatur; *c/* potestatem gubernandi fideles conformiter ad leges conditas; videlicet judicandi causas tum reales, tum disciplinares, tum personales, et puniendi reos juris violati, ut ex decursu prælectionum patebit.

83. Potestas illa confertur non speciali aliqua consecratione seu ordinatione, ut potestas ordinis, sed legitima missione, quæ definiri solet: legitima assignatio subditorum; sive, ut aliis placet: deputatio legitima ad exercendum munus spirituale, sine qua quivis actus jurisdictionis nullus et irritus est.

84. Jurisdictio est vel juris divini, vel juris ecclesiastici, prout vel ab ipso Christo, vel ab Ecclesia originem sumit.

Jure divino duplex est gradus jurisdictionis : summus pontificatus et auctoritas episcopalis. Supremum gradum obtinet S. Pontifex, cui plenissima, nulli subjecta, potestas in universam Ecclesiam ac singula ejus membra a Christo tradita est. Auctores etiam conveniunt jurisdictionem episcopalem in genere esse juris divini; sed magna animorum contentione in Concilio Tridentino exagitata est quæstio, an Episcopi jurisdictionem suam *immediate* a Christo, an potius a R. Pontifice accipiant. Quæstione hac theologis relicta, notari tamen volumus jurisdictionis episcopalis exercitium a S. Pontifice pendere, qui justis de causis, poterit illud ex toto, vel ex parte auferre, cum ei cura et sollicitudo omnium Ecclesiarum concredita sit. Cf. præl. theol. dogm. *de R. Pont.* n. 250.

Jure autem ecclesiastico constituti sunt gradus Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, atque ministrorum inferiorum, uti sunt parochi.

§ 2. *Variæ jurisdictionis species.*

Variæ species jurisdictionis proveniunt a diversitate aut *fori* in quo exercetur, aut *gradus extensionis* in subjecto illam exercente, aut *modi* quo exercetur, aut *tituli* ratione cujus subjectum illam exercet.

85. Ratione *fori* dividitur in jurisdictionem *fori interni,* seu *in foro poli* aut *conscientiæ,* et *fori externi,* seu *in foro fori.*

Jurisdictio *fori interni* est illa, quæ primario ac directe respicit privatam uniuscujusque fidelis spiritualem utilitatem. Ad illam pertinent administratio sacramentorum, prædicatio illa simplex, qua fidelibus proponitur doctrina ab Ecclesia definita.

Hæc jurisdictio subdividitur in *pœnitentialem,* quæ etiam *sacramentalis* dicitur, ac potestas est absolvendi vel ligandi in tribunali pœnitentiæ; et *extra-pœnitentialem,* quæ extra illud exercetur, ut si quis extra confessionem relevetur a reservatione peccati. Tractatio jurisdictionis fori interni tota spectat ad theologiam moralem. Cf. Theol. Mechl. *de pœn.* n. 66.

Jurisdictio fori externi seu *politica* est illa, quæ proxime spectat ad publicam fidelium utilitatem, et externum sacræ societatis ordinem, atque extra tribunal pœnitentiæ exercetur. Recte definitur *potestas legitima subditos præceptis et legibus gubernandi, eosque judicandi et puniendi.*

Tuetur externam disciplinam, et ita fideles dirigit, ut actiones eorum cum ea conveniant. Ad eam pertinent definitiones fidei; legislatio; institutio ministrorum; concessiones facultatis absolvendi; facultas exercendi judicia, ferendi censuras et pœnas, ab eisque absolvendi; facultas dispensandi in votis et irregularitate, quamvis hujusmodi potestas quandoque tribuatur jurisdictionem duntaxat fori interni habentibus, ea conditione ut tantum in sacramento pœnitentiæ ea uti valeant. Consequenter jurisdictionis fori externi tractatio fere unice pertinet ad scientiam juris.

86. Ex his deducitur 1° duplex esse in Ecclesia forum, et graviter errare illos qui forum externum Ecclesiæ abjudicant; quod clarius eruetur ex probandis infra de potestate legifera, judiciaria et coercitiva.

Notari hic potest *a/* superiores ecclesiasticos jurisdictionem habere vel solius fori externi, uti esset Vicarius Generalis vix tonsura initiatus; vel solius fori interni, uti sunt parochi; vel utriusque fori, uti sunt Episcopi.

b/ Sano modo intelligendum esse vulgare adagium : *Ecclesia de internis non judicat.* Ecclesia de internis non

judicat in foro suo interno, *neg.;* in foro suo externo, seu judiciali publico, *conc.* In hoc enim foro judicat tantum de factis externis, quæ testimoniis probari possunt. Hinc simonia mentalis non subjacet pœnis ecclesiasticis; communio sacrilega, quamvis non sufficiat ad implendum præceptum paschale, in foro externo ab Ecclesia non judicatur.

2° Differre jurisdictionem fori interni a jurisdictione fori externi, sicut utilitas privata differt a publica.

3° Quam maxime distare potestatem sacram a civili; hæc enim fori interni jurisdictionem habere nequit.

87. Ratione *gradus extensionis* jurisdictio dividitur in *universalem* et *particularem.*

Universalis illa est, quæ nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias potestati Ecclesiæ subjectas; sed se extendit ad omnes et omnia in universo orbe. Ejusmodi fuit jurisdictio Apostolorum; ejusmodi hodie est jurisdictio R. Pontificis, et Concilii œcumenici. Universalis quoad loca et personas, sed non quoad materias, competit pluribus RR. Congregationibus, v. g. Concilii, Rituum, etc.

Particularis illa est, quæ restringitur vel ad certas personas, qualis est jurisdictio Prælatorum regularium in suos monachos; vel ad certum locum, qualis est jurisdictio parochi in sua parochia, Episcopi in sua diœcesi, etc.; vel ad certas materias, qualis est omnis jurisdictio concessa cum reservatione aliquorum casuum. Quando jurisdictio particularis determinata est ad certas personas, non ad certa loca, exerceri potest ubique locorum; jurisdictio autem quæ alicui competit ratione territorii, locum dedit sub hoc respectu pluribus dubiis, quæ omnia suis locis expendentur.

88. Ratione *modi* jurisdictio dividitur in *voluntariam* et *contentiosam.*

Voluntaria, seu *extra-judicialis,* exercetur in volentes, et versatur circa ea de quibus superior, pro prudenti suo arbitrio, ex æquo et bono, sine forma judicii, disponit, quin ab ejus administratione detur appellatio. Hujusmodi est jurisdictio *gratiosa,* qua superior largitur favores, indulgentias, privilegia, facultates quæ ab ejus voluntate pendent, etc.; jurisdictio *legislativa* et *administrativa,* qua leges condit, ministros instituit vel transfert; jurisdictio *correctiva,* qua subditos corrigit aut emendat per modum paternæ correctionis, potius quam per modum pœnæ.

Contentiosa, seu *judicialis,* exercetur in invitos, et versatur circa ea quæ in controversiam veniunt, ac judicari debent adhibita forma judicii servatisque regulis jure præscriptis. Tales sunt causæ matrimoniales et beneficiales, pœnæ graviores, quæ limites excedunt paternæ correptionis et œconomicæ administrationis, etc.

Jurisdictio voluntaria exercetur in foro tum interno, tum externo pro subjecta materia, in proprio et in alieno territorio; contentiosa vero ordinatur ad solum forum externum, et, cum requirat processum judicialem, extra proprium judicis territorium, sine expresso vel tacito consensu Ordinarii loci necnon partium litigantium, exerceri nequit, juxta effatum : *Extra territorium jus dicenti impune non paretur.*

89. Tandem ratione *tituli* jurisdictio dividitur in *ordinariam* et *delegatam.*

Jurisdictio *ordinaria* dicitur ea, quæ alicui competit jure proprio, ratione officii, dignitatis aut beneficii curati, cui per legem aut consuetudinem annexa est. Confertur itaque una cum officio, dignitate aut beneficio, et qui illam possidet, potestatem exercet in subditos munere proprio, non quasi vices alterius gerens.

Ad jurisdictionem ordinariam reducitur illa, quam

vicariam dicunt, quam sc. aliquis ex commissione superioris exercet, dum lex superiori concedit, ut valeat constituere vicarium qui loco sui, et ex proprio suo tribunali, jurisdictionem exerceat universaliter.

90. Jurisdictio ordinaria competit: 1° R. Pontifici pro tota Ecclesia in utroque foro. Ipsi enim a Christo dictum est in persona S. Petri: *Quidquid solveris super terram, erit solutum et in cœlis,* etc. De jurisdictione papali participant summus Pœnitentiarius papalis, Legatus *a latere* in locis suæ legationis, et aliquæ Congregationes Romanæ.

2° Cardinalibus in suis titulis, ut dicetur infra.

3° Legatis et Nuntiis apostolicis in provinciis, ad quas mittuntur. Vide infra.

4° Episcopo in sua diœcesi, pariter in utroque foro, cum hæc sit ideo ipsi commissa, ut eam regat ac dirigat. Ordinariam quoque jurisdictionem habent Vicarius Generalis, vivente Episcopo, et Capitulum vel Vicarius Capitularis, sede vacante; Archiepiscopi in diœcesibus suffraganeis, sed in visitatione et appellatione tantum.

5° Parochis et vicariis perpetuis pro subditis in foro interno, et secundum quid in foro externo, sc. relate ad parœciæ administrationem.

6° Superioribus ecclesiasticis Regularium, uti sunt Generales, Abbates, Præpositi, Provinciales, Guardiani, pro suis subditis.

7° Concilio generali pro tota Ecclesia, provinciali pro provincia et diœcesano pro diœcesi.

Sub nomine *Ordinarii* solent intelligi ii soli, qui ordinariam potestatem habent in foro externo. Consequenter eo vocabulo non sunt appellandi parochi, vel alii qui solam fori interni jurisdictionem habent.

91. Jurisdictio *delegata* ea est, quam quis habet ex peculiari missione seu injunctione immediata vel mediata,

expressa vel tacita, alterius jurisdictionem ordinariam habentis, cujus vice exercetur. Hujusmodi est jurisdictio fori interni presbyterorum, quos *vicarios* et *capellanos* hodie vocamus.

Hæc jurisdictio differt 1° ab *arbitrio;* arbitri veram jurisdictionem regulariter non habent; sed simplex ipsis concreditur causæ cognitio; 2° a *licentia,* ut videbimus infra n. 102.

92. Variæ distinguuntur delegatorum species : 1° alii sunt delegati *ab homine,* alii *a jure,* alii *a consuetudine.* Ab homine, quando quis per specialem commissionem committit alteri ea, quæ ipsemet peragere potest per se, vel per alios. A jure, quando jus ipsum delegationem tribuit, non ratione officii, sed per modum specialis commissionis. Sic in multis Episcopi constituti sunt a jure delegati S. Sedis; sic etiam quilibet sacerdos jurisdictionem habet a jure communi in articulo mortis. A consuetudine tandem, quando, absque speciali superioris commissione et sine lege positiva, usu approbato receptum est ut in aliquo casu jurisdictio habeatur; ita confessarius, licet pro una tantum diœcesi admissus, valide absolvit subditos alterius cujuscumque diœcesis ad se venientes. Cf. Theol. Mechl. *de pœn.* n. 67 et 69.

93. 2° Alii sunt *personaliter,* alii vero *realiter* delegati. Si delegatio fit intuitu personæ, *personalis* audit; si dignitatis intuitu, *realis* nuncupatur. Personalis autem esse censetur, si nomen delegati exprimatur, vel aliqua formula indicetur. Realis vero, si loco nominis, dignitas vel locus exprimatur, vel nomen personæ dignitati postponatur, v. g. Episcopo Brug. N. Hæc transit ad successorem, illa vero expirat morte delegati.

94. 3° Alii sunt delegati *universales,* seu *ad universalitatem causarum,* quando ipsis committuntur causæ universæ, vel saltem omnes causæ certi generis, v. g. ma-

trimoniales; alii delegati *speciales, particulares,* quando ipsis committitur determinata aliqua causa, vel certus causarum numerus, vel causæ quæ agitantur inter certum personarum numerum.

Delegatis accenseri solent ii, qui sæpius proprio nomine dicuntur *executores*. Sunt autem vel *meri executores,* quibus sententiæ, vel mandati executio simpliciter committitur, vel *executores mixti,* qui, antequam exequantur, inquirere debent de veritate expositorum.

95. Multiplex datur inter jurisdictionem ordinariam et jurisdictionem delegatam discrimen. Præcipue autem differunt:

1° *Origine,* patet ex definitione utriusque jurisdictionis.

2° *Extensione; a|* ordinarius potest regulariter delegare, delegatus vero ordinarie subdelegare non potest; *b|* ordinarius suam jurisdictionem ubique locorum in suos subditos exercet, modo tamen agatur de actibus fori interni, qui nullam perturbationem in alterius territorio inducunt; ejus enim jurisdictio subditos afficit quamdiu subditi manent; delegatus vero non exercet suam jurisdictionem extra territorium, nisi hoc ipsi concessum fuerit. Quinimo canonistæ non consentiunt, utrum superior ordinarius valeat concedere delegato facultatem exercendi jurisdictionem extra limites sui territorii. Videtur tamen affirmandum, excepto casu delegationis ad administrationem sacramenti pœnitentiæ. Cf. Theol. Mechl. *de pœn.* n. 69.

3° *Interpretatione; a|* præsumptio stat pro jure ordinarii, delegatus debet se legitimare; *b|* jurisdictio ordinaria est favorabilis, ergo latæ interpretationis: delegata vero censetur odiosa, unde stricte interpretanda. Ratio est quod jurisdictio delegata deroget ordinariæ, et proin velut huic præjudicialis habeatur.

4° *Cessatione,* ut infra § 5 exponitur.

§ 3. *De adeptione seu de titulo jurisdictionis.*

Cum in ordine ad præsentem quæstionem diversæ jurisdictionis species reducantur ad ordinariam et delegatam, de his solis hic agendum est.

96. Excepto R. Pontifice, qui post electionem rite peractam immediate a Christo suam recipit potestatem, nullus se ingerere debet in quodvis officium seu ministerium ecclesiasticum, nisi hoc ei concessum fuerit a potestate superiori.

Id habetur 1° ex Tridentino, *Sess.* XXIII, *can.* 7 : « Si quis dixerit... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit. » Cf. cap. 4 *ibidem.*

2° Ex brevi Pii VI diei 13 Aprilis 1791, contra electos et consecratos *vi Constitutionis civilis cleri in Galliis.* « Declaramus, ait, electiones prædictorum illegitimas, sacrilegas et prorsus *nullas* fuisse. »

Porro ad quamlibet concessionem tria requiruntur : potestas in concedente, habilitas in recipiente seu subjecto, et forma debita in actu concessionis. Hæc si concurrant, efficiunt *titulum* legitimum, vi cujus habetur et exercetur quævis jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata.

97. *Titulus* in genere id est, in quo fundatur quodcunque jus; seu illa ratio, ex qua intelligitur legitimitas alicujus facultatis quæ homini competit. Hic proinde titulus significat illud, super quo reponitur potestas quævis peragendi munia ecclesiastica; aliis verbis, est concessio officii seu muneris ecclesiastici, alicui idoneo facta ab auctoritate competente et debite acceptata.

Canonistæ quatuor distinguunt titulos, scilicet legitimum seu verum, coloratum, invalidum seu nullum, et præsumptum seu fictum.

Titulus *legitimus* ille est qui modo descriptus fuit.

Titulus *coloratus* ille est, qui datur a superiore et de se aptus est ad conferendam jurisdictionem, sed qui effectum non sortitur propter aliquod vitium occultum : in eo itaque titulo concurrunt *radix* et *color,* seu apparentia. Occultum hic dicitur, quod in aliquo loco aut prorsus ignoratur, aut saltem tam paucis innotescit, ut valeat celari. Vitium istud existit vel in concedente, si nempe aliqua ratione occulta spoliatus sit sua potestate, puta censura, irregularitate, etc. ; vel in recipiente, sive aliquod vitium præcesserit, sive supervenerit; vel tandem in actu concessionis, ut si intercesserit fraus vel simonia, ratione cujus actus est irritus.

Titulus *invalidus* ille est, qui datus quidem est a legitimo superiore, sed caret forma essentiali : v. g. si ecclesia parochialis conferatur non servata forma Tridentini; si omissa fuit solemnitas a jure præscripta in electione ad officium.

Titulus *præsumptus* ille est, qui supponitur existere, sed revera non existit, quod contingit variis modis : ut si quis fraudulenter se dicat missus a superiore ac fictitias litteras exhibeat; vel si utatur facultatibus concessis, sed ultra terminum concessionis; vel si obtineat jurisdictionem ab eo qui non habebat potestatem concedendi etc.

98. His positis, quæritur utrum Ecclesia conferat jurisdictionem extra casum tituli legitimi?

R. Ecclesia supplet jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, tam in foro externo quam in foro interno, modo tamen debitæ concurrant conditiones.

Probatur ex can. *Infamis,* caus. 3. q. 7, et ex lege romana *Barbarius,* ff. 3, *de offic. prætoris,* quam in jure ecclesiastico receptam fuisse testantur omnes canonistæ. Hæc lex sic sonat : « Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset, Romæ prætoram petiit et prætor disignatus

est... Videamus si servus quamdiu latuit, dignitate prætoria functus sit. Quid dicemus? Quæ edixit, quæ decrevit nullius fore momenti? An forte propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt? Et verum puto nihil horum reprobari. Hoc enim humanius est, cum etiam potuerit populus Romanus servo decernere hanc potestatem, et si sciret servum esse, liberum facere. »

Tres autem requiruntur conditiones :

Prima conditio est, ut vitium tale sit, cui Ecclesia possit mederi. Manifestum autem est eam impedimentum juris naturalis vel divini tollere non posse. Hinc si judex careat usu rationis, vel parochus non sacerdos sacramentaliter absolvat, gesta eorum irrita sunt et nulla absque remedio.

Secunda conditio est, ut adsit error communis et probabilis circa factum, unde oritur vitium tituli.

Error debet esse *a/ communis,* quo sc. quis communiter a fidelibus putatur habere jurisdictionem ordinariam vel delegatam, quam revera ob occultam causam non habet. Ad errorem istum communem sufficit, ut vitium ignoretur in eo loco, pago seu oppido ubi exercetur jurisdictio, etiamsi alio in loco notorium sit. Item sufficit ut præsenti tempore vigeat, etiamsi factum in eo ipso loco olim fuerit publicum. *b/ Probabilis,* talis nempe ut mediocris attentio non sufficiat ad deprehendendum vitium tituli, nam ignorantia crassa et supina hic æquivalet scientiæ.

Hoc omnes admittunt de errore *facti,* v. g. censuræ, irregularitatis, qua judex innodatur; sed de errore *juris* non ita constat. Qui negant errorem juris sufficere, probant ex reg. 13 juris *in 6 : Ignorantia facti, non juris, excusat;* alioquin Ecclesia foveret contemptum legum suarum. Et sane hæc ratio valet, si agatur de jure claro et certo, v. g. si vulgus ignorans dari casus reservatos

credat valere absolutionem a reservatis, collatam a confessario simpliciter approbato. Ast multorum est sententia, errorem circa jus obscurum et dubium æquiparari errori circa factum. Ita omnes probabilistæ qui existimant licitum fore uti jurisdictione probabili : Suarez, Delugo, Sanchez. S. Alph. L. VI. n. 572 s.; ita plures etiam antiprobabilistæ, ut Collet, Billuart, modo error probabilitate majori notabiliter fulciatur. Auctoritas tot doctorum, concludit cl. Icard, suppeditat motivum grave præsumendi, disciplinam fuisse ita usu communi temperatam.

Tertia conditio est, ut adsit titulus coloratus. Hunc requiri communius tradunt auctores, ait S. Alphonsus l. c.

Sed quid si adsit titulus invalidus? Disputant auctores. Quoad titulum præsumptum majus dubium est. Cf. cl. Daris, vol. I. p. 54 s.; cl. Icard, T. I. n. 285 s.; Theol. Mechl., l. c. n. 71.

Dum præfatæ ponuntur conditiones, publica fidelium utilitas postulat, ut Ecclesia jurisdictionem suppleat. Etenim grave paterentur detrimentum, si actus judicis putativi forent irriti; quandoquidem inde sequeretur nullitas absolutionis, matrimonii, collationis beneficiorum etc. Nullatenus autem timendum est, ne inde disciplina enervetur, neve auctoritas contemnatur, cum auctoritas competens contulerit titulum, et defectus sit occultus.

99. Sed an licet uti titulo colorato?

R. Qui novit vitium sui tituli, potest nihilominus valide eo uti; non vero licite, extra casum necessitatis, præsertim si defectus oriatur a causa sibi personali; v. g. a simonia quam commisit.

Privati vero, qui tituli superioris defectum cognoscunt, valide utuntur illius ministerio; quia jura non considerant errorem unius aut alterius, sed errorem communem, et attendunt ad communiter contingentia. Conse-

quenter sicut error particularis non sufficit, ut gesta judicis illegitimi valeant respectu ignorantium invincibiliter impedimentum, ita nec scientia alicujus particularis impedit, quominus gesta respectu ipsius valeant.

Utrum vero fideles hujusmodi superiorem licite adeant, ex circumstantiis dijudicandum est. Regulariter requiritur justa ratio, quæ major vel minor esse debet pro gravitate actuum jurisdictionalium; puta urgens necessitas, vel vera difficultas alium adeundi. Ad hoc maxime attendendum venit pro sacramento pœnitentiæ; nam absolutio a tali ministro prolata potest esse invalida, non quidem ob defectum jurisdictionis, sed ob indispositionem pœnitentis, qui defectum tituli cognoscens, absque rationabili causa eum adit, ac ita obicem sacramentali absolutioni ponit. Cf. Theol. Mechl. *de pœnit.* n. 70, et *de sacram. in gen.* n. 38.

§ 4. *De conditionibus in titulo jurisdictionis requisitis.*

Ad legitimum titulum requiruntur, ut diximus, tres conditiones: potestas in concedente, habilitas in subjecto, forma debita in actu concessionis; de quibus seorsum agere nunc oportet.

A. De potestate in concedente.

100. Q. I. Quinam concedere valeant jurisdictionem *ordinariam?*

R. Cum jurisdictio ordinaria unice acquiratur per obtentionem officii, dignitatis vel beneficii, cui annexa est, sequitur eam conferri ab illis solis, qui potestatem habent conferendi officium, dignitatem vel beneficium, cui jurisdictio concedenda adhæret. Quæstionis itaque solutio repetenda est e variis Compendii locis, in quibus de collatione singuli officii, dignitatis vel beneficii sermo erit.

101. Q. II. Quinam concedere valeant jurisdictionem *delegatam?* aliis verbis : quinam possint delegare, vel subdelegare?

R. ad 1^m. Admittitur communiter tanquam regula generalis et certa, illum, qui habet jurisdictionem ordinariam utriusque fori, vel saltem fori externi, eam delegare posse, modo materia sit delegabilis, et delegandus habeat dotes requisitas. Constat ex L. I. tit. 16, cap. *Cum Episcopus in 6,* et ex reg. 68 juris *in 6 : Potest quis per alium quod potest facere per se ipsum.*

Dicitur *saltem fori externi;* quia in præsenti Ecclesiæ disciplina delegare amplius non possunt ii, qui solam interni fori jurisdictionem habent. Sic parochi, licet habeant jurisdictionem ordinariam, sed fori interni, stricte dictam jurisdictionem concedere nequeunt. Nihilominus possunt plures functiones per alios exercere; quinimo ex consuetudine ipsis licet, ad paucos dies, totam curam parochialem committere presbytero ad confessiones et prædicationem approbato. Ratio est quod ad omnes illos actus, excepta confessione et prædicatione, sufficiat licentia, et non requiratur jurisdictio proprie dicta. Cf. tamen Tridentinum, *Sess.* VI. cap. 2. *de reform.*

102. Jurisdictio autem delegata multum differt a simplici *licentia,* seu commissione ad actus qui non requirunt veros subditos. Licet igitur hæc etiam sæpe vocetur delegatio, et facultas per eam accepta dicatur et ipsa delegata potestas, vel subinde etiam, sed improprie, jurisdictio, res tamen non sunt confundendæ. Actus enim, ad quos requiruntur veri subditi, ideoque vera jurisdictio, uti absolutio et actus qui pendent a potestate regiminis, defectu jurisdictionis semper sunt invalidi; actus vero, ad quos sola requiritur licentia, non sunt invalidi, nisi licentiæ necessitas ad valorem sit præscripta, ut pro assistentia matrimonio in locis ubi viget lex Tridentina,

Consequenter tunc regulariter requiritur tantum licentia, quando quis aliunde habet agendi potestatem quoad substantiam actus, sed propter rectum ordinem ea potestate uti nequit, nisi de consensu alterius.

103. R. ad 2m. 1° Certum est delegatum a S. Pontifice posse subdelegare, tum ob eminentem dignitatem illius quem delegatus repræsentat, tum ne negotia justo longius protrahantur. Id habetur ex L. I. *Decr.* tit. 29, cap. 43, *Quoniam.*

Excipe : *a/* quando electa est a R. Pontifice industria personæ, ut dicitur; id est, quando sufficienter Papa indicat se velle rem expediri per ipsum delegatum. Hoc autem fit dum agitur de causa ardua; item regulariter dum in rescripto occurrunt hæc vel similia verba : *per te ipsum; personaliter; tuis manibus; de industria, discretione,* aut *prudentia tua.*

Admittunt tamen auctores Episcopum posse subdelegare facultates, quæ ipsi vel jure communi, vel speciali indulto apostolico in perpetuum conceduntur; quia talis concessio aliquatenus transit in jurisdictionem ordinariam. Hæc delegatio fieri potest non tantum in casibus particularibus, sed etiam generaliter, nisi aliter exprimatur, vel ex legis aut privilegii tenore pateat facultatem annexam fuisse dignitati aut officio, quia in titulari major præsumitur prudentia; tunc facultas transit quidem ad successores, sed subdelegari non potest.

b/ Quando delegatus conatur se malitiose negotio subtrahere; cap. 28, h. t.

Quærit hic Daris, vol. I. n. 19, utrum delegatus a sacra aliqua Congregatione Urbis dici queat delegatus a Papa, ita ut subdelegare possit?

Affirmandum videtur, ait, quia R. Pontifex fere omnia negotia ecclesiastica expedit ministerio SS. Congregatio-

num; hanc sententiam secuta est S. Congregatio Concilii *in causa Larinensi 10 Maii 1755.*

c/ Quando quis habet, etiamsi a R. Pontifice, jurisdictionem delegatam fori interni ad excipiendas confessiones, ad absolvendum a censuris, ad dispensandum in irregularitatibus et votis, nisi subdelegandi facultas in concessione exprimatur. Hæc facultas frequenter occurrit in delegationibus pontificiis, v. g. in quinquennalibus et triennalibus.

Idem dicendum de illo, cui committitur latius dicta delegatio, seu nudum ministerium, rei executio vel commissio, nisi sit Legatus apostolicus; v. g. fulminatio dispensationis matrimonialis. *Ibidem* § 1 et 2.

104. 2° Etiam certum est delegatum ab alio quam a R. Pontifice, puta ab Episcopo, vel a parocho, subdelegare non posse. Hoc enim nec a delegante, nec a jure concessum est.

Potest tamen subdelegare jurisdictionem, licentias vel facultates, sed tantum ad casum particularem; *a*/ si sit delegatus ad *universalitatem causarum;* hujusmodi namque delegatus æquiparatur ordinario et *quasi-ordinarius* dicitur. Hoc nititur consensu doctorum et universali consuetudine, potius quam textibus juris. Sic vicarius, qui ab Episcopo deputatus est ad vices parochi absentis gerendas, alteri committere potest unam alteramve causam, uti baptismum, S. Eucharistiam, extremam-unctionem, S. Viaticum, imo benedictionem nuptiarum secundum jus commune; non autem prædicationem illi qui ad concionandum ab Episcopo non fuit approbatus; quia jure cautum est, ut in ecclesiis non exemptis soli approbati prædicare valeant; nec facultatem excipiendi confessiones, ut statim videbimus. *b*/ Si, licet delegatus tantum sit ad *certas causas,* specialem habuerit a delegante licentiam. Quare Decani, seu vicarii foranei, qui depu-

tantur ad quosdam actus jurisdictionis episcopalis, subdelegare possunt, si concedat Episcopus.

Hinc delegati a proprio parocho ad assistendum matrimonio, subdelegare alterum non possunt, nisi sint delegati ad universalitatem causarum, aut potestatem subdelegandi acceperint.

Notandum vicepastores nostræ diœcesis, licet ab Episcopo jurisdictionem accipiant et universalem licentiam alia sacramenta administrandi in parochia, delegatos tamen non esse ad matrimonialia.

A parochis autem licentia assistendi matrimonio dari non solet nisi ad singulos casus. Si tamen parochus, in absentia sua, vicario vel alii sacerdoti universam curam parochiæ committat, censetur comprehendi facultas assistendi matrimoniis : tuncque delegatus subdelegare potest ad casus particulares. Cf. Theol. Mechl. *de matr.* n. 88. q. 3.

105. Q. III. Quid delegari potest?

R. Certum est Ordinarios non posse totam suam jurisdictionem delegare absque R. Pontificis consensu, vel juris communis dispositione. Ratio est quod ordinarius ita agendo, censeretur non tam delegare quam abdicare, quod non potest inconsulto Papa. Quinimo videretur ordinarium similem sui constituere; hoc autem singulare supremæ potestatis privilegium est.

Sed conformiter ad jus commune constituit Episcopus suum Vicarium Generalem, qui eamdem cum ipso habet jurisdictionem idemque tribunal.

Quando igitur superior declarat se cuncta sua jura alicui demandare, hæc intelligenda sunt cum restrictione, habita ratione circumstantiarum.

Potest autem generatim delegare omnes causas et negotia, quæ ad suam jurisdictionem pertinent, modo non obstet jus divinum aut humanum. Hinc R. Pontifex de-

legare potest quaslibet causas, nec alia limitatione restringitur quam jure divino. Episcopus vero delegare potest omnem functionem sui officii tum ordinis, tum jurisdictionis, modo non prohibeatur jure divino aut ecclesiastico. Idcirco non potest delegare sacerdotem ad conferendos ordines minores vel sacramentum confirmationis; nec ad conferenda beneficia, nisi sacerdos ille sit Vicarius suus Generalis; nec ad conficiendum sanctum oleum, ad consecrandam ecclesiam, etc., quia hujusmodi delegationes a sacris canonibus reservantur S. Pontifici.

B. De habilitate subjecti.

106. Q. I. Quænam in subjecto requirantur qualitates, ut sit capax jurisdictionis *ordinariæ?*

R. 1° Requiritur status clericalis. Certum est lege universali Ecclesiæ prærequisitum esse statum clericalem, juxta illud L. II. *Decr.* tit. 1, cap. 2 : *Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant.* Ratio est, quod membra Ecclesiæ, ita disponente Christo Domino, divisa sint in duas classes, quarum una tantum res spirituales gerere debet.

Hæc tamen status clericalis necessitas non est adeo absoluta, ait Icard, T. I. n. 289, ut nequidem auctoritate S. Pontificis aliquis laicus possit ullam habere jurisdictionem. Cum non a charactere sacramentali, sed a delegatione Ecclesiæ proveniat jurisdictio, posset S. Sedes recedere a jure communi, hanc committendo personæ laicæ ob causas peculiares.

In quo autem gradu debeat clericus esse constitutus, determinant SS. canones pro variis officiis et dignitatibus, ut suis locis videbitur.

2° Plures requiruntur in clerico dotes, quæ generatim sunt : *a*/ ætas præscripta; *b*/ morum honestas, quæ po-

tissimum consistit in immunitate a censuris et irregularitatibus; *c/* scientia competens. Opus non est notare has dotes pondere et præstantia officiorum esse dimetiendas.

107. Q. II. Quænam requirantur qualitates in subjecto, ut sit capax jurisdictionis *delegatæ?* aliis verbis : quinam possunt delegari?

R. Omnes illi qui nec natura, nec lege excluduntur, et dotibus requisitis sunt instructi. Natura excluduntur ii soli qui privantur usu rationis. Lex excludit non tantum mulieres, sed et laicos, ut statim diximus, excommunicatos, et, juxta plures, irregulares.

Quoad excommunicatos certum est ex L. II. *Decr.* tit. 27. cap. 24, *Ad probandum.* Ratio est quod assumptio ad officium vel dignitatem, vel etiam ad exercitium jurisdictionis, sit quædam communicatio ecclesiastica, quæ excommunicato interdicitur.

Idem dicendum videtur de interdictis et suspensis.

De irregularibus cf. tr. *de irregularitate,* § 3.

Ad dotes quod attinet, canones commendant ut pro gravitate negotii eligatur delegatus *providus, juris gnarus, discretus.* L. IV. *Decr.* tit. 24. cap. 1, *Ex litteris.*

Præterea delegandus a Papa, vel subdelegandus a delegato Papæ, propter S. Pontificis dignitatem, de jure constitutus esse debet in aliqua dignitate ecclesiastica, vel possidere personatum aut canonicatum ecclesiæ cathedralis; tales sunt Officialis seu Vicarius Generalis Episcopi, Vicarius Capitularis, Prior conventualis, quo nomine comprehenduntur priores mendicantium et guardiani Minorum, cum et hi prælaturam gerant. L. I. tit. 3. cap. 11, *de Rescr. in 6;* Clem. cap. 2, *de Rescr.* Attamen *ex certa scientia* aliter agere potest R. Pontifex, et committere simplicem clericum vel monachum, vel etiam laicum. Cf. Trid. *Sess.* XXV. cap. 10; et præn. p. XXIV. n. V.

Episcopus vero potest delegare simplicem clericum, ætatis 20, vel consentientibus partibus saltem 18 annorum, ceteroquin discretum et juris gnarum, etiam non subditum. Hic autem potest delegationem recusare, quod subjectus Episcopi nequit; ast si acceptaverit, tenetur munere sibi commisso fungi usque ad finem negotii, quia sponte se subjecit hac in parte jurisdictioni Episcopi.

C. De forma debita in actu concessionis.

108. Q. I. Quænam forma servanda est in collatione jurisdictionis *ordinariæ?*

R. Cum jurisdictio ordinaria annexa sit officio, et officium conferatur clerico per institutionem canonicam, hæc interveniat necesse est in collatione jurisdictionis ordinariæ, juxta reg. 1 juris *in 6 : Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.*

Institutio canonica, licet sæpius accipiatur sensu strictiori, nihil aliud hic est nisi missio data ab eo, ad quem, sive jure divino, sive jure ecclesiastico pertinet tum assignare subditos et determinare materiam circa quam aliquod officium versatur, tum mittere in possessionem officii.

Hæc institutio vocatur *confirmatio* in officiis electivis ; restricto sensu *institutio,* in officiis collatis ad præsentationem patroni; *collatio,* in officiis directe commissis ab illo cui jus istud competit.

Institutio fit *ab homine,* vel *a jure.* Ab homine, quando superior actu speciali officium clerico confert. Hæc collatio varia est pro variis officiis, sed pro omnibus fieri debet ab auctoritate competente, clerico idoneo, et ab hoc acceptari.

Jure communi nulla forma specialis præscribitur; sed regula generalis, praxi constanti omnium ecclesiarum

recepta, tenet, officia et proin jurisdictionem non conferri sine litteris authenticis, quibus voluntas collatoris, et ipse actus collationis absque ambiguitate significetur. De his sermo redibit in tr. *de beneficiis.*

Institutio fit a jure, quando peracta electione, electus potest immediate exercere officium, quin necesse sit ad superiorem recurrere. Hoc modo instituuntur Prælati quorumdam ordinum religiosorum, Vicarii Capitulares.

Regulariter realis et corporalis institutio, seu missio in corporalem possessionem, quæ etiam *investitura*, et *installatio* dicitur, non requiritur, ut officii munera adimpleri possint. Canonice provisi revera officium jam obtinent, ac illo privari nequeunt, nisi propter causas legitimas, ac servata forma præscripta. Nihil tamen obstat, quominus lege vel consuetudine requiratur immissio in possessionem, antequam provisus vel licite, vel etiam valide jurisdictionem officio annexam exercere possit. De his latius suo loco, et potissimum in tr. *de beneficiis.*

109. Q. II. An aliqua forma servanda sit in collatione jurisdictionis *delegatæ?*

R. Nulla forma specialis requiritur pro collatione jurisdictionis delegatæ, quæ confertur a jure vel consuetudine; talis enim cum officio confertur in locis, ubi jus illud vel consuetudo viget. Neque generatim pro illa, quæ acquiritur ab homine; sufficit ut verbo, scripto, vel alio signo sufficienter manifestetur voluntas superioris jurisdictionem concedentis. Si tamen jus præscripsit aliquam formam sub pœna nullitatis servandam, hæc procul dubio est adhibenda.

Utrum vero requiratur jurisdictionis delegatæ acceptatio, non convenit inter auctores. Videtur tamen affirmandum; quia non censetur concedi, nisi acceptetur. Unde invalide daretur ignoranti.

Agitur hic de conferenda jurisdictione delegata; nam

si opus tantum esset simplici licentia, non requireretur actus delegantis positivus; sufficeret consensus de præsenti merito præsumptus, aut etiam ratihabitio rationabiliter sperata. Istud applicatur celebrationi Missæ in parochia aliena, baptismo et extremæ-unctioni ministrandis in absentia parochi, etc.; non tamen assistentiæ matrimonio (n. 102). Sed rationabiliter non præsumitur consensus, quando quis potest facile petere licentiam, et negligit.

110. Nota 1° officium delegati vel subdelegati est mandatum quod ipsi a delegante, vel a jure commissum est, accurate exequi; quidquid enim extra limites potestatis acceptæ faceret, foret nullum. Potest tamen ea quoque expedire, quæ cum negotio principali ita sunt connexa, ut sine illis recte geri nequeat. Ratio est quod ille qui finem committit, etiam media necessaria ad finem commisisse censeatur. Cf. præn. p. LXV.

2° Delegatus jurisdictionem suam exercere nequit, nisi *a*/ postquam delegatio ei fuit intimata, vel litteræ delegatoriæ ei fuerunt præsentatæ; *b*/ postquam se legitimavit, id est, delegationem probavit. Hoc autem fit litteras communicando Ordinario loci et litigantibus, si sit delegatus a R. Pontifice ad aliquod negotium fori externi; vel adhibendo testes, si sit delegatus inferioris. Ratio est quod delegatio sit factum, et facta non præsumantur.

3° Mandatum suum eo modo exequi debet, quo sufficienter indicetur rem peragi auctoritate superioris. Idcirco SS. Pontifices consueverunt præscribere in nonnullis causis majoris momenti, ut exprimatur in actu concessionis facultatem dari ex auctoritate S. Sedis.

§ 5. *De restrictione jurisdictionis.*

111. Q. I. Quotuplici modo restringatur jurisdictio?

R. 1° De jurisdictione delegata nulla est difficultas; potestas enim delegati vel subdelegati ea omnis et sola est, quam libere superior in mandato exprimit. Restringitur itaque ad arbitrium delegantis.

2° Jurisdictio autem ordinaria restringitur duplici modo : nempe *a/* per *exemptiones,* quando ei subducuntur personæ seu subditi quidam, vel loca, ut immediate subjiciantur superiori, ut videbimus in tr. *de regularibus; b/* per *reservationes,* quando ei subducitur certa materia quæ alioquin ei subjacuisset; v. g. absolutio a gravi quodam peccato, dispensatio in aliquo voto, etc.

112. Q. II. Quando ligetur vel suspendatur jurisdictio?

R. Quando, licet non tollatur officium, vel non revocetur delegatio, adest tamen impedimentum, quominus vel licite, vel etiam quandoque valide exerceatur, quamdiu aliquid non fuerit sublatum. Hæc autem impedimenta sunt appellatio et recursus ad superiorem, censuræ et irregularitates.

Hæc omnia suo loco opportunius tractabuntur. « Annotare sufficiat, ait Icard, T. I. n. 302, principium, vi cujus hæ restrictiones vel suspensiones jurisdictionis fiunt, inhærere formæ constitutivæ Ecclesiæ. Admisso semel quod in societate sit potestas distributa per gradus, et jurisdictiones inferiores a superioribus dependeant, sequitur primum hierarcham posse, intuitu boni publici, causas, seu reales, seu personales, quasdam sibi reservare, illas subducendo jurisdictioni Prælatorum inferiorum; et vicissim istos Prælatos posse, pari jure, nonnulla etiam sibi reservare, restringendo facultates ordinariorum sibi subditorum, qui humiliorem jurisdictionem obtinent. Idem dicendum de relationibus causarum, et de exemptionibus. »

§ 6. *De amissione jurisdictionis.*

113. Q. I. Quibus modis cesset jurisdictio *ordinaria?*

R. Jurisdictio ordinaria fundatur officio et tollitur cum officio, quod diversis modis vacare potest; nimirum

1° *Dimissione.* Dimissio, quæ vocatur etiam *renuntiatio, resignatio, cessio,* est actus quo titularis alicujus beneficii istud sponte sua cedit.

Ut resignatio sortiatur effectum, duo requiruntur : sc. libertas dimittentis, quæ excludit vim, dolum, metum, coactionem, et regulariter acceptatio legitimi superioris. Ut autem licite fiat, requiritur justa causa. Ordo publicus in societate servandus hæc postulat.

Dictum est *regulariter;* nam absque superioris acceptatione cedere possunt : *a/* R. Pontifex, qui non habet superiorem; *b/* clerici Episcopis inferiores qui ingrediuntur religionem. Per professionem solemnem eorum beneficia ipso jure vacant.

2° *Adeptione beneficii incompatibilis,* vel *professione religiosa.* De his sermo erit in tr. *de beneficiis* et *de regularibus.*

3° *Depositione juridica,* vel *simplici revocatione.* Depositio, quæ etiam dicitur *amotio, privatio,* est sententia juridica qua clericus officio destituitur. Huic subjacent officia inamovibilia, quibus nemo privari potest, nisi ob rationes canonicas ac servato ordine judiciario.

Simplex revocatio, seu destitutio, est actus quo clerico tollitur officium, justa quidem et rationabili de causa, sed absque forma judiciali. Huic subjacent officia ad nutum revocabilia seu amovibilia, ut apud nos est officium succursalistarum.

4° *Crimine ipso jure privationem inducente.* Quænam sint illa crimina, eruendum erit ex tr. de *delictis et pœnis.*

Notandum superest, jurisdictionem ordinariam non

extingui morte illius qui officium contulit, etsi in usum deducta nondum fuerit; officium enim cui adhæret gratia est, gratia vero non amittitur morte concedentis; quia decet beneficium Principis esse mansurum. Excipienda tamen est jurisdictio Vicarii Generalis, quæ extinguitur morte Episcopi, ut infra videbimus.

114. Q. II. Quibus modis cesset jurisdictio *delegata*?

R. Quinque præsertim modis : nempe revocatione, lapsu temporis, finito negotio, morte delegantis et morte delegati.

1° *Revocatione* mandati legitime intimata a delegante, aut ejus successore, aut superiore in eodem genere.

Cum delegatio unice pendeat a voluntate delegantis, poterit is pro suo arbitrio, quin teneatur allegare causam et quin detur a revocatione appellatio, concessam delegationem revocare. Parvi refert utrum delegatus jurisdictione uti cœperit, necne.

Revocatio semper est valida; licita quoque erit, si justa habeatur causa, et non cedat in damnum tertii aut mandatarii.

2° *Lapsu temporis*. Si delegationis tempus est limitatum, seu certum tempus præfixum ad causam executioni mandandam, elapso tempore jurisdictio delegata expirat, absque ullo actu superioris, absque ulla notificatione.

3° *Finito negotio* pro quo delegatio fuit concessa.

In causis *justitiæ* « expiravit judicis delegati jurisdictio, inquit cl. Daris, vol. I. n. 32, etiamsi tulisset sententiam ipso jure nullam, ex. gr. partem adversam non citasset. Attamen si sententia ejusdem nulla esset quia formam mandati non observasset, causam reassumere posset, quia in eo casu censetur non usus fuisse jurisdictione delegata. Sententiam nulliter a se latam reformare posset etiam judex, qui delegatus est ad universalitatem causarum; nam hic æquiparatur judici ordinario, et post

latam sententiam ejusque executionem jurisdictionem non amisit.

« In causis *gratiæ,* delegatus, postquam per errorem facti vel juris executionem seu provisionem gratiæ invalide alicui fecit, potest denuo et valide de gratia eum providere, quia concessiones gratiæ sunt late interpretandæ. Papa committens executionem, seu provisionem gratiæ, v. g. beneficii, censetur mandasse executionem seu provisionem cum effectu ; adeoque, quamdiu effectus obtentus non est, permanet gratia, et consequenter ejus executio tamquam accessoria valide fieri potest. »

115. 4° *Morte delegantis,* vel, quod hic idem est, depositione, degradatione, mutatione, cessione, vel alia quacumque ratione, qua jurisdictionem suam amittit.

Hic diversi distinguendi sunt casus. Jurisdictio delegata versatur circa causas justitiæ, seu in foro contentioso, aut circa causas gratiæ, seu in foro gratioso ; in utroque autem casu res adhuc est integra, vel non.

a/ Jurisdictio delegata in causis justitiæ cessat per mortem delegantis, si res sit integra, non vero cessat, si negotium sit incœptum. Dum autem jurisdictio delegata est ad universalitatem causarum, sufficit ad eam retinendam, ut una causa inchoata fuerit.

In foro contentioso dicitur res integra, quando nec citatio, nec litis contestatio facta est.

b/ Jurisdictio delegata in causis gratiæ perseverat, re etiam integra, si, ut aiunt, sit gratia *facta.* Sic habet L. I. tit. 3. cap. 36, *de Resc. in 6,* et reg. 16 juris *in 6 : Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.*

Habetur gratia facta, dum facultas alicui directe conceditur in gratiam ejus ad proprium usum, puta facultas benedicendi rosaria, celebrandi in oratorio privato, erigendi viam crucis, legendi libros prohibitos, absolvendi a casibus reservatis, dispensandi in votis, in impedimen-

tis matrimonii, in lege jejunii et abstinentiæ; prædicandi, confessiones audiendi, recipiendi ordines ab alieno Episcopo, et aliæ hujusmodi gratiæ et facultates.

Habetur etiam gratia facta, dum superior ita committit alicui personæ a se delegatæ munus concedendi favorem, ut delegatus habendus sit veluti executor necessarius; v. g. si R. Pontifex mandet Episcopo, ut dispenset cum Paulo, modo preces veritate nitantur; ut beneficium jam vacans aut proxime vacaturum conferat Petro; vi ejusmodi mandati Paulus et Petrus jus quoddam acquisiere, nempe cogendi Episcopum, ut concessionem exequatur, ac is revera tenetur eam exequi.

Jurisdictio delegata in causis gratiæ morte concedentis expirat, si delegata fuit ad *gratiam faciendam*, et res adhuc sit integra.

Tunc reputatur facultas delegata gratia facienda, quando R. Pontifex ita aliquem delegat ad gratiam certæ personæ conferendam, ut relinquat concessionem libertati delegati; v. g. delegatio Episcopo facta conferendi beneficium Petro, facultas dispensandi cum Paulo in impedimento matrimonii, si expedire videatur; in his enim casibus Episcopus est executor voluntarius, et nullum Petro vel Paulo jus quæsitum est.

Sin autem res non est amplius integra, jurisdictio est quasi radicata in delegato, isque gratiam conferre potest etiam mortuo concedente.

Jam vero jurisdictio dicitur incœpta, et res non amplius integra est, posito primo actu qui ad causam refertur. Cf. *præn.* p. XXXII.

116. 5° *Morte delegati* cessat jurisdictio ejus *personalis*. Hinc facultates quinquennales et triennales, quæ Episcopis Belgii concedi solent, eorum morte cessant; attamen communicationes, seu subdelegationes earumdem, quas vi specialis concessionis pontificiæ fecerunt,

perseverant usque ad terminum præfixum. Ratio est quod, dum facultas subdelegandi a superiore conceditur, delegatus subdeleget nomine superioris, non vero nomine proprio. In eo igitur casu subdelegatus obtinet jurisdictionem non a delegato, sed ab ejus superiore, ad quem propterea etiam est appellandum.

Non tamen perit jurisdictio personalis delegati per ejus dimissionem, nisi aliud indicent circumstantiæ. Etenim volunt non pauci delegationem perire, si propter crimina quis ab officio removeatur, si transeat ad statum in quo non potuisset delegari.

Si delegatio est *realis,* post mortem delegati, vel ejus dimissionem a munere, translationem, etc. transit ad successorem; officium enim vel dignitas cui annexa est non moritur. Hinc si commissio dirigatur ad officialem, ad parochum, mortuo aut amoto officiali vel parocho, qui tempore concessionis gerebat, successor exequi poterit.

In dubio delegationes præsumuntur personales, quia jurisdictio delegata odiosa est, adeoque stricte interpretanda.

Articulus II.

DE SACRA HIERARCHIA.

117. Hierarchia, si vim nominis spectes, perinde valet ac *sacer principatus, præfectura sacra,* seu imperium in rebus sacris. Duplici potissimum sensu adhibetur : sc. aut generatim pro ipsa sacra potestate et personis eam habentibus; aut pro potestate sacra distributa in varias species, et in varios sub unaquaque specie gradus. Dum itaque late sumitur, ad hierarchiam pertinent quicunque potestatem aliquam in Ecclesia habent, omnes proinde clerici; sed ordinarie strictius sumitur, et sola potestas altior hac voce intelligitur; adeo ut ad hierarchiam pertinere dicantur ii soli, qui habent ordines a Christo institutos, et ii qui externi fori regimen exercent.

Hierarchia ergo stricte dicta est certus ordo et series personarum ecclesiasticarum, quibus in diverso gradu altior potestas est divina Religionis mysteria celebrandi, vel Ecclesiam regendi. Hi omnes qui hanc præfecturam aliquo gradu participant, *de* hierarchia esse dici possunt, ceteri vero *sub* hierarchia. Cf. Theol. Mechl. *de sacr. ordinis,* n. 2.

Quum autem duplex in Ecclesia sit potestas, et graduum series existat tam inter eos qui ordinem, quam inter eos qui jurisdictionem habent, idcirco sacer ille principatus respectu utriusque agnoscitur, et solet duplex distingui hierarchia, altera *ordinis,* altera *jurisdictionis.*

Hierarchia ordinis, quatenus a Christo instituta est, constat ex *Episcopis, presbyteris et ministris.* Trid. *Sess.* XXIII, can. 6. Inter ministros certo comprehenditur diaconus; sed usum est Concilium hoc vocabulo, quia noluit decidere quæstionem de divina necne origine ordinum diaconatu inferiorum. *Ibidem* n. 3.

Summus hierarchiæ ordinis gradus habetur in Episcopo. Neque enim major ordo in S. Pontifice reperitur, qui ad ordinem alludens Episcopum se appellat; unde quicumque Episcopus frater est S. Pontificis.

Post Episcopos in hierarchia ordinis late sumpta, id est, quatenus non a sola divina ordinatione repetitur, septem apud Latinos numerantur gradus, nempe presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus. Primi tres sunt ordines sacri seu *majores;* reliqui ordines *minores* appellantur. Græci vero tres tantum gradus ministrorum presbyteratu inferiores computant : diaconatum nempe, subdiaconatum et lectoratum. Duo ultimi sunt ordines minores. *Ibidem* n. 4. ss.

118. Hierarchia jurisdictionis late sumpta plures complectitur gradus, quorum alii divinæ, alii ecclesiasticæ

sunt institutionis. Divinæ institutionis sunt *Primatus S. Petri in ejus successoribus perdurans, et Episcopatus;* ceteri gradus ab Ecclesia originem ducunt.

Sicut vi episcopatus habet R. Pontifex plenitudinem potestatis ordinis, ita vi sui Primatus, immediate a Christo habet plenitudinem jurisdictionis in universam Ecclesiam. Quare merito R. Pontifex *Summus Hierarcha* appellatur.

Singuli Episcopi in peculiari diœcesi sibi a R. Pontifice assignata ordinariam exercent jurisdictionem, eamque habent sive immediate a Deo, sive mediante R. Pontifice, sed tantum in unitate cum ipso.

Presbyteris ipse Christus jurisdictionem non concessit; sed hoc ipso quod immediate a Christo recipiunt in ordine, tanquam in radice, potestatem sacramentaliter solvendi et ligandi, evidenter fuerunt a Christo designati ad obtinendam fori interni jurisdictionem.

Ad normam graduum hierarchicorum ordinis a Christo institutorum, aucto fidelium numero et diœcesium facta distinctione, tum inter Episcopos, tum inter clericos inferiores, plures fuerunt alii jurisdictionis gradus ab Ecclesia constituti. Sic inter Episcopos jure ecclesiastico distinguuntur Patriarchæ, Exarchæ, Primates, Metropolitæ seu Archiepiscopi; inter presbyteros, Archipresbyteri; inter diaconos, Archidiaconi. Ad eamdem normam in collegio Cardinalium habentur Cardinales Episcopi, Cardinales presbyteri et Cardinales diaconi. De his omnibus singillatim sermo erit in Sectione II hujusce primæ Compendii partis.

119. Ex his facile colligitur quod hierarchia seu potestas ordinis vere differat, et separari possit ab hierarchia seu potestate jurisdictionis, attamen cum ea ordinarie conjungatur. Tria hæc manifesta fiunt ex sequentibus.

1° Differunt in multis ab invicem, nimirum : *a*/ pote-

stas ordinis omnibus sacerdotibus æqualiter datur, non vero potestas jurisdictionis; *b*/ prior est indelebilis et irrevocabilis, posterior autem minui, augeri, ac tolli seu revocari potest; *c*/ potestas ordinis per solos Episcopos, et per sacrum aliquem ritum confertur; jurisdictio etiam per presbyteros et clericos auctoritate necessaria pollentes, idque per simplicem juris aut hominis injunctionem; *d*/ prior non potest delegari, posterior autem sæpe delegatur. Cf. Theol. Mechl. *de pœnit.* n. 66.

2° Non ita jurisdictio cohæret potestati ordinis, ut ab ea sejungi non possit. Potest in aliquo existere vel cum, vel absque potestate ordinis, et vice-versa. Quinimo ipsa jurisdictio episcopalis potest in aliquo esse absque ordine episcopali, et vice-versa, v. g. Episcopus præconisatus, sed nondum consecratus, diœcesim sibi assignatam cum plena jurisdictione gubernare potest; item Episcopus consecratus, cui nulli assignantur subditi, et qui dicitur *in partibus infidelium*, ordinem episcopalem habet absque jurisdictione.

3° Licet ordo et jurisdictio separatim stare possint, ordinarie tamen conjunguntur, et in ipsa ordinatione accipitur quædam aptitudo, seu capacitas ad jurisdictionem obtinendam.

Validitas quidem actuum potestatis ordinis, excepto sacramento pœnitentiæ, non pendet a jurisdictione; verum liceitas requirit aliquam missionem seu injunctionem, vel licentiam. Alterutra pro nonnullis actibus debet expresse obtineri a superioribus; sed pro plerisque in ipsa ordinatione traditur, vel praxi Ecclesiæ tacite concessa existit, donec fuerit a dictis superioribus adepta.

Dicimus *excepto sacramento pœnitentiæ*, quia illud, utpote quod exerceri non potest nisi in proprie dictos subditos, ad valorem requirit jurisdictionem in ministro.

Articulus III.

DE POTESTATE ECCLESIÆ LEGIFERA, JUDICIARIA ET COERCITIVA.

Post probata in Capite I sufficienter constat hanc triplicem potestatem Ecclesiæ competere. Attamen, cum de vario illo jurisdictionis exercitio peculiaria quædam utiliter addi possint, ad singulam sermonem reducimus.

§ 1. *De potestate Ecclesiæ legifera.*

120. Potestas legifera est jus designandi media ad finem societatis assequendum necessaria, atque membra ejus obligandi ad eadem adhibenda.

« Primus Aetius, ait Devoti, L. III. tit. 1, omnem Ecclesiæ jurisdictionem et legislativam potestatem eripere conatus est. Ejus errorem secuti sunt Waldenses, Jo. Hussius, Marsilius Patavinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui falso putarunt nullam Ecclesiæ esse jurisdictionem, sed omnem ejus in dirigendo et suadendo positam esse auctoritatem. » Quibus autem sophismatibus usi sint ad illud probandum, vide apud Suarez, *de Legibus,* L. III. cap. 1.

Inter recentiores eamdem potestatem æquivalenter negant qui dicunt, eam a Principibus temporalibus Ecclesiæ collatam fuisse, vel qui fingunt eam pertinere ad totam fidelium communitatem, a qua illam accipiant necesse est, qui in Ecclesia gubernant (supra n. 17 et 22).

Verum legislativa potestate Ecclesiam esse divinitus instructam, sequitur ex eo quod a Christo fundata sit tanquam societas externa, inæqualis, perfecta et independens. Nulla enim hujusmodi societas, inspecta humani intellectus diversitate, voluntatis inconstantia et indomito cupiditatum æstu, potest legislativa potestate carere. Cum vero hæ proprietates Ecclesiæ sint inditæ

positiva Christi voluntate, illam potestatem ipsi competere jure divino merito affirmatur.

Ulterior theseos confirmatio habetur ex S. Scriptura, ex constanti Traditione et perpetua Ecclesiæ praxi, necnon ex Conciliorum et RR. Pontificum definitionibus. Hæc omnia præclare collecta invenies in præl. theol. dogm. n. 134 ss. et apud Bouix, l. c. Cf. Soglia, T. I. p. 165; Devoti, *Proleg.* cap. II § 16 ss.

Potestatis legislativæ objectum proprium sunt res omnes externæ, quæ directe et proxime referuntur ad ordinem spiritualem, uti prædicatio fidei, sacrorum celebratio, disciplina cultus publici, informatio morum, etc.

§ 2. *De potestate Ecclesiæ judiciaria.*

121. Judiciaria Ecclesiæ potestas, de qua hic agimus, jus est exercendi proprie dicta judicia, seu jus dirimendi controversias inter subditos ortas, legumque suarum observationem urgendi. Intelligitur ergo potestas judicandi stricte sumpta, distincta proin tum a foro pœnitentiali secreto et publico; tum a potestate decernendi de fide, vel disciplina; tum a potestate censuras ferendi in certas criminum species.

Exemplo illorum qui potestatem legislativam impugnarunt, « Protestantes omnes, qui jus Principis in sacra tuentur, Ecclesiæ adimunt judiciariam potestatem. Qui cum Puffendorfio Ecclesiam non distinctam rempublicam, aut *statum,* ut inquiunt, sed tantum *collegium* esse contendunt, ut Moshemius, Boehmerus, Budæus aliique, omnem Ecclesiæ esse negant judiciariam potestatem, sed hanc ad jus majestatis Principis sæcularis pertinere arbitrantur, atque Ecclesiæ jus collegiale tantum tribuunt. Joannes Bodinus, L. III. *de Republ.,* ecclesiasticæ jurisdictioni et foro vehementer adversatur, atque cum se-

cutus est Carolus Loysæus in suo *Traité des seigneuries.* In eodem luto hæsitat P. Laborde, qui opusculo cui titulus : *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances, spirituelle et temporelle,* datam a Christo Ecclesiæ potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, cogendique, et pœna coercendi eos qui pœna digni sunt, labefactare et tollere conatur, atque ecclesiasticum ministerium ita sæculari potestati subjicit, ut ad hanc pertinere contendat de externa omni hac sensibili gubernatione cognoscere et judicare. Pravum ac perniciosum opusculum damnavit Benedictus XIV, const. *Ad assiduas 44* (Bull. T. IV), et similis Marsilii Patavini et Janduni error multo ante damnatus est a Joanne XXII, const. *Licet juxta doctrinam.*

« Morinus in opere *de pœnit. administ.* L. I. cap. 10, forum contentiosum Ecclesiæ non distinguit a foro pœnitentiali, atque illum tantum post XI aut XII sæculum Ecclesiam habuisse putat. Cum Morino sentit Van Espen, *Jus eccl. univ.* L. III. tit. 1. Fevretii celebre est opus *de Abusu,* quo ipse ecclesiasticam jurisdictionem et judiciariam potestatem acriter insectatur. Inde Dupinius, *de antiq. Eccl. disc.,* diss. 7 § ult., judicium ecclesiasticum in civilibus et criminalibus clericorum causis et potestatem ex Principis permissu repetit. Petrus Giannonius in *Hist. civ. regn. Neapol.* T. I. L. II. cap. ult., hostis infensissimus contentioso Ecclesiæ foro, omnem ejus potestatem in docendo, orando, suadendo et per censuras corrigendo ponit, et Morino etiam assentitur. Jacobus quoque Gothofridus et Jac. Cujacius judiciariam Ecclesiæ potestatem negant. Novissime canonicus Litta Morini sententiam ad VIII sæculum contraxit, atque ante hoc tempus Ecclesiæ veram judicandi potestatem solum in rebus Religionis adscribit. » Devoti, L. III. tit. 1 § 4.

122. Verum judiciaria potestas supra descripta ad Ecclesiam jure proprio, et a Christo, non ab hominibus accepto, pertinet.

Probatur 1° *ex S. Scriptura,* quæ nobis exhibet, *a/* verba, quibus Christus illam potestatem Ecclesiæ suæ contulit. Sic Matth. XVIII, 18 : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Hæc enim verba ad utrumque forum, internum et externum, tum contentiosum, tum voluntarium referuntur, siquidem absque ulla distinctione declarent, Deum ratihabiturum in cœlo sententias, quas primi Pastores protulerint in terra, ligaturum, vel soluturum quæ alligaverint vel solverint in Ecclesia, in ordine ad finem supernaturalem. Cf. etiam Matth. XVI, 19.

Item et expressius Matth. XVIII, 15 s. : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos...; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ,* sc. Ecclesiæ rectoribus; *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* sc. ab Ecclesia ejiciatur et pro ejecto habeatur.

Porro ibi reperiuntur omnia exterioris judicii essentialia : nempe, reus : *si peccaverit in te frater tuus;* accusator : *dic;* Judex : *Ecclesiæ;* causæ cognitio : *dic Ecclesiæ* fratris tui peccatum; sententia : *si Ecclesiam non audierit,* seu Ecclesiæ sententiæ non acquieverit; demum coercitio seu pœna, eaque gravissima, sc. amputatio a corpore Ecclesiæ : *sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo etc.

b/ Praxim Apostolorum. Apostoli, qui divina Christi instituta nobis tradiderunt, non tantum usi sunt potestate judiciaria, ut mox § 3 videbimus, sed et regulas in exercitio hujus potestatis servandas præscripserunt. Et re

quidem vera docet S. Paulus et præcipit, 1 Cor. v, 12 s. et initio cap. vi, omnes christianorum lites et causas esse in Ecclesia judicandas et componendas, corripitque Corinthios quod judicio contenderent coram judice ethnico. Quinimo, 1 Tim. v, 19, Timotheum docet judicii methodum, quam Episcopus contra presbyterum servare debet : *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

2° *Ex traditionibus Ecclesiæ.* Primi Pastores, exemplo et monitis Apostolorum instructi, sive ethnicis dominantibus, sive sub christianis Principibus, potestatem judiciariam exercuerunt non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro; habueruntque judicia, non tantum de rebus fidei morumque regulis, sed etiam de controversiis, quæ inter christianos oriebantur. Cf. Devoti, l. c. § 13 ss.; et infra sub *b*/.

3° *Ex S. Sedis condemnationibus,* quarum nonnullas ex Devoti initio § allegavimus.

4° *A ratione.* Supra probatum est Pastoribus Ecclesiæ competere potestatem legislativam. Jam vero, spectata applicationis legum difficultate, humani intellectus diversitate, perversarumque cupiditatum æstu, potestas legifera nec plena, nec in se bona et utilis esset, nisi adjunctam haberet judiciariam potestatem, qua leges ad casus singulares applicarentur, et earum violatio vindicaretur. Ergo.

123. Errant igitur : *a*/ qui asserunt antiquitus Ecclesiæ magistratus arbitros potius fuisse, quam veros judices. Apostolus enim christianos apud ethnicos litigare vetuerat, neque id consilii, sed præcepti loco constituerat. Consequens erat ut judicia agerent vel apud sapientem, qui eligi non poterat sine auctoritate eorum qui Ecclesiæ præerant, vel apud Apostolos et Episcopos, id est apud illos, qui summum in christiana Republica magistratum obtinebant.

b/ Qui asserunt forum contentiosum a foro pœnitentiali non semper in Ecclesia distinctum fuisse, illudque exortum ex Imperatorum concessione XI vel XII sæculo, ut cum Morino sentiunt Van Espen et Dupin; vel ad summum VII vel VIII sæculo, ut placet canonico Litta, et aliis.

Hujus assertionis falsitatem invicte probant monumenta traditionis ad primam Ecclesiæ ætatem pertinentia. Jam sub ipso Apostolorum regimine vidimus a S. Paulo memoratum contentiosum Ecclesiæ forum. S. Cyprianus, *in Ep. 55 (alias 59) ad Cornelium Papam* data, narrat Carthaginem venisse « Privatum hæreticum, in Lambesitana colonia ante multos fere annos, ob multa et gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum. » Deinde refert de pseudo-episcopo Fortunato et sociis Carthagine condemnatis. Hæc ante annum 252 gesta sunt. Juxta canones Apostolorum, qui tertio, aut forte quarto Ecclesiæ sæculo editi sunt, Episcopus semel et iterum a Synodo vocandus est, antequam adversus eum sententia proferatur. Ita Eutychen, Dioscorum atque alios semel, iterum et tertio vocatos fuisse constat ex actis Concilii Constantinopolitani, Chalcedonensis, aliorumque Conciliorum; et quod ecclesiasticæ lenitatis proprium est, Nestorius quarta etiam vice a Concilio Ephesino citatus est.

« Certissimum est, inquit Bianchi, *della potestà della Chiesa,* L. I. cap. V § 2, penes Ecclesiam semper fuisse forum externum, a foro conscientiæ et pœnitentiali diversum; ea nempe certitudine, qua constat ab Ecclesia omni ævo receptas fuisse contra reos denuntiationes seu accusationes, discussa testimonia, auditas utriusque partis rationes, sententia damnatos reos qui convicti vel contumaces fuerunt; aut in casu notorietatis publicæ punitos eosdem post causæ discussionem. Quam priorum

sæculorum disciplinam si quis negare velit, necesse est ut omnibus, quæ remanserunt, horum temporum monumentis historicis valedicat. »

Multa de hac quæstione habet Bouix, *de judiciis,* P. I. cap. 3 § 2-4; Fleury, Disc. 7 sur l'hist. eccl., *de la jur. ess. à l'Eglise.*

§ 3. *De potestate Ecclesiæ coactiva.*

124. Potestas coactiva, coercitiva, seu puniendi, versatur in pravis moribus corrigendis, cum potestate reos, vi externa adhibita, compellendi ad legum observantiam, vel judiciorum sententiam subeundam et exequendam.

Potestatem coercendi legum violatores et criminum reos Ecclesiæ competere,

Probatur 1° *ex S. Scriptura : a/* ex textu Matth. XVIII, 15 mox allegato § 2.

b/ Ex epistolis S. Pauli. Potestatem coactivam sibi divinitus collatam fuisse S. Paulus sæpius denuntiat. Namque II Cor. XIII, 10, *Ideo,* inquit, *hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi.* Ibidem cap. X. 6, profitetur se habere *in promptu, ulcisci omnem inobedientiam;* hocque, ut ait v. 8, ex *potestate, quam dedit nobis Dominus.* II Thess. III, 14 : *Si quis,* ait, *non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo.* Et I Cor. IV, 21 : *In virga veniam ad vos?* Dein eam factis ostendit : in Hymenæum et Alexandrum, itemque in Corinthium incestuosum animadvertit, quem postea, cum resipuisset, pœna solvit atque Ecclesiæ communioni restituit.

2° *Ex S. Sedis condemnationibus.* Certum omnino est propositionem, qua Ecclesiæ denegatur potestas coercitiva, fuisse pluries damnatam ut hæreticam. Sic in const.

Licet juxta doctrinam Joannis XXII an. 1327 contra Marsilium Patavinum et Jo. Jandunum; in Brevi *Ad assiduas* Ben. XIV; in Bulla *Auctorem fidei* contra Syn. Pistoriensem, de quibus supra; recenter in Brevi dogmatico *Ad apostolicæ* 22 Aug. 1851, quo Pius PP. IX damnavit opera Joannis Nuytz, inter reprobatas propositiones recensetur illa, qua asseritur *Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque potestatem ullam directam vel indirectam.* Hanc propositionem refert *Syllabus* n. XXIV. Cf. insuper præl. theol. dogm. l. c. n. 133 et 135.

3° *A ratione.* Nam sine jure coercendi nihil efficax est potestas condendi leges et judicandi. Quid enim prodesset jubere vel vetare, si ii, qui legibus parere detrectant, coerceri et puniri non possent? Quid juvat judicia exercere, si sententiam exequi non possis?

Sic generatim vindicata Ecclesiæ potestate coercitiva, speciatim jam discutiendum venit, an Ecclesia habeat potestatem infligendi censuras latæ sententiæ et pœnas corporales.

A. De potestate Ecclesiæ ferendi censuras latæ sententiæ.

Censura latæ sententiæ est illa, qua homo, per solam legis transgressionem cui annexa est, nulla prævia monitione, ejusdem legis ministerio statim perstringitur.

125. Ejusmodi censuras, præcipue vero excommunicationes latæ sententiæ, improbarunt Godscalcus Rosemundus, Ayala, Van Espen, Pistorienses et alii, vel quia non præcedit canonica monitio et consequenter non constat de rei contumacia, aut quia non præcedit examen personale, quod de jure naturali et divino ad pœnas infligendas requiritur; vel quia primis decem Ecclesiæ sæculis ignotæ recenter adinventæ fuerunt.

Verum 1° quid censuris latæ sententiæ deest quod jure

naturali requiritur ad censuram incurrendam? Prorsus nihil : adest delictum, et quidem ex gravioribus, ut supponitur; nam nonnisi pro istis feruntur. Adest admonitio; nam admonitionis loco est ipsa promulgatio legis, aliquid fieri præcipientis vel prohibentis, sub pœna censuræ. Adest consequenter et contumacia; « quis enim dubitet, rogat Berardi, *Diss. III.* cap. 5, contumacem habendum esse illum, qui, cum noverit crimen non solum a lege prohiberi, sed etiam ipso facto censura damnari, nihilominus illud admittere non veretur? Si quidem, cum lex in proposito duplicem habeat partem, priorem qua factum improbatur, posteriorem qua factum censura plectitur, qui priorem violat, inobedientiam, qui posteriorem violat, contumaciam admittit. »

Quod vero ad examen personale spectat, quo reo locus defensionis concedatur, illud, ut patet, in foro interno, seu coram Deo, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, locum frustra haberet. In foro autem externo requiritur sententia declaratoria; non quidem ut censura infligatur, sed ut crimen, non notorium, commissum declaretur; nam nullus in eo est reputandus censura innodatus, nisi legitime probetur reus.

2° Neque legi divinæ opponuntur. Imprimis nullus S. Scripturæ textus iis contradicit. Dein dum Christus Dominus Ecclesiæ suæ fundamenta jecit, voluit quidem ut in ea esset potestas censuras infligendi; sed modum eam exercendi Ecclesiæ determinationi reliquit.

3° Hæc autem jam prioribus sæculis quorumdam atrociorum criminum reos, facto ipso, seu sola criminis perpetratione perpetuo a sacramentis arcebat, ut tradunt præter Petavium, Morinum, etc., Cardinalis Bona et Benedictus XIV, *de Syn.* L. X. cap. I, 6.

B. De potestate Ecclesiæ infligendi pœnas corporales & temporales.

126. Catholici omnes agnoscunt Ecclesiæ jus pœnas spirituales infligendi; verum inter eos quæstio movetur, utrum etiam possit proprio jure pœnis corporalibus, sive temporalibus, in reos animadvertere?

Prænotandum I. varias esse afflictionum temporalium species : sunt enim *a/* quæ partem constituunt pœnitentiæ, inprimis pœnitentiæ publicæ; *b/* quæ annexæ sunt censuris; *c/* quæ sunt effectus privationis officiorum vel beneficiorum; *d/* tandem quæ directe corpus vel bona fortunæ afficiunt; hæ proprie pœnæ corporales et temporales vocantur, et circa has versatur præsens controversia.

II. Non agi de pœna sanguinis, id est, mutilationis et mortis; nam Ecclesia semper habuit tanquam mansuetudini suæ contrarium, ut ipsa sententiam mortis vel mutilationis pronuntiaret, aut exequeretur. Quare clericus, si flagitium morti dignum patraverit, debet a judice ecclesiastico degradari, et postea tradi brachio sæculari, addita prece, ut, si fieri possit, sanguis non fundatur, juxta adagium in jure receptum : *Ecclesia abhorret a sanguine.* Trid. *Sess.* XIII. cap. 4, *de ref.*

127. His positis, contra nonnullos respondetur : Ecclesia jure suo infligere potest mitiores pœnas, licet temporales et corporis afflictivas.

Probatur 1° *ex antiquissimo earum usu,* qui exhibet vetustam doctrinam SS. Patrum, scriptorum, Pontificum quoque et Conciliorum. Cf. Devoti, L. III. tit. 1, et L. IV. tit. 1 et 17; Bouix; *de judiciis,* P. I. cap. 4 § 1.

2° *Ex Trid. Sess.* XXV, cap. 3, *de reform.,* ubi judicibus ecclesiasticis potestatem pœnas corporales infligendi agnovit confirmavitque.

3° *A ratione.* Fatentibus adversariis, jus est Ecclesiæ

imponendi afflictiones corporales per modum pœnitentiæ, quare idem non posset per modum pœnæ? Cf. Icard, T. III. n. 754.

Obj. 1° Ecclesia est societas spiritualis, tales autem pœnæ sunt temporales; proinde eas Ecclesia infligere nequit.

R. *Neg. cons.* Pœnæ enim illæ ad finem spiritualem ab Ecclesia infliguntur, et ea ratione, quamvis temporalia vel corporalia afficiant, sunt tamen e genere pœnarum ecclesiasticarum.

Obj. 2° Potestas illa coactiva odiosa est, et aliena ab indole pacifica Ecclesiæ.

Respondet Perrone, *præl. theol. comp., de Eccl.* n. 213, objectionem non afficere, nisi modum hujus potestatis exercendæ; « modus porro, ait, permisceri nullatenus debet cum jure de quo disserimus. Hic autem modus potest accommodari locorum, temporum ac personarum adjunctis, prout semper factum ab Ecclesia est. Interdum sufficit sanctio spiritualis, interdum vero etiam corporali opus est; cum autem pro fine emendatio delinquentis habeatur, patet eam non repugnare Ecclesiæ indoli. Certe S. Petrus Ananiam et Saphiram, S. Paulus incestuosum Corinthium, Hymenæum et Alexandrum non solis pœnis spiritualibus mulctarunt. »

SECTIO POSTERIOR.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

PROOEMIUM.

DE PERSONIS IN GENERE.

128. Jure civili romano persona est homo in libertate constitutus, sive est homo liber distinctus a servo, qui nec libertatem, nec personam habet. Jure canonico antiquo personarum nomine quandoque intelligebantur duntaxat majores inter clericos; ex quo ortus est *personatus,* qui in sola personæ ecclesiasticæ præeminentia, absque officio et jurisdictione, consistit.

Ast usu factum est, ut personæ nomine jam intelligatur quilibet homo, sine distinctione inter servum et liberum, inter minorem et majorem; et recte quidem, *quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber... et personarum acceptio non est apud eum.* Ephes. VI, 8 s.

129. Personæ dividi possunt in *fideles* et *infideles.*

Fideles vocantur illi, quos lavacro baptismatis Christus Dominus membra Ecclesiæ suæ effecit. Dicuntur etiam *christiani, sancti, illuminati, initiati, perfecti, filii* et *cari Dei.*

Infideles vero sunt, qui sine baptismate extra Ecclesiam juxta leges gentium vivunt, quique propterea ad ipsam nullatenus pertinent, ut sunt *Pagani,* qui verum Dei cœli et terræ negantes, idola colunt et adorant; *Saraceni* seu *Mahumetani*, qui impiæ Mahometicæ sectæ adhærent, ejusque dogmata in alcorano contenta sequuntur, et nec novum Testamentum recipiunt, vetus tantum ex parte amplectuntur, quales sunt non tantum

Turcæ, sed etiam Persæ, Tartari, Ægyptii et plures in Africa; *Hebræi* seu *Judæi,* qui legem mosaicam absque fide in Christum sectantur.

Erga infideles habet Ecclesia ministerium prædicationis, quo pro suo jure fungitur; non vero potestatem legiferam, nec coercitivam. « Quum Ecclesia, ait Tridentinum, *Sess. XIV, c. 2 de pœn.,* in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi,* inquit Apostolus 1 Cor. v, 12, *de iis qui foris sunt judicare?* »

130. Fideles subdividuntur 1° in *orthodoxos* et *heterodoxos.* Orthodoxi sunt qui veram et integram catholicam Christi fidem sub uno visibili Ecclesiæ Capite R. Pontifice profitentur, et catholici dicuntur. Heterodoxi vero, qui ab Ecclesiæ unione recesserunt, et errores ac schismata sequuntur ab Ecclesia damnata, quorum alii hæretici, alii schismatici vocantur.

Heterodoxi sunt vere subjecti ecclesiasticæ jurisdictioni, nam retinent characterem baptismalem, qui est fundamentum hujus subjectionis. Ecclesia summo tamen moderamine utitur sua in eos potestate; et non intendit communiter legibus suis generalibus obstringere eos, qui a certo tempore jam consummato schismate separati sunt ab unitate catholica. De hæreticis consule tractatum *de legibus* et *de imp. matr.*

131. 2° Et hæc præcipua divisio est, qua totus fidelium cœtus, seu universum Ecclesiæ corpus, divina Christi institutione, in *laicos* et *clericos* distribuitur. Duplicem inter illum personarum statum, jure partim divino, partim ecclesiastico, tertius fuit interjectus, nempe *regularium.*

132. Fideles *laici,* sic dicti a voce græce λαός, quæ significat *populum, plebem,* sunt illi, qui Ecclesiæ nomen dederunt, sed nulli peculiari ecclesiastico ordini, vel muneri addicti sunt.

Inter eos distinguuntur *neophyti* et *catechumeni*. Neophyti appellantur, qui ab infidelitate egressi recens baptizati sunt. Quamdiu autem in neophytorum gradu persistant, non est in jure definitum; ast cum hic gradus ad fidei probationem, morumque experimentum sit ab Ecclesia institutus, definitio relinquenda videtur judicio Episcopi, qui morum integritatem fideique constantiam expendit.

Catechumeni (κατηχεῖν, *docere*) non sunt veri Christi fideles, cum non fuerint sacro baptismate initiati; sed quasi candidati christianæ Religionis, animo tantum et voto, non vero actu, ad Ecclesiam pertinent.

Spectant laici ad potestatem civilem, ejusque legibus tanquam Reipublicæ cives subjiciuntur; sed ad Ecclesiam quoque pertinent, quia baptismo donati inter ejus filios cooptati sunt.

In Ecclesia laicorum jura versantur tum circa modum agendi clericorum erga ipsos; tum circa receptionem sacramentorum et bonorum spiritualium, ut clarius videbitur agendo de obligationibus clericorum; tum circa præsentationem ad beneficia et quasdam prærogativas honorificas.

Eorum vero obligationes universim referuntur tum ad debitam Ecclesiæ et clericis obedientiam et reverentiam; tum ad honestam clericorum sustentationem (inferius P. II. *de oblationibus*); tum ad auxilium pro temporum opportunitate Ecclesiæ præstandum, ut commissum sibi ministerium liberius exequatur (supra n. 34 s.).

133. *Clerici* vocantur illi, qui divino cultui et Ecclesiæ ministerio debite et specialiter sunt deputati. Nomen habent a voce græca κλῆρος, quæ idem sonat ac *sors*, vel *hæreditas;* unde illud S. Hieronymi, *ep. 52 ad Nepot.* : « Ministri Dei propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars clericorum est. »

Aliquando *canonici* dicebantur, quia nomina eorum erant inscripta canoni seu catalogo, albo, matriculæ, tabulæ alicujus ecclesiæ.- nos sumus inscripti ecc. cathedrali.

134. Nomine clericorum, 1° In materia *favorabili,* veniunt, si strictius sumatur, quotquot prima etiam tonsura tantum sunt initiati, licet excommunicati, suspensi, interdicti, dummodo habitum deferant et alicui ecclesiæ inserviant, usque ad supremum in Ecclesia Caput. Si latius sumatur, veniunt pariter regulares, monachi quamcunque religionem professi, uti equites Teutonici et Melitenses; fratres laici sive conversi; eremitæ, modo habitum acceperint ab Episcopo, subque ejus obedientia vivant, et deputati sint pro servitio ecclesiæ cujusdam vel oratorii; fratres et sorores Tertii Ordinis SS. Francisci et Dominici, si in communi vivant; moniales in materia sibi adaptabili. Hoc deducitur ex c. XVII, q. 4. can. 29 *Si quis suadente;* et L. V. *Decr.* tit. 39, cap. 33 *de sent. excom.* Ratio est quod personæ enumeratæ sint pars et sors Domini, specialiter electæ ad cultum divinum.

Nomine tamen clericorum non comprehenduntur membra congregationis religiosæ, sive virorum sive mulierum, approbatæ a Prælatis, R. Pontifice inferioribus.

2° In materia vero *odiosa,* dum v. g. agitur de censura etc., nomine clericorum veniunt tantum clerici sæculares simplices, nisi vel aliud exprimatur, vel ex substrata materia colligatur. Unde in odiosis nomine clericorum non intelliguntur Episcopi aliique Prælati; ex L. V. tit. 11, cap. 4 *de sent. excom. in 6;* neque canonici, vel alii in dignitate ecclesiastica constituti, ex L. V. tit. 6. cap. 22 *de elect. in 6;* neque monachi, neque ceteri regulares utriusque sexus, juxta gloss. in Clement. I *de suppl. negl. Præl.*

135. *Regulares* tandem, seu monachi et moniales, vo-

cantur, qui sub regulis ab Ecclesia probatis, per peculiare vitæ genus et consiliorum evangelicorum observantiam, ad perfectionem contendunt.

De monachis et regularibus quærit Soglia, *Jus priv.* L. I. § 1, utrum clerici, an laici habendi sint? Et respondet : « Si primævam eorum originem et institutionem consideres, profecto inter laicos annumerabis ; postquam vero ad sacros ordines, quibus antea non initiabantur, aditus eisdem patuit, in posterum in clericos relati sunt; quapropter etiam regulares clerici nominantur. Laici vero professi, qui nempe remoti a quocumque ordine vota tantum nuncupant, revera laici habendi sunt; gaudent tamen, quemadmodum moniales, privilegiis clericalibus, præsertim fori et canonis. »

His præpositis, transimus ad objectum hujus secundæ Sectionis, quam ideo *de personis ecclesiasticis* inscripsimus, quia, relictis laicis, de solis clericis et regularibus agere nobis animus est. A dignioribus autem, seu ab Hierarchis, æquum est ut ducamus exordium.

CAPUT I.

DE ROMANO PONTIFICE EJUSQUE ADJUTORIBUS.

136. R. Pontifex potest considerari vel ut Princeps civilis, seu temporalis, vel ut Princeps ecclesiasticus, seu spiritualis.

Rursum in persona sacra R. Pontificis plures uniuntur gradus et dignitates. Est enim

1° Episcopus urbis Romæ; Archiepiscopus et Metropolita Romanæ Provinciæ, quæ hodie constat iis episcopatibus, qui inter Capuam Pisanamque provinciam nulli Archiepiscopo subsunt; Primas seu Exarcha Italiæ, et Patriarcha Occidentis.

Decreta quæ in una ex his qualitatibus R. Pontifex edit pro aliquo peculiari territorio, extra illud non obligant. « Possunt tamen et debent, nisi quid obstet, pro regula et exemplo a cæteris Episcopis haberi et suscipi. » Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. c. XII, 6.

2° Caput visibile Ecclesiæ ac Vicarius Christi, Episcopus Episcoporum, communis omnium fidelium Pater. Vocatur *Papa,* quod nomen initio proprium fuit omnibus Episcopis, quin etiam sæpe ad minores quoque clericos translatum est. Sed jamdiu (post sæc. v.) solus R. Pontifex ob eminentem suam dignitatem hoc nomine designatur. Ipse autem demississime se vocat *servum servorum Dei.*

Nota. De R. Pontifice, tanquam supremo Ecclesiæ Capite, in sequentibus est sermo; pauca tamen addentur de ejus principatu civili.

Cum autem R. Pontifex per se ipsum solum non possit totam suam exercere jurisdictionem, non secus ac Principes temporales pluribus indiget ministris, qui ejus Curiam constituant, quique tum consilio, tum opera, ei præsto sint in regimine Ecclesiæ universalis. Hic porro locum petit, quantum ad jus canonicum pertinet, tractatus de Curia Romana seu Pontificia, seu de selectis illis spectatissimisque viris, qui R. Pontifici subministrant.

Quia tandem R. Pontifex suos habet conventus seu Concilia, de his quoque agetur.

Articulus I.

DE CREATIONE R. PONTIFICIS.

Ad creationem R. Pontificis spectat ejus electio, coronatio et consecratio.

§ 1. *De electione R. Pontificis.*

Ab initio Ecclesiæ ad hæc usque tempora R. Pontifex creatus fuit per electionem; sed varia fuit eligendi ratio pro varia temporum vicissitudine, uti videre est apud historicos et etiam apud Soglia, *Jus publ.* § 62.

137. Antequam describamus modum, quo electio R. Pontificis hodie fiat, quærimus utrum R. Pontifex necessario assumi debeat per electionem, an vero etiam alio modo creari possit; seu an R. Pontifex possit pro suo arbitrio designare suum successorem?

« Multi arbitrantur, inquit Icard, T. I. n. 72, non jure divino, sed humano constitutum fuisse, ut Papa designetur suffragiis electorum; arguunt ex silentio Scripturarum et Traditionis circa divinam ea de re ordinationem. Inde concludunt S. Pontificem posse immutare modum consuetum, et illum nominare, qui post suam mortem Sedem ap. tenere debeat.

« Alii, ut putamus communius, tenent id excedere limites juris pontificii : 1° quia præsumendum est usum, adeo constanter ac invariabiliter servatum in electione Pontificis, indicatum fuisse divina Christi voluntate; 2° quia jus, quod tribueretur Pontifici suum nominandi successorem, vergeret in detrimentum Ecclesiæ, illam utique exponendo successioni plurium Pontificum, qui S. Sedem veluti hæreditate inter cognatos occuparent; quod foret maximum malum et obstaculum reformationi abusuum; 3° quia, dum Papa superstes est, non potest alium sibi in regimine consociare, non enim patitur Ecclesia una multiplicitatem sponsorum; instanti autem quo defunctus est, nullo amplius jure potitur ad transmittendum alteri pontificatum. Effectus nominationis, ait Barbosa, refertur ad tempus inhabile, quo eligens Pontifex jam non est; igitur nullomodo futurum successorem eli-

gere potest, » Ita Fagnanus, Turrecremata, Cajetanus, Baronius, et Barbosa, *Jus eccl. univ.* L. I. cap. 1, 38-41.

Suarez quasi mediam viam tenet : propositæ opiniones duæ habentur probabiles, inquit, *de fide,* disp. x, sect. iv, 16; ego tamen nec simpliciter concederem dictam potestatem Pontifici, nec negarem simpliciter. Potest ergo Papa ordinare modum electionis, justum tamen et utilem Ecclesiæ, qui non sit in destructionem ejus, sed in ædificationem; quare si tentaret prædictum eligendi modum tanquam ordinarium præscribere, is minime valeret, nec esset observandus, quia plane vergeret in perniciem Ecclesiæ; unde apertam contineret injustitiam. Attamen si in raro casu, urgente aperta Ecclesiæ necessitate, id faceret, juste ageret, legitimaque uteretur potestate, ut arbitror. » ·

138. Controversia illa in medio relicta, Q. I. Quisnam sit secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam modus eligendi S. Pontificem?

R. Alexander III, ut mala, tum ex Imperatoris immixtione, tum ex cleri populique contentionibus enascentia, eliminaret, in Concilio Lateranensi III, anno 1179, jus eligendi Pontificem ad Cardinales totum devolvit, sanxitque ut ille demum in legitimum Pontificem electus censeretur, qui a duabus saltem partibus Cardinalium præsentium receptus fuisset.

Multas subinde sapientissimas dispositiones, electionem Pontificis concernentes, adjecere sequentes Pontifices, inter quos præsertim laudandus est Gregorius X, qui anno 1273 instituit disciplinam conclavis.

139. Nomine *Conclavis* intelligitur vel cœtus Cardinalium ad electionem S. Pontificis concurrentium, vel locus in quo ad hunc finem adunantur.

Ritus electionis illius adamussim descriptus habetur in Cæremoniali romano Gregorii XV jussu edito; ex quo sequentia summarie traduntur.

I. Papa defuncto, a secretario Sacri Collegii monentur de morte Pontificis Cardinales, etiam absentes, imo et censura innodati, qui per decem dies, non ultra, sunt expectandi. His completis, Cardinales præsentes conveniunt in Basilica S. Petri, ubi celebratur missa de Spiritu Sancto; qua finita, cantando *Veni creator* pergunt ad conclave, in Quirinali hodie palatio aptari solitum. Ibi leguntur Pontificiæ constitutiones de eligendo S. Pontifice, et Cardinales earum observantiam jurejurando spondent. Semel autem ingressi conclave exire nequeunt, nisi peracta novi Pontificis electione. Si quis eorum exeat infirmitatis causa, nequit regredi, etiamsi convaluerit, nec vocem habere.

Clauditur conclave intus et foris, et claves camerario, cæremoniarum magistro et custodibus conclavis traduntur. Intus autem præter Cardinales remanere nequeunt nisi eorum familiares aliique nonnulli officiales et ministri. Per rotas quasdam cibi introducuntur, adhibitis cautionibus et rotarum custodibus, ne cum cibis aliqua carta aut notitia ad aliquem conclavistam deferatur. Cardinales tamen qui veniunt incœpto jam conclavi introducuntur.

Statuerat Gregorius X, ut si primis tribus diebus non fieret electio, Cardinales sequentibus quinque diebus uno duntaxat ferculo reficerentur; quibus, electione non facta, decursis, eis solummodo panis, vinum et aqua ministrarentur. At rigorem hunc temperarunt Clemens VI et Pius IV; ita ut elapsis dictis duobus terminis, adhuc ferculum unum indulgeatur.

II. In Pontificem eligi potest quilibet vir christianus catholicus, etiam laicus et uxoratus, dummodo habeat ea quæ jure divino et naturali ad dignitatem requiruntur.

III. Ex constitutione Gregorii XV, *Æterni Patris,* triplex proponitur electionis forma : per inspirationem, per

compromissum, per scrutinium. Electio fit *per inspirationem,* quando misso cœlitus signo futurus Papa designatur, vel quando omnes Cardinales uno ore aliquem repente conclamant. Per *compromissum,* quando Cardinales aliquibus electionem Papæ committunt. Tandem per *scrutinium,* quando singuli eligentium suffragium suum scribunt, quod plicatum et sigillatum immittunt in vas, magni calicis formam habens, postea per designatos scrutatores publice legendum.

Ut electio valida sit, saltem duæ tertiæ Cardinalium partes in eam debent consentire, sive per viam scrutinii, sive per viam scrutinii et accessus. Numerus autem suffragiorum ita computandus est, ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, ne quisquam seipsum eligere seu suffragium sibi dare ullatenus possit. Electi tamen persona, si in conclavi est, debet in numerum Cardinalium computari.

In scrutinio, antequam schedula in calicem mittatur, a quolibet Cardinali juramentum alta et intelligibili voce præstatur : *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere quem secundum Deum judico eligi debere, et quod idem in accessu præstabo.*

Scrutinio publicato, si quis a duabus partibus concordantibus suffragiorum fuerit electus, mox ille Pontifex renuntiatur; si vero duæ tertiæ in unum non conveniant, alii Cardinales possunt alicui ex nominatis suum suffragium addere et sic numerum complere, ut dicitur, per *accessum,* qui semel tantum in quolibet scrutinio permittitur.

IV. Peracta electione, consensum ab electo petit Sacrum Collegium. Quo præstito, legitime electus illico, nulla interposita confirmatione, Christi vices in terris, ac supremam plenamque jurisdictionem in universam Ecclesiam a Deo immediate recipit, etsi alias ad ordines

nondum esset promotus. Ratio est quod jurisdictio pontificia nec ab ordine pendet, a quo separabilis est, nec a confirmatione, cum Papa superiorem in terris non habeat; sed a sola electione debite acceptata, quæ acceptatio requiritur, ut conjugium quod inter ipsum et Ecclesiam contrahitur, ratificetur.

Dicitur *legitime* electus; nam si electio fuerit invalida, utpote vel contra canones, vel contra formam, aut libertatem electionis, jus nullum electo tribuere potest. Tunc exspectanda foret Ecclesiæ universalis acceptatio, quæ defectum electionis invalidæ, si desit tantum conditio jure humano requisita, sanabit, adeo ut electus verus Pontifex evadat.

V. Post datum consensum, electus novum regulariter assumit nomen, papali habitu induitur, et sedens in cathedra recipit salutationem, quæ fit a Cardinalibus osculo pedum, manuum et oris. Tunc prior e Cardinalibus diaconis e consueto loco electionem novi Pontificis populo denuntiat, dicens : *Annuntio vobis gaudium magnum : habemus Papam Eminentissimum et Reverendissimum Dominum N... qui sibi nomen elegit, ut N... in posterum vocetur.*

§ 2. *De consecratione et coronatione R. Pontificis.*

140. Si electus Pontifex non sit Episcopus, *consecratur* per Decanum Sacri Collegii, inter missarum solemnia ante hymnum angelicum; et consecratus ipse missam prosequitur et perficit, uti etiam f. ep. consecratus.

Sin autem electus Pontifex jam sit Episcopus, non consecratur denuo, sed benedicitur die quo coronatur.

141. *Coronatio* autem fit per antiquiorem Cardinalem diaconum, qui post missarum solemnia in porticu superiori Basilicæ Vaticanæ, Pontificis coram populo in

throno sedentis capiti imponit Tiaram seu Tri-Regnum dicens : *Accipe tiaram tribus coronis ornatam, et scias te esse Patrem Principum et Regum, rectorem orbis, in terra Vicarium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

In processione, quæ fit ante missam die coronationis Papæ, ut vanitatis et brevitatis gloriæ hujus mundi memor sit, ter ante illum in summitate arundinis comburitur stuppa, et singula vice ab uno cæremoniarum magistro acclamatur : *Sancte Pater, sic transit gloria mundi.*

Falso autem aliqui dicunt quod coram Pontifice cantetur : *Non videbis annos Petri.* Cf. Moroni, *le cappelle pontif.* § VI. II. 2.

Articulus II.

DE INSIGNIIS R. PONTIFICIS.

142. 1° R. Pontifex ordinarie induitur veste talari seu subtanea alba, pileolo albo, aut galero rubro.

2° Præter ornamenta episcopalia, id est rochettum et mozettam coloris purpurei, ornatam pelliculis herminiæ, etc. semper utitur orario seu stola.

3° Item Tiara, tribus ornata coronis, in signum juxta quosdem triplicis potestatis, ordinis sc., jurisdictionis spiritualis et jurisdictionis temporalis, secundum alios, in signum triplicis potestatis, magisterii sc., legislatoris et judicis. Baculo vero pastorali non utitur tum propter historiam, tum propter rationem mysticam, ut habetur L. I. *Decr.* tit. 15, cap. unic. *de sacra unct.* Ast historia, ad quam alludit citatus canon, ab eruditis in dubium vocatur; inter vero rationes mysticas ista potissimum redditur, nempe baculum curvum limitatam et ab alio participatam potestatem significare; quod certe Papæ congruere nequit.

4° Pallio, quo Patriarchæ et Archiepiscopi in solis missarum solemniis, certis tantum diebus, et in suis duntaxat ecclesiis, uti possunt, Papa semper induitur et ubique. Ratio affertur L. I. *Decr.* tit. 8, cap. *Ad honorem.* « Quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur. »

5° Eadem de causa Papa, quocumque terrarum se conferat, crucem ante se deferri jubet; qua facultate destituuntur ipsi Patriarchæ in Urbe et in loco quo præsens est Pontifex, aut ejus Legatus insigniis apostolicis utens. Præterea cum longius iter arripit, SS. Sacramentum secum deferre consuevit.

Articulus III.

DE POTESTATE R. PONTIFICIS EJUSQUE JURIBUS.

Cum multa, quæ ad R. Pontificis potestatem pertinent, tradantur in prælectionibus theologiæ dogmaticæ, brevem hic præcipuorum capitum conspectum exhibemus, ne alterutrum ex his duobus vitiis incurramus, ut vel manca sit, iis omissis, juris ecclesiastici doctrina suoque fundamento destituta, vel eadem crambes, si plenius exponatur, hic recoquatur, quæ in theologia jam exposita est.

143. Itaque in tractatu dogmatico *de Romano Pontifice,*

I. Doctissime probatur : 1° Christum S. Petro immediate contulisse primatum, non tantum honoris, sed et proprie dictæ jurisdictionis in universam Ecclesiam. Præl. n. 177 ss.

2° Primatum non fuisse Petro traditum ut prærogativam mere personalem, n. 210; sed institutum fuisse propter Ecclesiam, ita ut primatus ille ad essentialem Ecclesiæ constitutionem pertineat, et perpetuo perdurare debeat, n. 211 ss.

3° R. Pontificem, B. Petri in romano episcopatu successorem, jure divino obtinere illius primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, n. 228 ss.

Ibidem insuper quæstio instituitur de natura n. 176, 177, 238, et fine primatus, n. 212 et 247; de nexu primatus cum Romana Sede, n. 232 ss. atque de juribus primatui insitis, n. 238 ss.

II. Dein n. 239 indicantur sacri primatus Petri, Pontificisve Romani hostes præcipui; sc. Petrus Tamburinus cum suis asseclis, pseudo-canonistæ in Germania, aliique systematis Josephi II fautores, vel doctrinæ Eybel addicti; Febronius, cujus famosa distinctio inter jura primatus *primigenia* seu *essentialia*, et *adventitia, accidentalia* seu *accessoria*, evertitur, n. 247 ss.; et tandem Gallicani, sive qui tuentur quatuor articulos Declarationis cleri anni 1682, n. 259, 273, 292; sive et præsertim, qui sequuntur Gallicanismum, quem dicam Parlamentorum, ut Pithou, fratres Dupuis, Richerius, Fevret, Dupin, quorum doctrina sequentibus nititur falsis principiis: solam nempe civilem potestatem esse supremam et independentem, eique subjacere omnes materias ad externum ordinem vel publicam utilitatem spectantes. Vide supra n. 19 et 50.

His annumerari possunt hodierni non tantum pseudoliberales et radicales franco-muratorii, acerrimi Ecclesiæ hostes, sed et liberales sic dicti moderati, qui ferme omnes catholici audiri volunt, et tamen circa propositam materiam, non secus ac circa varia disciplinæ canonicæ capita, caute sunt legendi atque tractandi. Interesse politicum etiam imaginarium oculis continuo objicientes, Sedem apostolicam deprimere, jura restringere R. Pontificis, jurisdictionem Episcoporum subvertere, verbo potestatem ecclesiasticam dictis factisque coarctari, et e contra civilem ultra suos fines quam longissime exten-

dere non desinunt. In hos profecto cadunt hæc verba *Alloc. consist.* 9 Dec. 1854 : « Sunt enim vero plerique, qui rebus publicis tractandis præpositi, fautores se Religionis et adsertores dicant, illam laudibus attollant, humanæque societati quam maxime accommodatam atque utilem prædicent; nihilominus ejus moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrorum procurationem attingere, uno verbo civilis intra status limites coercere nituntur Ecclesiam, eique dominari; quæ tamen sui juris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet; sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes ac nationes, ut sempiternæ illis beatitatis iter designet, expediat. » Cf. supra n. 34.

III. Evolvitur tandem doctrina de naturalibus primatus proprietatibus, et probatur potestatem et auctoritatem, R. Pontifici vi primatus in totam Ecclesiam a Christo collatam, esse *plenam, ordinariam, immediatam* et *supremam;* n. 242 ss. Cf. Kempeneers, *Diss. de R. P. prim.*

His in tuto positis, nos de peculiaribus quibusdam R. Pontificis juribus et attributis disserendum assumimus.

§ 1. *De jure R. Pontificis ferendi leges.*

Ex prænotionibus, p. xx, novimus constitutionum R. Pontificis duplex esse genus : aliæ enim *dogmaticæ* sunt, aliæ *disciplinares*.

Quænam sit S. Pontificis auctoritas in fidei morumque causis definiendis, notum est ex præl. theol. dogm. l. c. n. 289 ss.

Hic de legibus disciplinaribus sermo est.

144. Varii circa R. Pontificis potestatem legislativam sparsi fuerunt errores, qui ad sequentes reduci possunt :

I. Eorum qui omnem potestatem legislativam Ecclesiæ, et consequenter R. Pontifici denegant (n. 125).

II. Eorum qui cum Febronianis duas restrictiones potestati legislativæ R. Pontificis adjiciunt. Ut ejus leges fideles obligent, juxta ipsos opus est *a*/ ut difficile sit congregare Concilium œcumenicum; *b*/ ut accedat communitatis consensus. Agnoscunt quidem Papæ competere jus leges proponendi; sed legibus ejus vim obligandi denegant antequam a fidelibus acceptentur.

III. Eorum qui cum Gallicanis sustinent R. Pontificem posse jure proprio condere leges pro universa Ecclesia; sed simul docent illius leges non obligare antequam ab Episcopis acceptentur. Concedunt igitur unicuique Episcopo potestatem leges pontificias examinandi, utiles suæ diœcesi acceptandi, noxias vero recusandi.

Istis erroribus sequentes opponimus propositiones :

A. Pontifex R. jus habet ferendi leges generales, etiam quando sine magna difficultate Concilium œcumenicum potest congregari.

145. Probatur 1ª pars. 1° *A ratione*. Potestas legislativa R. Pontificis inseparabilis est ab ipsius potestate jurisdictionali in universam Ecclesiam. Habere enim jurisdictionem in universam aliquam societatem, idem est ac posse omnibus societatis membris imperare, et statutis pœnis delinquentes corrigere. Sed habere potestatem intimandi universis præcepta quæ obligent, est habere potestatem legislativam universalem, quæ in hoc præcise consistit.

2° *Ex praxi Ecclesiæ*. Pontifices omni tempore hac potestate sunt usi, et fideles legibus pontificiis semper obsequium præstitere. Cf. Bouix, *de princ.* p. 111 ss.

3° *Ex variis argumentis adhibitis ad probandum primatum.*

Deduces itaque absurdam esse calumniam, qua hæretici contendunt ex falsis decretalibus ortum habuisse Catholicorum dogma de potestate legislativa Papæ.

146. Probatur 2ª pars. Limitatio, a Febronio, Van Espen et aliis apposita, est gratuita, atque S. Scripturæ et praxi Ecclesiæ contraria.

a/ Gratuita; cum neque ex SS. Litteris, neque ex consuetudine, neque ex rerum natura ullam afferant probationem.

b/ S. Scripturæ contraria; textus enim Matth. XVI et Jo. XXI, quibus præcipuum continetur primatus fundamentum, omnem excludunt limitationem, quæ potestati primatui annexæ apponeretur. Indefinita enim locutio est; nulla ibi legitur adjecta conditio, nulla limitatio.

c/ Praxi tandem Ecclesiæ adversatur; nam promissio Christi, quæ textu citato Matthæi continetur, semper fuit eodem illimitato modo intellecta; et officium pastoris, de quo Jo. XXI, semper fuit sumptum ut munus absolutum, nulli circumstantiæ subordinatum, quod omni tempore exerceri potest in ædificationem Ecclesiæ.

Concludendum itaque, falsum esse R. Pontificem tunc tantum posse leges ferre generales, quando difficile Concilium œcumenicum congregari potest.

B. Pontifex R. potest, si velit, legibus suis universos fideles ligare, absque cujusvis acceptatione.

Ad hanc rem S. Congregatio de Propaganda fide, die 2 Oct. an. 1763, de Bullis pontificiis ait : « Ex se vim obligandi habent, quoscumque, absque consensu ullius personæ ecclesiasticæ, vel sæcularis, quocumque titulo et dignitate, etiam regia, præfulgentis. »

Vox itaque *acceptatio* hic sumitur in propria sua significatione, ita ut sensus thesis sit : consensus in observan-

tiam legis latæ et promulgatæ, seu voluntas se submittendi ex parte communitatis non requiritur ad hoc ut lex habeat vim obligandi. Sic proposita thesis per partes ostenditur.

I. *Non requiritur acceptatio fidelium.* Claritatis gratia distinguamus quæstionem *facti* a quæstione *juris.*

147. Quæstio facti est, utrum S. Pontifex nolit suas leges obligare, antequam a subditis acceptentur; seu utrum acceptatio communitatis requiratur ex libero legislatoris consensu?

R. Sententia communior negat, nisi contrarium exprimatur, vel solide possit præsumi. Quoad aliquas tamen leges sustineri potest, eas ex R. Pontificis aut voluntate, aut indulgentia, non obligare, nisi acceptentur. Ast nota tunc præsertim agi de acceptatione Episcoporum; de qua vide Bouix, op. cit. p. 159, et statim sub II.

148. Quæstio juris est, utrum ex natura legis ecclesiasticæ, et independenter a libera voluntate legislatoris, sit essentialiter necessaria communitatis acceptatio, ut lex pontificia vim habeat obligandi?

R. Opinio negans « mihi videtur adeo certa, ait Suarez, *de Leg.* L. IV. cap. 16, 2, ut secundum fidem negari non possit. » Ita etiam Sylvius, Ben. XIV, Bouix, l. c.

Probatur 1° ex S. Scriptura (Matth. XVI, Jo. XXI), Conciliis Florentino et Tridentino, *Sess. XIV, cap. 7,* etc. plena est et suprema R. Pontificis potestas pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam. Hæc potestas necessario includit potestatem legislativam et quidem plenam, ut vidimus; sed potestas illa legislativa non esset vera nec plena, si dependeret a subditorum acceptatione, non esset *auctoritas imperandi,* sed *mera facultas proponendi;* nam libere acceptantes obligationem, non lege superioris, sed sua potius voluntate ligantur.

2° Ex ipsa legis natura. Lex enim est statutum aliquod

obligans; ejus obligandi vis a voluntate superioris oritur, et subditorum voluntates ligat. Aliis verbis : auctoritati legislativæ, seu potestati imperandi ex una parte respondet ex altera debitum submissionis, seu necessitas obediendi; atque ideo nedum acceptatio legis sit necessaria ad ejus valorem, lex potius vim habet exigendi acceptationem. Quare lex, vel præceptum, cui non tenentur obedire nisi qui volunt, non est lex neque præceptum, sed potius propositio, consilium. Cf. Suarez, *de Leg.* L. III. cap. 19, n. 5.

3° Ex perpetua praxi Ecclesiæ. RR. Pontifices leges generales sæpissime tulerunt, quarum executionem etiam minatis pœnis urserunt, et nunquam earum obligationem subjecerunt acceptationi fidelium. Cf. Bouix, op. cit. p. 114.

II. *Non requiritur acceptatio Episcoporum.* Hanc plures requirunt ut leges pontificiæ in conscientia obligent. Alii id repetunt ex potestate, alii ex voluntate R. Pontificis.

Quamvis assertionis veritas sufficienter probetur ex generalibus argumentis pro præcedenti thesi adhibitis, eam tamen specialibus quibusdam rationibus stabilimus. Rursus distinguatur *jus* a *facto.*

149. Ad quæstionem juris quod attinet dicimus : ut lex pontificia obliget, non requiritur acceptatio Episcoporum; neque ecclesiæ particulares, sive collective, sive distributive sumptæ, possunt expendere et cognoscere utrum hujusmodi lex aliqua diœcesibus utilis, vel noxia futura sit, ut exinde utilem acceptent, noxiam vero rejiciant; sed eam admittere tenentur.

Probatur 1° ex S. Scriptura, quæ nos docet Christum S. Petro absolute contulisse potestatem ligandi atque solvendi. « Nusquam invenias, ait Zaccaria, *Antif. vind.*, T. III. Diss. 6, cap. 3, a Christo vim ligandi fuisse Petro

ejusque successoribus traditam, ea conditione, ut Episcopi adsentirentur. » Et recte quidem, alias potestatem Petri de medio tulisset.

2° Ex Episcoporum subordinatione R. Pontifici. « Licet Episcopi, ait Zaccaria, l. c. Ecclesiæ Principes sint gregisque Pastores..., cum R. tamen Pontifice, cui obedientiam præstito sacramento obligarunt, collati, an non subditi sunt, ovesque gregis universi, quem Christus Petri curæ concredidit? » Actio autem sublimioris potestatis non repetit vim suam a potestate subordinata; ideoque nec lex S. Pontificis ab acceptatione Episcoporum (n. 29).

3° Confirmatur ex monumentis traditionis; v. g. ex Concordato anni 1801. Constitutio pontificia, novam statuens ecclesiarum Galliæ circumscriptionem, monet hanc circumscriptionem valituram, etiamsi Episcopi consensum denegent; quem de facto denegarunt primum 36, postea 4 tantum. Hoc non obstante fuit executioni mandata. Cf. Bouix, op. cit. p. 142 ss.

150. Ad quæstionem facti transeuntes, petimus an ea sit RR. Pontificum voluntas, ut pontificiæ leges non obligent absque Episcoporum acceptatione?

R. Affirmant Zallwein, Cardenas aliique gravissimi Theologi, et Gallicani omnes. Eorum sententia nititur hoc unico argumento, quod suave regimen SS. Pontificum postulet ut illam legibus suis adjiciant conditionem.

Contra hanc opinionem extrinsece probabilem tenemus, dici non posse illam esse pro omnibus legibus pontificiis SS. Pontificum voluntatem.

Probatur 1° ex eo quod sententia adversariorum sit mera voluntatis pontificiæ interpretatio, petita a suavitate regiminis RR. Præsulum absque ulteriori probatione; quæ insuper interpretatio, videtur pugnare cum praxi RR. Pontificum. Cf. Bouix, l. c.

2° Ex tenore legum; leges enim pontificiæ feruntur absolute, sine illa conditione.

3° Confirmatur ex eo quod damnata sit a Pio VI, in Bulla *Auctorem fidei,* propositio XI, qua docebant Pistorienses ab apostolicis usque temporibus in Ecclesia receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a Synodo diœcesana.*

Quæ huic opinioni objiciunt Zallwein, Van Espen et alii adversarii, facile solvuntur per sequentem observationem.

Ex propugnata doctrina non est deducendum Episcopos semper debere statim exequi leges pontificias. Ipsi enim Pontifices aliquod huic absolutæ doctrinæ temperamentum attulerunt. Sic *a/* decernitur L. I. tit. 2, cap. 1, *de const. in 6,* speciales consuetudines et statuta rationabilia locorum per novas constitutiones non tolli, nisi id apertis verbis exprimatur; *b/* si legis alicujus executioni, propter peculiares loci circumstantias, graves alicubi obstent difficultates, possunt, quinimo debent Episcopi adhibere remedium *supplicationis* ad R. Pontificem, et interea temporis obligatio legis suspenditur ex benigna interpretatione voluntatis Superioris. Excipitur lex quæ respicit sacros ritus, cæremonias, sacramenta, clericorum vitam; talis statim est adimplenda. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. cap. VIII, 3, 4 et 9.

III. *Non requiritur acceptatio Principum, seu regium Placet.*

151. Gallicani politici et Jansenistæ contendunt Principibus jus esse leges ecclesiasticas, maxime vero Pontificias, et etiam episcopales, quas dicunt *mandata,* publicæ utilitatis causa inspiciendi, earumque promulgationem suo beneplacito subjiciendi. Permissio promulgandi quæ a Principibus datur, *placitum, placetum* seu *placet*

regium, litteræ *exequatur, pareatis,* sive *patentes* vocari solet. Illud autem jus derivant ex jure *majestatico* inspiciendi et cavendi, ne quid Respublica detrimenti capiat, propterea quod, aiunt, fieri posset, ut constitutiones ecclesiasticæ aliquid contineant, quod juribus Imperii detrahat, aut civili societati noceat (supra n. 22 et 34).

Illud placitum, quod tempore schismatis Occidentis, consentiente Urbano VI, adhibitum fuerat a quibusdam Prælatis, quodque ab his ad Principes quoque transierat, ut falsis et falsorum Pontificum bullis non deciperentur populi, existincto schismate, non evanuit; sed apud multas nationes a potestate civili retentum est, et gradatim amplificatum. « Primum, nempe, ut ait Oliva, *de for. eccl.* P. I. q. 22, n. 19, ad rescripta gratiæ et justitiæ privatis data adhiberi placitum cœptum est, postea extensum ad decreta disciplinæ, demum ad bullas etiam dogmaticas. » Ad ea omnia extendit placitum regium Stockmans, *de jure Belgarum circa bull. pont. recept.,* necnon Van Espen, præcipuus placiti propugnator, in tr. *de prom. leg. eccl.* P. II-V, in quo ostendere conatur contra Zypæum placiti legitimitatem, necessitatem, usum in Belgio jam pridem receptissimum. Huic concordant Febronius, Jo. Nuytz, et alii scriptores, præsertim in Gallia, q. in artic. organicis adinctin.

152. Verum lugenda illa potestatis sæcularis tyrannis, atque in jura Ecclesiæ invasio necessario est oppugnanda.

Etenim 1° pugnat cum Ecclesiæ in suo ordine independentia. « Quæso, ait Zallwein, si Imperatores ecclesiastici, quos posuit Christus regere Ecclesiam Dei, suum quoque placitum urgerent, quoties decreta emanant politica, quæ non raro statui ecclesiastico sunt præjudiciosa, libertatibus ecclesiasticis inimica, jurisdictioni Pontificum et Episcoporum adversa, imo aliquoties ipsa

sancta sanctorum invadunt, quid dicturi forent? Sicut ergo, prosequitur Govart, *opusc. contr. Espen.*, Princeps dicendus est non habere plenam potestatem et jurisdictionem in temporalibus, si ipsius edicta dependerent a Pontificis et Episcoporum placito, et eorum publicatio impediri posset ab aliis; ita nec Pontifex plenam potestatem habet in spiritualibus, si ipsius constitutiones dependerent a placito Principum et ab iis impediri possent. Quare si in priori casu id qui assereret, auctoritati Principis dicendus esset arrodere, ita et a fortiori in altero casu dicendus esset pontificiam auctoritatem maligno dente arrodere, eamque penitus destruere. » Soglia, *præn.* § 26.

2° Lex naturæ vetat ne, absque justa ratione, in aliorum actiones inquiratur, ea tantum de causa quod nocere possunt. Dein quid mali ab ecclesiasticis constitutionibus Respublica timere potest? Tantum abest ut ei noceant, ut nihil magis possit ei prodesse, siquidem Religio maximum sit propugnaculum et præsidium Reipublicæ (n. 34).

3° Illud gravissimum accedit, quod hujusmodi placito libertas magisterii et regiminis ecclesiastici, divinitus Ecclesiæ concrediti, apprime lædítur, ejusque autonomia funditus convellitur atque destruitur; et si Ecclesia, ad majora præcavenda mala, sustinet et tolerat, non tamen consentit neque approbat. E contra sæpissime Sedes Ap. protestata est; sic Innocentius VIII anno 1486 contra Joannem, Regem Lusitaniæ; Urbanus VII, const. *Pastoralis* anno 1627; item Pontificis nomine Card. Caprara contra Articulos organicos 1 et 3. Illos articulos defendit Portalis, et decreto Napoleonis 28 Februarii 1810 excepta fuerunt a placiti necessitate sola brevia S. Pœnitentiariæ data pro foro interno.

4° Tandem in *Syllabo* varias huc spectantes propositiones damnavit SS. Pius IX. Nimirum

Prop. XXVIII. *Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.*

Prop. XLI. *Civili potestati vel ab infideli Imperante exercitæ competit potestas indirecta in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant* exequatur, *sed etiam jus* appellationis, *quam nuncupant* ab abusu.

Prop. XLIX. *Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum R. Pontifice libere ac mutuo communicent.*

Placitum regium ex toto sublatum fuit in Belgio per art. 16. Constitutionis : *L'État n'a le droit d'intervenir ni dans la nomination, ni dans l'installation des ministres d'un culte quelconque, ni de défendre à ceux-ci de correspondre avec leurs supérieurs, et de publier leurs actes, sauf en ce dernier cas, la responsabilité ordinaire en matière de presse et de publication.*

Nota. Litteræ apostolicæ publicari et affigi solent Romæ ad valvas Basilicarum Lateranensis, Vaticanæ et Liberianæ, Cancellariæ apostolicæ ac in acie campi Floræ; ibidemque aliquo tempore affixæ manent. Inseruntur deinde Bullario Romano, et cuilibet typographo licet eas typis mandare, ac per diaria aliisve modis ad notitiam fidelium perducere.

Quærunt hic auctores, utrum ut leges pontificiæ omnes fideles obligent, sufficiat promulgatio Romæ facta, an vero requiratur promulgatio in singulis provinciis?

Hæc quæstio apud nos tractatur in prælectionibus theol. mor. Cf. Dens, *de Leg.* n. 5. Vide etiam Daris, vol. I. p. 90 ss.; Bouix, op. cit. p. 166 ss.; Autogr. Sem. Brug. *de Leg.* n. 36.

§ 2. *De potestate R. Pontificis quoad jus naturale et divinum.*

Quomodo R. Pontifex valeat interpretari legem naturæ et legem positivam divinam, traditur in præl. theol. mor. ad n. 16 Dens, *de Leg.*

Quod vero in iis dispensare nequeat, docetur *ibidem* n. 63.

§ 3. *De potestate R. Pontificis quoad jus ecclesiasticum.*

Cum veritas catholica sit, ut in theologia dogmatica ostenditur, potestatem S. Petri ejusque successorum esse omnino plenam ac perfectam, nullaque humana auctoritate circumscriptam, protinus sequitur perperam affirmari a Gallicanis, et deinceps a Jansenistis, R. Pontificis potestatem auctoritate veterum canonum, imo et particularium ecclesiarum consuetudinibus restringi et coarctari. Manifeste enim id repugnat naturæ primatus.

Ut tamen facilius caligo ista dispellatur, quæ ab auctoribus præfati erroris offunditur, ex professo proponimus sequentem thesim :

R. Pontifex non est subjectus imperio canonum, humana potestate constitutorum, adeoque potest canones illos pro adjunctis abrogare, mutare, eis derogare, in eisque dispensare; verbo R. Pontifex est superior quibuslibet canonibus, humana tantum auctoritate constitutis.

153. Dicitur *R. Pontifex non est subjectus imperio canonum*. Prout jacent verba illa duplicem habent sensum, et intelligi possunt tam de liceitate, quam de validitate illorum, quæ contra canones Pontifex agit. Significant enim et Pontificem habere potestatem quidpiam adversus canones valide agendi, et simul nihil eorum quæ agit esse illicitum ex defectu honestatis.

Sed priori tantum sensu hic intelliguntur, et significant R. Pontificem cogi non posse per canones ecclesiasticos, seu propter inobservantiam canonum puniri non posse; verbo *vi coactivæ* canonum, quatenus humana potestate sunt constituti, non subjacere. Eis tamen juxta communem Doctorum sententiam subjacet quoad vim *directivam,* hoc est, tenetur et ipse eos observare, et si illos sine rationabili causa violet, peccat; nam licet nemo a se ipso cogatur, tamen a se ipso quisque dirigitur, et obligatur ad bonum sequendum malumque vitandum. Unde sapienter dixerunt Imperatores Theodosius et Valentinianus : *Digna vox est majestate regnantis, legibus obligatum se Principem profiteri.* Judicium autem causæ R. Pontifici est relinquendum, tum quia absurdum est supremam potestatem inferiorum judicio subjici, tum quia rectum ea de re judicium a solo R. Pontifice ferri potest. Hoc postremo sensu locuti sunt SS. Pontifices, cum negarunt adversus canones se quidquam posse.

Dicitur *humana potestate constitutorum;* canones enim qui vel *directe* a Deo ipso constituti sunt, vel saltem cum iis quæ a Deo sunt constituta *essentialiter* conjunguntur, *qua tales* immutari non possunt per R. Pontificem *derogatione proprie dicta.* Nihilominus ipsas leges positivas divinas potest et debet interpretari et declarare; aliter enim Ecclesiam rite gubernare ovesque Christi per vias justitiæ et veritatis deducere nequiret.

154. Sic determinata thesis probatur.

1° Ex juris axiomate : *Cujus est legem condere, ejus etiam est illius obligationem remittere,* sequitur legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum qui aut legem condiderunt, aut superiorem, aut saltem parem cum eis potestatem tenent. Itaque R. Pontifex prædicta potestate potitur pro omni lege ecclesiastica, sive illa ab ipsomet Pontifice, sive a prædecessore, sive a Concilio generali

lata sit, vel consuetudine introducta; quia prædecessoribus suis potestate par est, superior autem Conciliis. Absurdum autem esset tum quod antecessor lege sua posset ligare successorem, tum quod inferior ligaret superiorem, tum quod quis stricto sensu seipsum ligaret.

2° Ipsi Gallicani, Jansenistæ, necnon Febroniani concedunt, cum cura totius Ecclesiæ canonum custodiam et regimen ecclesiasticum S. Petri successoribus esse concreditum. Jam vero prudens regimen postulat, ut pro tempore, loco, causisque et personis leges prius constitutæ possint abrogari vel relaxari, veteribusque novæ substitui. « Mutantur enim in dies hominum mores, mutantur rerum circumstantiæ, et quod uno tempore utile erat, postea inutile, et quandoque perniciosum evadit. » Ben. XIV, *de Syn.* L. V. cap. III, 7.

3° Huc accedit constans Ecclesiæ traditio, SS. Patrum et Doctorum consensus, ac Pontificum Conciliorumque testimonia. Cf. Soglia, *Jus publ.* § 26.

Prætendunt multi Gallicani, ut exponit Lequeux in suo opere prohibito, *manuale jur. can.* T. I. *prol.* cap. II, art. 5, n. 17, solo communis utilitatis, aut necessitatis extraordinariæ casu posse R. Pontificem statuere contra canones, vel rationabiles consuetudines vigentes in certis provinciis; ast quæ afferunt sive Pontificum, sive Conciliorum documenta ad probandum suum errorem, refelluntur per distinctionem inter potestatem et actus honestatem. Potestas plena est; sed ut honeste et licite exerceatur, rationabilis requiritur causa, relicto tamen ipsi Pontifici judicio de hac causæ qualitate.

155. Per transennam nota vi ejusdem axiomatis legem Ecclesiæ generalem corrigi, immutari vel dispensari non posse, nisi ab habente potestatem generalem, vel de ejus licentia. Ad ligandas igitur inferiori manus, non est necesse, inquit Fagnanus, ut sit illi expresse interdictum,

ne quidquam contra superioris legem audeat intentare; sed sat est, id ei non esse ab ipsa lege permissum. Quæ autem vel dispositione juris, vel consuetudine, vel cogente necessitate Episcopis in jus commune potestas concessa sit, videbimus in tr. *de Episcopis*.

Erronee itaque a quibusdam doctoribus asseritur : « Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, uti fidei articulum definire, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservaverit. » Hanc opinionem plurium et non infimæ notæ Doctorum totis viribus conatur convellere Fagnanus, ejusque falsitatem ratione et auctoritate demonstrare, in cap. 15 *Dilectus*, L. I. *Decr.* tit. 11. *de temp. ord.* n. 16; et cap. *Perniciosa*, L. I. *Decr.* tit. 31. *de off. ord.* n. 28.

Ratione quidem; etenim, etiam seclusa superioris prohibitione, nequit inferior legem ab eodem superiore latam aut abrogare aut relaxare; superior quippe, statim ac aliquid... præscribit aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris. Præterea, si integrum esset Episcopo legem relaxare a Concilio generali, aut a S. Pontifice rogatam, tota everteretur Ecclesiæ disciplina, caput subjiceretur membris, et proinde actum jam esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta. Frustra quoque canones aliquando Episcopis concederent facultatem dispensandi.

Auctoritate. Cf. enim cap. 15, *de temp. ord.;* Clem. II, *de elect.;* Extrav. Jo. XXII, *de relig. dom.*

Obj. L. V. *Decr.* tit. 39. cap. 29 *de sent. excom.* dicitur, « ab inferiore concedi posse censuræ relaxationem, si conditor canonis eam sibi non reservaverit. »

R. Ibi sermo non est de dispensatione, sed de absolutione a censuris. Jam vero omni absolutioni applicatur regula in textu proposita; absolutio enim, ait Suarez,

non est contra aut præter legem superioris, sed secundum illam; dispensatio autem derogat legi. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. cap. I, 5 ad 7.

§ 4. *De jure R. Pontificis recipiendi appellationes.*

156. Appellationis nomine venit provocatio ab inferiori judice ad superiorem, ut lata sententia corrigatur vel revocetur. Quamobrem est juris præsidium, cæteroqui juri naturæ innixum, species quædam defensionis a gravamine illato vel imminente, ob sententiam injuste prolatam sive ignorantia, sive malitia, sive errore judicum.

Naturalis æquitas suadet et postulat, ut in omni societate existat appellationis remedium; sed bonum societatis regimen etiam requirit, ut sit tribunal aliquod supremum, a quo non possit appellari, ne lites sint infinitæ. Tribunal autem istud aliud esse non potest quam tribunal summi Principis. Utrumque in Ecclesia obtinet; nam præter alios, quos appellare licet, unicuique liberum est appellare S. Pontificem; sed ab hujus sententia non datur appellatio. Quod distinctis propositionibus probandum jam est.

A. Pontifici R. competit jus recipiendi appellationes a quacunque sententia alterius ecclesiastici judicis seu tribunalis.

157. Ex primatus natura etiam sequitur R. Pontificem esse supremum judicem universæ Ecclesiæ in omnibus rebus fidei et morum, ad quem deferri possunt omnes ex toto orbe appellationes. Hanc ejus prærogativam quidam negarunt; alii ei falsam tribuerunt originem, eive limites apposuerunt. Inter priores sunt Ariani, qui sæculo IV in causa Athanasii Alexandrini docebant sententias Conciliorum haberi debere ut irreformabiles; Pho-

tius, qui sæculo IX negabat Orientales ad Patriarcham Occidentis, seu R. Pontificem posse provocare. In eodem luto hæsitarunt Calvinus, Marcus Ant. de Dominis aliique ejusdem furfuris.

Ad posteriores pertinet Petrus de Marca, qui vestigiis incedens Hincmari Rhemensis, contendit jus appellationum in rebus disciplinæ a Sardicensi Concilio an. 347 primam originem habuisse, et R. Pontifici non quidem tributum fuisse jus veræ et proprie dictæ appellationis, sed jus concedendi revisionem duntaxat seu retractationem causæ. Juxta ipsum sententiæ non tantum Conciliorum generalium, sed etiam minorum Synodorum sunt irreformabiles, et ab ipsis stricto jure nequit appellari. Si tamen Episcopus, in minori Synodo damnatus, Romam recurrat, R. Pontifex causam non potest Romæ judicare, sed debet judicium integrum remittere ad Episcopos provinciæ, in qua Episcopus judicatus fuerat, et ad finitimos, ut illius causæ cognitionem secundo suscipiant, præsente legato, si R. Pontifex existimaverit mittendum esse. Simili fere modo Sardicenses canones exposuerunt Dupin, Quesnel, Febronius, Pistorienses et alii.

Verum I. Jus appellationes Episcoporum recipiendi ex divina institutione est RR. Pontificum proprium, estque appendix primatus, D. Petro ejusque successoribus a Christo collati.

II. Consequenter non fuit per canones Sardicenses institutum.

III. Isti canones non solum jus concedendi revisionem, sed potestatem judicandi appellationes R. Pontifici asserunt et confirmant.

IV. Tandem R. Pontifex idem jus habet quoad appellationes clericorum inferiorum.

158. Probatur 1m. 1° Sequenti ratiocinio Devoti, *Inst. can.* L. III. tit. 15 § 21 : « Christus non alios constituit

magistratus, qui Ecclesiam regerent, quam Episcopos, et unum omnium Caput ac Principem Summum Pontificem, qui et Episcopis, et cunctis christianæ Reipublicæ civibus dignitate ac jurisdictione præesset. Si secundum hanc Christi institutionem alicujus Episcopi judicium emendari abrogarique debuisset, quis id præstare, et quem judicio injuria damnatus appellare potuisset? Haud sane alius Episcopus Episcopi sententiam infirmare potuisset; quoniam Christus nullam uni Episcopo supra cæteros Episcopos potestatem et jurisdictionem attribuit. Atqui appellatio provocatio est ab inferiore judice ad superiorem. Ergo cum omnium hominum sententiæ errori subsint; cum æquum ac necessarium sit emendare errorem, qui alteri perniciem affert; cum hic error a superiore magistratu per appellationem sit emendandus; cum Christi institutione omnes Episcopi pares potestate sint, ac nemo in alium habeat jurisdictionem; consequens est, ut tantum Pontifex, cui uni hæc jurisdictio et potestas in omnes data est, aliorum Episcoporum sententias e medio tollere atque abrogare possit. Id vero est, quod jus appellationis vocamus. »

Quamvis autem auctoritas in Episcopos Patriarchis et Metropolitis ecclesiastica lege concessa sit, et jam ab Episcopi sententia illi appellentur, semper tamen integrum manet jus appellationum, quod in primatu hæret. Jus enim unius Episcopi in alterum est jus humanum; et jus humanum, licet apostolicum, juri divino non potest derogare. Ergo quidquid discriminis est inter Episcopos quoad potestatem, non potest illud obesse juri nativo R. Pontificis. Ideo Summus Pontifex non tantum a sententiis Patriarcharum et Metropolitarum, sed etiam illico, *omisso medio,* a sententiis Episcoporum appellari potest.

Æquivalentem argumentationem, sed minus enucleatam, post Zallwein et Nat. Alexandrum adhibet Benc-

dictus XIV, *de Syn.* L. IV. cap. V, 1; aliam vero Soglia, l. c. § 41.

2° Jus illud confirmatur veterum suffragiis, tum Episcoporum, tum SS. Pontificum, tum SS. Patrum, qui omnes testantur perpetuo fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut ab omnibus Summus Pontifex appellaretur; quæ perpetua consuetudo tantum ad jus primatus referri potest. Hinc S. Bernardus, L. 36. *de consid. ad Eugenium Papam*, cap. 2 : « Appellatur, inquit, de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis primatus tui. »

Nihil autem contra jus illud divinum deduci potest ex eo quod Pontifices, ad illud tuendum, quandoque provocarint ad canones vel consuetudinem; nam juxta causarum varietatem recurrerunt nunc ad illum, nunc ad alium titulum juris sui. Quinimo verba eorum, quibus affirmant se hoc vel illud non posse, sæpe sunt de opportunitate vel æquitate, non vero de potestate intelligenda.

159. Probatur 2m, sc. jus appellandi Sedem ap. originem suam non habere a canonibus Sardicensibus.

1° Ex demonstrata veritate propositionis præcedentis.

2° Ex eo quod multa sint appellationum exempla Sardicensi Concilio antiquiora, in causis non tantum presbyterorum, sed etiam Episcoporum. Cf. Devoti, l. c. § 28, *ad not. 2.*

3° Ex ipsis canonibus, qui novum jus non introducunt, sed jam receptum agnoscunt et confirmant, atque tantum decernunt de modo juris exercendi. Quisquis absque præjudicata opinione, sed amore veritatis ductus, prædictos canones perlegere attente voluerit, statim animadvertet, ne unum quidem verbum occurrere, ex quo quis suspicari possit, novum aliquod jus fuisse constitutum. Cf. Wouters, *hist. eccl.* T. I. p. 205 ss.

160. Probatur 3m. Nec canones Sardicenses attentius

considerarunt de Marca, Fleury et supra dicti scriptores, qui affirmant, eos R. Pontifici non agnovisse jus veram appellationem, ac finale et supremum judicium Romæ exercendi, sed solum jus causæ revisionem faciendi vel in ipsa provincia rei, vel in provincia finitima.

Etenim canon 3^s^ hæc habet : « Si judicaverit (R. P.) renovandum esse judicium, renovetur, et det judices; si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt. » Et canon 4^s^ adjicit : « Ut si quis Episcopus a vicinis Episcopis fuerit depositus, ... et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, *non alius substituatur,* nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. » Jam vero si R. Pontifex vel priorem sententiam revocare et dare judices, vel eamdem confirmare potest, jam ipsius judicium supremum et finale est. Si præterea in locum Episcopi depositi, qui ad R. Pontificem appellaverit, alius Episcopus substitui nequit, antequam Pontifex sententiam dixerit, manifestum est, quod ea sit propria et vera appellatio; siquidem præcipuus appellationis effectus, vis nempe suspensiva ei adscribatur, et prioris sententiæ confirmatio vel rescissio a Pontifice omnino pendeat.

161. Probatur 4^m^. Quod denique alii existimant in solis causis Episcoporum ad R. Sedem appellare licuisse, non vero in causis presbyterorum et aliorum clericorum, non magis ~~firm~~itatis habet.

Cum enim R. Pontifex ratione primatus non solum in Episcopos, sed etiam in clericos aliosque fideles supremam et immediatam potestatem habeat, jure potest singulorum appellationes recipere, omnemque controversiam judicio suo dirimere.

Opponunt quidem canonem 28 Synodi Carthaginensis, qui in fine habet hæc verba : *Ad transmarina autem qui*

putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Verum iste canon jus non afficit, sed modum et praxim appellandi. Clericis Africanis antea unum erat tribunal refugii, suæ nempe provinciæ : jam ipsis tertium tribunal conceditur, quod erat in Africa tribunal secundum pro Episcopis. Sed an ideo exclusus erat R. Pontifex etiam post 3^m^ tribunal? Id ex decreto deduci non potest. Insuper acta Africanorum ostendunt, illos tantum voluisse indicare non expedire, ut R. Pontifex utatur sua potestate erga clericos inferiores, propter varia incommoda, præsertim petita ex Africanæ provinciæ a R. Sede distantia. Cf. Bouix, *du Conc. prov.* p. 292 ss.

B. A tribunali R. Pontificis nemini licet appellare.

Summi Pontificis judicium necessario est absolutissimum et finale, a quo proin non admittitur appellatio, nec ad Christum, quod hæresim sapere videretur, cum Pontifex sit Christi Vicarius et idem habeat cum eo in terris tribunal; nec ad Concilium generale; nec ad potestatem laicalem.

162. Nulli licet a sententia Pontificis appellare ad præsens vel futurum Concilium generale. Id asseritur contra Febronium et Jansenianos.

Probatur. 1° Appellatio fieri nequit nisi ad superiorem; jam vero Concilium non est supra Papam, qui in terris superiorem non habet. Agitur enim vel de Concilio sine Papa, et in hoc casu appellaretur a superiore ad inferiorem, cum R. Pontifex vi primatus gaudeat suprema auctoritate supra Episcopos in Synodo generali collectos, ut ostenditur in præl. theol. dogm. *de Rom. Pont.* n. 273 ss.; vel agitur de Concilio cum Papa, seu proprie œcumenico, de Concilio nempe, cui præest quodque confirmat R. Pontifex; et in hac absurda hypothesi,

perinde esset ac appellare a Pontifice ad Pontificem, siquidem Concilia vim suam œcumenicam a R. Pontifice habeant, ut colligitur ex n. 262, *Ibidem*. Cf. Bouix, *de Papa* T. II. P. III. sect. 3 et 5.

2° Historia docet illicitam esse ejusmodi appellationem. « Ad illam (S. Sedem) de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus » scripsit Gelasius I *ad Ep. Dardaniæ,* ejusque auctoritatem adhibuit Nicolaus I, *epist. 8 ad Michaelem Imperatorem.*

Hinc a Papa ad futurum generale Concilium appellantes jure meritoque incurrunt ipso facto excommunicationem, contra ipsos latam a Pio II, const. *Execrabilis* an. 1459, confirmatam a Julio II, const. *Susceptis* an. 1509, reservatam Sedi ap. in bulla *Cœnæ,* casu 2, et speciali modo R. Pontifici reservatam per const. *Apostolicæ Sedis* anni 1869 n. IV.

165. Neque magis admitti potest *appellatio ab abusu,* qua scilicet in negotio ecclesiastico ad Principem laicum, vel curiam civilem appellatur a sententia S. Pontificis, eo quod censeatur sua potestate esse abusus. De hac appellatione gravissime damnata in bulla *Cœnæ* et in *Syllabo,* prop. 41 citata supra n. 152, ex professo sermo erit in tr. *de judiciis.*

§ 5. *De jure R. Pontificis tractandi causas majores.*

Plures sunt causæ, quæ in singulis ecclesiis vel provinciis incidunt, et quarum cognitio, etiam in prima instantia, pertinet ad solum R. Pontificem, solentque vocari *causæ majores.*

164. « Causæ autem dicuntur *majores* ex quadruplici capite : *a*/ ex rei de qua agitur magnitudine, ut v. g. quando spectant ad fidem, ad Religionem, vel ad præ-

cepta generalia morum et disciplinæ; *b*/ ex magnitudine difficultatis ex illis emersæ; interdum enim quasi synonyma ponuntur majores et difficiliores quæstiones; *c*/ ratione dignitatis personæ, v. g. dum de Episcopo agitur; *d*/ denique ob difficultatem exequendæ rei justæ, aut propulsandæ injuriæ... sed hæc postrema duo causarum genera majora non æstimantur, nisi cum aliqua rei magnitudine conjuncta sint, si agatur v. g. de deponendo Episcopo, vel aliquo gravissimo negotio. » Charlas. *tr. de libert. eccl. Gallic.* L. IX. cap. 5.

Inter alias causas majores memorandæ sunt :

A. Erectio, unio, divisio et suppressio episcopatuum.

165. Novæ diœcesis erectio tres complectitur actus, nempe : gregis assignationem legitimo Pastori, designationem ecclesiæ cathedralis cui adscribatur, et circumscriptionem territorii. Hinc colligitur erectionem illam esse actum mere spiritualem, et quidem talem, ut necessario competat illi, qui fons est omnis ecclesiasticæ potestatis, quique toti Ecclesiæ præest.

Apostoli quidem omnes exercerunt episcopatus, sed potestate extraordinaria, ipsis immediate a Christo Domino collata, quæ consequenter non transivit ad successores. Potestas autem S. Petri ratione primatus erat ordinaria, et cum morte ejus non cessavit, sed in successoribus perduravit. Mortuis igitur Apostolis, soli R. Pontifici jure nativo et divino competit episcopatus erigendi suprema potestas. Attamen de consensu R. Pontificis eadem potestas aliquando in alios dimanavit.

Hac in re ter præsertim mutata fuit Ecclesiæ disciplina : *a*/ ab incunabilis Ecclesiæ usque ad sæculum VI novi erigebantur episcopatus in Occidente a RR. Pontificibus, a Conciliis provincialibus et a Metropolitis; in

Oriente vero a Patriarchis Alexandrino et Antiocheno, dein etiam a Metropolitis et Conciliis provincialibus.

b/ Sæculis VI, VII et VIII, in erectione novorum episcopatuum interveniebat ordinarie auctoritas R. Pontificis. Insuper jam his sæculis, atque in omne posterum tempus, Principum quoque civilium ratio in erigendis episcopatibus habita est propter Ecclesiæ utilitatem.

c/ At exacto sæculo VIII, non quidem illico, sed sensim ac pedetentim potestas novos constituendi episcopatus penes solum R. Pontificem fuit. Cf. Soglia, T. I. § 29.

Recentiori ætate absque gubernii interventu Innocentius XI, anno 1688, Angliam divisit in quatuor districtus, quibus Vicarios apostolicos præfecit; Gregorius XVI, an. 1840, illam partitus est in octo vicariatus; et SS. Pius IX, 29 Sept. an. 1850, Angliam divisit in tredecim diœceses, quibus totidem Episcopos præfecit, et hierarchiam ecclesiasticam ibidem ita instituit, ut Anglia unicam constituat provinciam ecclesiasticam, quæ Metropolim Westmonasteriensem et duodecim suffraganeas complectitur.

Hocce tamen tempore in multis regionibus, vi Concordatorum, requiritur consensus potestatis civilis. Sic erecta fuit diœcesis Brugensis collatis cum gubernio consiliis, ut patet ex Bulla erectionis, quæ legere est T. I. *Coll. epist. past.* p. 101.

166. Quæritur quo jure SS. Pontifices, Metropolitis Conciliisque amotis, erectiones episcopatuum sibi solis reservarint?

R. Thomassinus : « Nihil accessit ad Pontificem cum solus totam eam potestatem exercere cœpit; est ea propria et nativa primatus, quem Pontifex in Ecclesiam universam a Christo accepit. »

Sed olim, aiunt, Patriarchæ, Metropolitani, Concilia provincialia hac potestate usi sunt. Ita quidem; ast usum

illum non habebant a Deo, seu jure divino, cum ex divina institutione omnes Episcopi, excepto Episcopo Romano, sint inter se pares ordine et potestate. Illum ergo habebant jure ecclesiastico, consequenter ex concessione vel approbatione tacita aut expressa Sedis ap. Unde potestatem illam sibi reservando, RR. Pontifices nemini fecerunt injuriam. Hæc simillima sunt fluminum quæ, post decursa ingentia spatia, in mare redeunt unde exiere.

Quod hactenus dictum est de erectione, idem dicendum est de unione, divisione, suppressione diœcesium; nam *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur,* uti habet reg. 1ª juris in L. V. *Decr.*

B. Creatio Episcoporum.

167. Rursus observandum est Apostolos extraordinariam a Christo accepisse potestatem Episcopos instituendi, sed solum Petrum potitum esse ejusmodi potestate ordinaria, quæ consequenter ad successores transivit. Apostolis igitur vita functis, solius R. Pontificis est singulis Episcopis subditos assignare regendos, seu diœcesim gubernandam.

Probatur ex Trid. *Sess.* XXIII, *can. 8 :* « Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate R. Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. » Hæc autem potestas nullis, aut loci, aut temporis, limitibus est circumscripta, eaque jure divino propria est unius R. Pontificis, quippe qui unus S. Petri successor, quique ex divina institutione toti Ecclesiæ præest. Quod vero antiquitus Patriarchæ, Primates et Metropolitæ quoque Episcopos crearunt, id nihil obest juri nativo S. Pontificis, ut sequitur ex dictis n. 166.

« Episcopalis jurisdictionis conferendæ potestas, ait

Pius VI, brevi *Charitas* diei 13 Aprilis 1791, ex nova disciplina a pluribus sæculis jam recepta, ... unice residet penes ap. Sedem, ita ut hodie R. Pontifex, ex muneris sui officio, Pastores singulis ecclesiis præficiat. » Cf. tamen infra tr. *de Episcopis*.

C. Translatio, renuntiatio, depositio Episcoporum.

168. Cum solus R. Pontifex vi primatus potestatem habeat Episcopos creandi, plane consequitur, ipsi quoque soli divina institutione competere jus Episcopos transferendi; qui enim transfertur, is alterius ecclesiæ Episcopus constituitur.

Priscis quidem temporibus Episcoporum translationes, ex indulgentia S. Sedis, etiam a Conciliis provincialibus factæ fuerunt; sed progressu temporis fuerunt revocatæ ad Sedem ap.

169. Eadem est Pontificis potestas circa Episcoporum renuntiationem et depositionem; nam vinculum spirituale, quo Episcopus ecclesiæ suæ obligatur, non humana potestate dissolvitur, sed potestate divina, annexa nempe primatui. Hoc autem jure jam inde ab incunabulis Ecclesiæ RR. Pontifices sunt usi.

D. Destitutio Episcoporum.

Depositio fit in pœnam; destitutio vero propter magnam utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ. Dum initio hujus sæculi Pius VII plures Episcopos etiam invitos in Gallia destituit, acriter de hoc puncto nonnulli scripserunt. Verum difficile non est ejus agendi rationis legitimitatem ostendere. Quod perspectum erit ex sequentibus quæstiunculis.

170. Q. I. An possit R. Pontifex Episcopum destituere?

R. Affirmative tum valide, tum, justa existente causa, etiam licite. Profiteri enim tenentur omnes Catholici Episcoporum jurisdictionem, saltem quoad usum et exercitium, subordinatam esse summo Ecclesiæ Primati, ut eruitur ex præl. theol. dogm. l. c. n. 252.

Obj. 1° Episcoporum jurisdictio est ordinaria, non vero delegata; ergo non sunt amovibiles.

R. *Conc. ant.; neg. cons.* Ex assumpto sequitur quidem jurisdictionem eorum durare quamdiu durat officium; non vero, istud non posse valide, et cum gravi causa etiam licite auferri a superiore. Alias sequeretur quod Episcopus non posset destituere verum parochum. Nullus autem hoc asseruerit; facto tamen discrimine inter destitutionem Episcopi a Papa, et parochi ab Episcopo, quod hæc, ut valide fiat, debeat fieri juxta canones.

Obj. 2° Quod Deus concessit, homo auferre nequit; atqui Episcopi potestatem suam habent immediate a Deo; ergo.

R. Data non concessa minore, *neg. conseq.* Episcoporum enim jurisdictio, etiamsi supponatur immediate a Deo collata, saltem quoad usum et exercitium, ut diximus, est a R. Pontifice dependens.

Dicitur *etiamsi supponatur,* etc.; nam rationi et auctoritati conformior videtur, ait Ben. XIV, *de Syn.* L. I. cap. IV, 2, sententia eorum, qui tenent Episcoporum jurisdictionem immediate oriri a R. Pontifice. Cf. præl. theol. dogm. l. c. n. 253.

171. Q. II. Possitne R. Pontifex destituere Episcopum, ipso non audito?

R. Affirmative; et quidem etiam licite, dum id postulat necessitas vel utilitas Ecclesiæ, et res non patitur moram. Ejusmodi plena potestas R. Pontifici necessaria est ad rectum Ecclesiæ regimen.

Obj. Jus naturæ exigit ut nemo condemnetur non auditus.

R. In tali casu non agitur proprie de condemnando, de infligendo pœnam, sed de providendo Ecclesiæ bono. Ex ipsa naturali ratione edocemur bonum publicum potius habendum esse bono privato. Nemo autem dubitat quin causa Ecclesiæ longe multumque præstet privatæ Episcopi utilitati.

172. Q. III. An ultimo in casu teneatur Pontifex Episcopum destitutum transferre ad aliam Sedem?

R. Destitutus quidem jus strictum non habet ad aliam Sedem; sed æquitas postulat ut, si fieri possit, detur compensatio.

173. Q. IV. An eadem dicenda forent casu quo R. Pontifex destitueret omnes Episcopos alicujus regni?

R. Per se nihil obstat, dummodo adsint circumstantiæ quas exposuimus; eadem enim causa est a parte Ecclesiæ, Episcoporum et R. Pontificis.

Aliud vero tenendum est de destitutione omnium Episcoporum totius orbis. Imprimis hæc nunquam exigitur sive utilitate, sive necessitate Ecclesiæ; insuper esset contraria Christi constitutioni, qui R. Pontifici primatum concessit in ædificationem, non autem in destructionem, quique non solum Pontificem, sed etiam Episcopos posuit regere Ecclesiam Dei.

174. Cum autem causa destitutionis debeat esse magna utilitas, aut gravis necessitas ecclesiæ particularis, vel universalis,

Q. V. Cuinam competat jus judicandi de Ecclesiæ utilitate vel necessitate in tali destitutione?

R. R. Pontifici; *a*/ quia judex, qui debet ferre sententiam, debet cognoscere rationes decidendi; *b*/ quia bonum ecclesiæ particularis redundat in bonum Ecclesiæ universalis, cujus cura R. Pontifici est commissa.

E. Concessio coadjutorum episcopalium.

175. Impotenti Episcopo, nisi sponte episcopatum dimittat, dandus est coadjutor, cujus opera et consilio diœcesis recte administretur. Sunt autem coadjutores duplicis potissimum generis : alii constituuntur sine futura successione, et nomine coadjutorum *temporalium* a canonistis sæpe designantur; alii vero cum jure successionis, et dicuntur *perpetui,* seu *hæreditarii.*

In ecclesiis ab Urbe longe dissitis, in casu difficilis recursus ad S. Pontificem, coadjutores ad tempus ab Episcopis cum assensu capituli assumi possunt. L. III. tit. 5. *de cler. ægrot.* cap. unic. *Pastoralis, in 6.*

Coadjutores vero hæreditarii, ex decreto Trid. *Sess.* XXV, cap. 7, *de ref.* nullibi rite recteque constituuntur, nisi S. Pontificis auctoritate; tum quia constitutio coadjutoris cum futura successione inter causas majores refertur, tum quia est novi Episcopi institutio, quandoquidem coadjutor hujusmodi sine nova collatione in episcopatum vacantem succedit.

Hodie etiam pro minoribus officiis ecclesiasticis dare coadjutorem cum jure successionis pertinet ad Sedem apostolicam.

F. Causæ Episcoporum.

176. Causæ Episcoporum sunt vel *civiles,* vel *criminales.* Utrum civiles causæ etiam hodie tractari valeant a Metropolita inter canonistas controvertitur. Negat post alios Bouix, *de Episc.* T. I. P. IV. sect. 2. cap. 3; sed communis doctrina affirmat, quia quoad eas Tridentinum non restrinxit potestatem Metropolitanorum.

Causæ criminales, si sint graviores, quæ nempe privationem Sedis merentur, etiam in prima instantia sunt soli Sedi ap. reservatæ; minores vero Concilio provin-

ciali, vel deputatis ab ipso. De his enim a Trid. *Sess.* XXIV. cap. 5, *de ref.* sancitum est : « Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo R. Pontifice cognoscantur et terminentur..... Minores vero criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur, vel a deputandis per Concilium provinciale. »

G. Erectio capitulorum, novarum dignitatum, novorum ordinum regularium et monasteriorum.

177. Hodie ad solum R. Pontificem pertinet : *a/* erigere capitulum cathedrale, vel ecclesiam collegiatam, quæ licet cathedralis non sit, capitulum tamen canonicorum habet.

b/ Creare novas dignitates, tales sc. quæ in jure vel disciplina communi sunt ignotæ.

c/ Novos ordines regulares non tantum instituere, sed et confirmare, eosdemque supprimere. Cf. Soglia, T. I. § 27.

d/ Erigere nova monasteria, de quo vide Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. cap. I, 9.

H. Ordinationes sacræ liturgiæ.

Liturgia, quæ *publicum ministerium* sonat, potest definiri : *forma cultus externi a Deo data, vel ab Ecclesia probata.*

178. Antiquitus Episcopi ex tacita vel expressa SS. Pontificum concessione in liturgia dirigenda in suis respective diœcesibus magnam habuerunt partem ; sed cum hoc egerint ex delegatione, et non jure sibi proprio, nihil ex eo colligi potest contra supremam in hac quoque materia Papæ auctoritatem. Quapropter a vero longe

aberrant Protestantes et Gallicani, qui potestatem in liturgia non tantum Episcopis, sed etiam Principibus sæcularibus tribuere audent.

Jam solus Papa in universa Ecclesia liturgiam moderatur per se, vel per S. Congregationem Rituum, quæ in hac re pro toto orbe habet ordinariam et apostolicam potestatem. Unde Episcopi independenter a Papa, vel ab eadem Congregatione liturgiam mutare, aut novam instituere nequeunt, ut in Concilio Tridentino, *Sess.* VII. *can. 13,* definitum reperimus. Cf. Bouix, *de jure liturg.*

Præcipui libri liturgici sunt: missale, breviarium, martyrologium, pontificale, cæremoniale Episcoporum et rituale, de quibus vide De Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis.*

J. Aliæ causæ majores.

179. R. Pontifici insuper competunt : *a/* causæ de fide et moribus nondum definitæ. Cf. præf. theol. dogm. n. 289 ss.

b/ Beatificatio et canonizatio Sanctorum. Jus canonizandi solius Sedis ap. proprium est, nec unquam fuit Episcopis concessum. Beatificatio vero primis Ecclesiæ sæculis ab illis fiebat; ast certum est eam ab Urbano VIII an. 1634 fuisse R. Pontifici reservatam. *Ibidem* n. 175; Ben. XIV, *de beat. et can. SS.* L. I. cap. 10.

c/ Exemptiones a jurisdictione Ordinariorum. Quanquam episcopalis ordo divinitus institutus sit, portio tamen gregis quam quilibet Episcopus regit, a Christo determinata non fuit, sed ejus designatio a R. Pontifice pendet. Divinis itaque Episcoporum juribus nulla fit injuria, dum ecclesia, monasterium, vel persona aliqua, justis de causis, a jurisdictione alicujus Episcopi solvitur et eximitur. Istud RR. Pontificum jus, sapientissimis pro ejus usu propositis regulis, confirmatum fuit in quinque

Conciliis : nimirum Viennensi, Constantiensi, Lateranensibus IV et V ac Tridentino. Ex iisdem Conciliis patet jus concedendi exemptiones soli R. Pontifici reservatum esse. Cf. supra n. 111.

d/ Concessio indulgentiæ plenariæ, vel partialis quæ excedit limites præfixos potestati Episcoporum, Archiepiscoporum et Cardinalium. Cf. Dens, T. VI *de indulg.* n. 239.

e/ Jus convocandi Concilium œcumenicum, ei præsidendi illudque confirmandi. Cf. præl. theol. dogm. l. c. n. 260. ss.

f/ Hodie etiam celebratio Concilii nationalis, ut constat ex SS. Pii IX brevi *Inter gravissimas* 17 Maii 1849, ad Episcopos Herbipolensis conventus, et ejusdem Pontificis brevi *Nihil gratius* etiam 17 Maii 1849, ad plures Episcopos Galliæ. Vide infra.

g/ Alia negotia quæ extraordinariam difficultatem annexam habent, v. g. causa matrimonialis agitata inter Principes, et similia, quorum varia enumerantur a Bouix, *du Conc. prov.* ch. 2.

h/ Tandem negotia quæ R. Pontifex speciatim sibi reservavit, vel quibus, ut dicitur, manum apposuit. De his verbulum addendum est.

180. *De reservationibus.* RR. Pontifices sibi reservarunt tum absolutionem a nonnullis censuris et peccatis, tum collationem quorumdam beneficiorum et munerum ecclesiasticorum, tum plura alia negotia statim indicata. Quidam reservationes illas reprehenderunt, quorum alii eas dicunt ortas ex Isidorianis decretalibus, alii eas ut injustas et illicitas habent. Contra quos dicimus :

Pontifices Maximi causas criminum graviores sibi reservarunt jure divino. Etenim in quibusdam criminibus reservandis utuntur « suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, » ut docet Trid. *Sess.* XIV, cap. 7 *de cas.*

res. Suprema autem potestas illa non fuit ab Ecclesia, sed ab ipso Christo RR. Pontificibus tributa. Ergo, etc.

Beneficia autem sibi reservant RR. Pontifices tum ratione Primatus, tum ratione supremæ bonorum ecclesiasticorum administrationis, tum denique sacrorum canonum præscripto, de quibus omnibus late disserunt Pichler in Lib. III. *Decr.* T. V, 41 ; Pirrhing, *de præb. et dign.* sect. 3; Thomassinus T. II. L. I. cap. 31, aliique permulti.

Generales reservationum causæ fuerunt socordia multorum Episcoporum, dissidia et vitia quæ irrepserant, temeritas præpotentium, quæ omnia in publicum damnum, et magnam ecclesiarum perturbationem deflectebant. « Quum autem Episcopi, ut verbis utar P. Ballerini, cum suis facultatibus instituti fuerint a Christo in bonum Ecclesiæ, non vero Ecclesia in Episcoporum, hi utilitati vel necessitati Ecclesiæ ita debent studere, ut non inique ferant, si ex utilitate vel necessitate ejusdem Ecclesiæ aliquot facultatum suarum restrictionem, moderationem, aut reservationem suprema potestas faciendam censuerit. »

181. *De appositione manus pontificiæ*. Hæc locum habet cum Papa incipit tractare aliquam causam, ceteroquin non reservatam, neque majorem. Hoc ipso non potest amplius illa causa, in ea parte cui Pontifex manum apposuit, ab inferiore judice vel præsule tractari, nisi postquam appositio manus suum effectum consecuta fuit. Nam ipso facto censetur Papa causam illam tacite ad se revocare, sicque sub nullitate actus ligare manus inferioris, ne amplius pro ea vice possit huic negotio se immiscere. Regula illa obtinet sive Pontifex per se, sive per alium, sive per aliquam Congregationem, causæ se intromittat. Cf. Reiff. *de præb. et dign.* n. 407 ss.

§ 6. *De jure R. Pontificis mittendi Legatos, Nuntios et Vicarios apostolicos.*

« Agitur de graviori atque insigniori jure primatus... quo præditus R. Pontifex..... suo fungitur apostolico munere per ecclesiasticos viros, sive stabiles, sive ad tempus, veluti magis expedire censuerit, delegatos in iis dissitis locis, ubi ipse interesse non potest; præcipiens eisdem ut ibi suas vices obeant, eamque jurisdictionem exerceant, quam is per se, si adesset, exerceret. » Pius VI, *Resp. super nuntiaturis*, cap. 8.

182. Jus illud post Protestantes impugnarunt : *a/* M. Ant. de Dominis, Richerius, Eybel, Febronius, quorum errores in praxim reducere sub Pio VI attentarunt quatuor Metropolitani Germaniæ, innixi perversis principiis in congressu Emsensi statutis, an. 1786. Concedebant quidem R. Pontifici jus mittendi Legatos extraordinarios, sed aperte resistebant Legatis missis cum jurisdictione stabili. Præcipua eorum ratio erat falsum principium, quo dicebant R. Pontifici non esse immediatam seu ordinariam potestatem in singulos fideles, sed mediatam tantum et extraordinariam; id est, eum nihil posse in aliorum Episcoporum diœcesibus, nisi casu extraordinariæ necessitatis aut utilitatis, quo unitas et incolumitas Ecclesiæ periclitaretur.

b/ Gallicani, qui docebant vi Libertatum ecclesiæ Gallicanæ non posse a Papa in Galliis constitui legatos stabiles cum jurisdictione ordinaria; extraordinarios vero non nisi assentiente Gubernio suam jurisdictionem exercere posse. Cf. art. org. 2.

183. Contra illos omnes dicimus, jus esse R. Pontifici mittendi legatos quoslibet, etiam ordinarios.

Probatur 1° *ex intima natura primatus.* « Pontifex R., vi primatus divina auctoritate fundati, constitutus, non

tantum est centrum unitatis et communionis catholicæ, sed ei insuper incumbit generalis et suprema cura, sollicitudo atque superintendentia in omnes ecclesias, cujus auctoritate... ea omnia exequitur, quæ Ecclesiæ universalis, aut particularis cujuscunque salus, utilitas necessitasve postulat. Hæc autem... cum plerumque ita constituta sint, ut personalem non raro præsentiam exigant, quam tamen Pontifex variis distentus impedimentis per se ipsum exhibere non valet, prohiberi is certe nulla ratione poterit, quominus per Legatos sufficienti auctoritate pro negotiorum expediendorum diversa natura instructos, has muneris sui partes expleat. » Schottius, *de Legatis,* cap. 1 § 5.

2° « *Ex constanti Ecclesiæ disciplina* a primis usque sæculis deducta; ex auctoritate ecclesiasticarum atque imperialium legum; ex communi denique canonistarum ac jurisconsultorum, præsertim Germanicorum, etiam protestantium, sententia. » Quod ostendit Pius VI, in opere præstantissimo *Responsio... super nuntiaturis ap.* Cf. Bouix, *de Curia Rom.* p. IV. sect. 1.

§ 7. *De jure recipiendi relationes.*

184. Jus illud præcipue spectat ad causas majores, de quibus diximus statim § 5. Ast ex universali R. Pontificis potestate etiam deducitur, eum posse exigere et recipere relationes in quibusvis ecclesiasticis negotiis, et de iis supremo jure statuere. Insuper ad Papam pertinet præscribere modum, quo relationes fieri cupit; præcipuus autem ille est, qui adhibetur in visitatione SS. Liminum, ab Episcopis statutis a jure epochis peragenda. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. a cap. VI ad ult.

§ 8. *De potestate R. Pontificis in temporalia Principum.*

Nimis longum esset hac de controversia pro rei gravitate disserere; non inutile tamen erit pauca quædam, duce Soglia, T. I. § 43, de ea hic subjicere.

Ex pluribus iisque luculentissimis monumentis notius est, quam ut probari debeat, vel ab initio medii ævi RR. Pontifices, præter alias graves pœnas, eas etiam Principibus inflixisse, quæ jurium civitatis amissionem, regiæque dignitatis privationem, nisi intra spatium unius anni resipuissent, suapte natura importarent secumque traherent. Ast in assignando jure quo RR. Pontifices id præstiterint, auctores dissentiunt : alii dicunt jure humano; alii vero jure divino; alii tandem utroque mixto.

185. Q. I. An opinio, mediis sæculis apud omnes diffusa, quæ R. Pontifici potestatem tribuebat Principes exauctorandi, solido cuidam humano fundamento innitatur ac superstruatur?

R. Affirmant multi contra quosdam S. Sedis oppugnatores. Et inter varios hanc affirmativam sententiam explicandi modos, ille videtur præplacere, quo dicitur totum et solum illius potestatis fundamentum ponendum esse in jure publico, quod tunc receptum erat. Vi illius juris, Imperantibus veræ fidei professio et cum S. Sede communio, tanquam essentialis ad regnandum conditio præscribebatur, et ad S. Pontificem de adimpleta hac conditione decernendi judicium ita spectabat, ut populis reclamantibus, quibusdam in casibus, ob enorme crimen Principem ipsum e throno deponere jure posset.

Probatur 1° ex crebris illis ab antiquissimo inde tempore excommunicationis latis sententiis, in quibus RR. Pontifices *ab omni ditione regni, absque ulla spe recuperationis* Principes removerunt, ea quidem ratione, quia id *humanarum legum testabatur auctoritas.*

2° Ex ipso Principum facto, qui suis legibus hoc jus RR. Pontificibus et palam admiserunt et sanctione confirmarunt. Gonelin citat pro plures paginas

3° Ex populorum omnium consensu, qui medio ævo professi sunt, hanc RR. Pontifices habere prærogativam *ex speciali quodam jure,* ut aiebant; quod aliud jus non erat, nisi illud publicum, de quo loquimur.

186. Q. II. Utrum potestas R. Pontificis in temporalia Principum juri etiam divino innitatur?

R. Triplex de hac celeberrima quæstione adest sententia :

1° Alii *directam* jure divino potestatem S. Pontifici in civile Principum regimen competere putant. Juxta hanc opinionem, accepisset R. Pontifex immediate a Deo plenissimam potestatem gubernandi universum mundum, tum in spiritualibus tum in temporalibus; ita tamen ut debeat per se exercere potestatem spiritualem, Principibus vero committere temporalem seu civilem. Principes itaque sunt Ecclesiæ ministri, qui potestate sua uti debent juxta ordinem a Deo stabilitum; alias ea per Ecclesiam privari possunt. Unde cum RR. Pontifices medii ævi Reges deponebant, id plena illa potestate a Christo tributa faciebant, qua ligatum erat quidquam ligassent, solutumque quidquid solvissent.

Doctrina illa evidenter pugnat cum principio independentiæ utriusque societatis supra n. 19 et 31 probato, adeoque rejicienda.

2° Alii tantum agnoscunt S. Pontifici potestatum *indirectam*. Hæc sententia docet Pontificem, qua Pontificem, nullam habere directe et immediate temporalem potestatem, sed solum spiritualem; ratione tamen potestatis suæ spiritualis eum habere *saltem indirecte* potestatem, eamque summam in temporalibus, quando id exigit majus Ecclesiæ bonum, vel salus animarum. Com-

munissima hæc sententia est; verum in ea explicanda auctores dissentiunt.

a/ Quidam enim arbitrantur RR. Pontifices, in quibusdam gravioribus rerum adjunctis, positis certis Principum contra Ecclesiam conatibus, vi potestatis a Christo ipsis concessæ, leges Principum rescindere, sententias eorum et decreta nulla et irrita facere, novas leges in temporalibus ferre, imo vinculum Principes inter ac subditos reapse dissolvere posse. Est opinio Cardinalis Bellarmini, qui eam pluribus explicat, atque rationibus et exemplis stabilire conatur L. V. *de S. Pontifice,* cap. 6-8; necnon Suarez in sua *Defensione fid. cath. adv. angl. sectæ errores* L. III. c. XXII ss.

Potestatem illam RR. Pontificum præfati auctores vocant etiam *directivam,* sed alio omnino sensu ac Gallicani, ut videre est apud Suarez l. c. « Non intelligimus, ait, potestatem consulendi, monendi, aut rogandi, hæc enim non sunt propria potestatis superioris; sed intelligimus propriam vim obligandi, et cum morali efficacia movendi, quam aliqui solent coactivam appellare, sed hæc vox magis ad pœnas pertinet. »

b/ Plures admittunt potestatem *indirectam* seu potius *directivam* quam multo mitiori sensu intelligunt, et contendunt R. Pontificem, utpote Principem Pastorum, habere jus dirigendi conscientias Principum æque ac populorum, eosque edocendi obligationes quas imponit jus divinum naturale et positivum; reges enim christiani non solum quoad personas, sed etiam quoad regiam potestatem, id est, non solum ut homines, sed etiam ut reges christiani potestati Pontificis subjiciuntur; absurda namque est distinctio inter Principum personam privatam et publicam. Si igitur Principes Ecclesiam vel Religionem lædant, non potest quidem Pontifex se rebus civilibus immiscere, ut contendit Bellarminus, sed eos

pœnis et censuris adigere ut a pravis conatibus abstineant. Quod si resistant et censuras spernant, poterit Pontifex *declarare* subditos tuta conscientia Principibus obedientiam abnuere posse, vel debere, fidelitatisque juramentum nullam amplius vim habere.

Absolute loquendo, ait Bianchi, *Della potestà della Chiesa* L. I. § 8, non habet S. Pontifex potestatem deponendi Reges, nec subditos solvendi vinculo obedientiæ; sed potest *declarare* quibusnam in casibus ob Religionis emolumentum Reges thronum perdunt, et subditi solvuntur juramento fidelitatis. Illa autem potestas, ait L. III. § 4, est pure et simpliciter spiritualis, quæ directe tendit ad finem maxime spiritualem, salutem nempe animarum; indirecte vero, et per viam consequentiæ, attingit res temporales, quatenus sunt obstacula vel media hujus finis consequendi. Nec pugnat cum utriusque potestatis in suo ordine independentia; quod facile perspexerit qui observaverit talem potestatem, occasione quidem temporalium, in re tamen spirituali exerceri; Ecclesiam proinde in suo ordine versari; Principem vero qui, in re licet civili, justitiam, Religionem, Ecclesiam lædit, non in proprio ordine, sed in ordine spirituali versari.

Hæc opinio probatur : *aa/* ex potestate clavium, ligandi atque solvendi, Petro absolute, sine ulla restrictione, in ædificationem Ecclesiæ tradita.

bb/ Ex potestate regendi et pascendi totum ovile, omnes sc. agnos et oves, fideles et omnes etiam Pastores, Principes æque ac populos, quæ Petro summo Pastori, ejusque successoribus, RR. Pontificibus, concessa est. Bianchi l. c.

cc/ A ratione. Ab una parte certum est vinculum obedientiæ et juramentum fidelitatis Principibus a subditis præstitum non esse indissolubilia. Ita omnes theologi. Certum etiam est præcipuum motivum illa dissolvendi

esse motivum Religionis, cum salus animarum sit summa lex. Ab altera vero parte, licet subditi tuendo Religionem et libertatem conscientiæ etiam contra Principum tyrannidem, jure utantur naturali, propria tamen auctoritate rebellare nequeunt. Ecclesiæ est judicare utrum excessus Principum tales sint, qui permittant dissolvere vinculum obedientiæ et juramentum fidelitatis. Nam ipsa sola de rebus sacris, adeoque de causa Religionis legitime et rite cognoscit; ipsa sola solvere potest vinculum obedientiæ et juramentum fidelitatis, quæ pertinent ad forum internum et subditos ligant non tantum Principi, sed maxime Deo, cum soli Ecclesiæ a Domino dictum sit : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*. Dein extremum illud tentari non potest, nisi postquam minæ et pœnæ frustra fuerint adhibitæ. Ergo, etc.

Eodem mitiori sensu indirectam potestatem tuetur Cardinalis Gousset, *Théol. dogm.* 2 P. n. 1202 ss. : « L'Église n'intervient pour les actes d'un Gouvernement quelconque, que quand ces actes sont contraires à la justice, à la morale ou à la Religion; encore n'intervient-elle qu'en qualité d'interprète des lois divines, naturelles et positives, et de régulatrice de ce qui a rapport à la conscience, au salut éternel, à l'ordre spirituel par conséquent. Il était donc inutile de rappeler que le *royaume* de J.-C. *n'est pas de ce monde,* ou plutôt *qu'il ne vient pas de ce monde,* parce qu'il n'a pour mission de régler les choses de ce monde que dans l'ordre du salut; inutile de nous rappeler qu'il faut *rendre à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu;* que *toute puissance doit être soumise aux puissances supérieures;* qu'il n'y a pas *de puissance qui ne vienne de Dieu;* que *celui qui résiste aux puissances, résiste à l'ordre établi de Dieu.* Cela n'a jamais été contesté dans l'Église de Jésus-Christ. Assurément on n'a pas attendu la Déclaration de 1682, rédigée par

l'ordre de Louis XIV, pour connaître le vrai sens de l'Évangile et des Épitres de saint Paul. »

Nec longe ab hac opinione distat ipse Fénélon, ut colligitur ex sua *Diss. de auctor. S. Pont.* ch. 27 : « Hæc autem potestas, ait, quam Gersonius *directivam* et *ordinativam* nuncupat, in eo tantum consistit, quod Papa, utpote Princeps Pastorum, utpote præcipuus in majoribus moralis disciplinæ causis Ecclesiæ director et doctor, de servando fidelitatis sacramento populum consulentem edocere teneatur. De cetero, nihil est quod Pontifices regibus imperare velint nisi ex speciali titulo, aut possessione aliqua peculiari, id sibi juris, in aliquem regem feudatarium Sedis ap. adepti fuerint. Namque Apostolis omnibus, ac proinde Petro dictum est : Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic. » Cf. etiam *Plans de Gouvern.* Gosselin, *Pouv. du Pape au moyen-âge*, T. II. n. 8 ss.

3° Alii tandem omnem hujusmodi potestatem Pontifici denegant. Hanc doctrinam vere novam primum sparsit facultas parisiensis anno 1663, eamque amplexa est Declaratio cleri gallicani 1682, et solemniter sanxit primo suo articulo, de quo multo magis quam clerus abusi sunt politici seu parlamentarii. Fundamentale ponunt principium in eo, quod potestas civilis sit immediate a Deo. Unde deducunt Principes, qua tales, in suo ordine non habere superiorem nisi Deum, et consequenter eos esse absolute independentes a potestate ecclesiastica. Possunt quidem Principes, qua personæ privatæ, a Pontificibus dirigi et censuris plecti, etiam propter excessus in exercitio potestatis commissos; sed acta eorum publica infirmari vel rescindi ab iis nequeunt. Subditis autem, licet non teneantur obedire legibus impiis vel injustis, nullum, præter inobedientiam et patientiam, suppetit medium resistendi.

Strenuus istius systematis propugnator exstitit Bossuet, in opere *Defensio Declarationis cleri Gallicani;* de quo opere scribit Benedictus XIV, *in epist. ad supr. Hisp. inquisit.* (Bull. vol. XIII. p. 107) : « Difficile profecto est aliud opus reperire, quod æque adversetur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ, de Summi Pontificis ex Cathedra definientis infallibilitate, de ejus excellentia supra quodcumque Concilium œcumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum Religionis et Ecclesiæ commodum id exigat, super juribus temporalibus Principum supremorum. » Verba hæc, quamquam nihil definiant, contraria quam maxime sunt potestatem indirectam negantibus, non vero iis qui eam sensu mitiori propugnant. Nam Bossuet, quem hic carpit Benedictus, eam in quovis sensu negabat, et affirmabat nec etiam tunc potestatem sæcularem subjectam esse Ecclesiæ, seu R. Pontifici, quando Religionem, Ecclesiam lædit. Cf. prop. XXIV *Syllabi,* citata supra n. 124.

187. Q. III. Tandem an solutio repeti possit ex publico jure medio ævo vigenti, mixto cum jure divino?

Respondet Soglia : « Si hoc in sententiarum discrimine fas nobis est aperte dicere quod sentimus, opinio... (quæ docet) jus publicum (medii ævi) certum quidem ac solidum, non autem unicum et totum fundamentum constituere, veritati magis consentanea videtur. Sequimur itaque eorum judicium, qui pro hoc jure stant, non eo tamen progredimur, ut contendamus hujusmodi jus, etiamsi quæstio historice consideretur, ex jure divino, aut ex prærogativis RR. Pontificum exoriri haud potuisse. » Ad hanc opinionem stabiliendam concurrunt argumenta mox allata sub I et II.

En quæ de juribus et officiis R. Pontificis proponenda judicavimus. Non omnia certe et singula ipsius jura enumeravimus, sed potiora tantum, ex quibus cetera facile colligi poterunt.

Articulus IV.

DE PRINCIPATU CIVILI R. PONTIFICIS.

R. Pontifex, præter plenam divinitus acceptam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, obtinet etiam, more ceterorum Principum, potestatem temporalem in aliquas provincias, quas summo imperio administrat. Cum principatus ille ad Ecclesiæ bonum et utilitatem respiciat, hostes S. Sedis illum convellere et labefactare conantur, non tantum vi armorum, sed etiam et præsertim falsis ac perniciosis principiis. Ad versus eos quatuor sequentes defendimus propositiones.

§ 1. *Utraque potestas compatibilis est.*

188. Dominium temporale nullatenus adversatur potestati sacræ, seu non repugnat ut unus homo sit Princeps ecclesiasticus et politicus simul.

Probatur 1° exemplis Sanctorum, qui inveniuntur Principes et Pontifices fuisse; sic Melchisedech, Abraham, Jacob, Moises, Machabæi et alii. Voltaire, *Ess. sur les mœurs,* T. I. ch. 13, ait : « On a tant d'exemples dans l'histoire de l'union du sacerdoce et de l'empire dans d'autres religions. »

2° A ratione. Istæ potestates non sunt contrariæ, sed utraque bona, utraque a Deo, et una alteri servit; ergo non pugnant inter se, et consequenter simul in eodem esse possunt (n. 32 ss.).

3° Ex doctrina et praxi catholicorum. Doctores enim catholici tam unanimiter compatibilitatem utriusque potestatis propugnant, ut SS. Pius IX damnarit in *Syllabo* prop. LXXV : *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.*

Insuper non solum pii optimique Principes fuere, qui principatum temporalem Episcopo Romano concesserunt, ut Constantinus, Carolus M., ejusque filius Ludovicus Pius; sed etiam plerique Sancti Pontifices, qui illum receperunt, ut S. Leo, S. Gregorius VII, S. Cœlestinus V et alii. Cf. Bellarm. *de R. Pontifice*, L. V. cap. 9.

4° Experientia. « Facile autem intelligitur, ait Pius IX, *Litt. ap. 26 Martii 1860,* quemadmodum ejusdem Romanæ Ecclesiæ principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem, vi sacræ quam habet destinationis, et arctissimi illius vinculi, quo cum maximis rei christianæ rationibus conjungitur. Quod tamen nil impedit, quominus ea omnia quæ ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a RR. Pontificibus per tot sæcula civilis regiminis historia luculentissime testatur. Cf. Ill. Dupanloup, *Lettre à un cath.* II.

Obj. Si dominium temporale non est contrarium juri naturæ, saltem adversatur doctrinæ Evangelicæ, et spiritui Christi. Probatur ex Matth. x, 9 : *Nolite possidere aurum* etc.; ex Jo. xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.*

R. *a/* Pauco tempore post mortem Christi ipsi Apostoli receperunt pretia possessionum, quas fideles vendiderant. Supra n. 53.

b/ Omnes Pontifices, inter quos fuere plerique scientia et sanctitate conspicui, regimen temporale susceperunt, ubi utilitas vel necessitas postulabat. Nullus Ecclesiæ Doctor illud reprobavit; plura Concilia, et præsertim Tridentinum, illud armis spiritualibus propugnarunt. Ergo vel tota Ecclesia erravit, quod est absurdum; vel principatus, de quo loquimur, non magis repugnat spiritui evangelico, quam juri naturali.

§ 2. *Necessarius est hodie principatus civilis R. Pontificis.*

189. Quamdiu stetit Romanorum imperium, quod ingenti sua magnitudine totam pene christianorum societatem complectebatur, S. Pontifex imperio temporali caruit.

Verum enim vero « quoniam ad libere, ut par erat, agendum, ait Pius IX, l. c., iis (Ecclesia) indigebat præsidiis, quæ temporum conditioni ac necessitati congruerent, idcirco singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum est, ut cum Romanum corruit imperium, et in plura fuit regna divisum, R. Pontifex, quem Christus totius Ecclesiæ suæ Caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. »

Tanta autem ex illo in societatem ecclesiasticam commoda, attentis rerum adjunctis, redundare adeo perspicuum est, ut illum et perutilem esse, et ferme omnino necessarium, adstruere compellamur. Etenim

1° Mirifice tuetur dignitatem, libertatem et independentiam S. Pontificis. Oportet sane totius Ecclesiæ Caput nulli Principi esse subjectum, imo nullius hospitem. Principatu autem civili « a Deo ipso sapientissime consultum est, pergit SS. Pius IX, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate, S. Pontifex illa frueretur politica libertate, quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.* »

« Namque omnibus compertum est, dicebat idem Pontifex Gajetæ, 20 Aprilis 1849, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse præstitura R. Pontifici, si illum alicujus Principis vel gubernii dominio subjectum, ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent. »

2° Omnino requiritur pro bono ac libero Ecclesiæ animarumque regimine. Dum R. Pontifex in proprio dominio ac regno sedens suimet juris est, tunc, et tunc tantum potest in nobili, tranquilla et alma libertate fidem tueri ac propagare, hominum mores conformare atque perficere, ecclesiasticæ disciplinæ unitatem in tota Ecclesia adeo necessariam promovere atque conservare; verbo debite consulere fidelium conscientiæ et directioni, atque Ecclesiæ gubernationi. « Quo (principatu) R. Pontifex... facilius divinam Religionem magis in dies propagare, et variis fidelium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quæ pro re ac tempore, ad majorem totius Christianæ Reipublicæ utilitatem, pertinere ipse cognosceret. » Pius IX, *alloc. consist. secr.* diei 20 Junii 1859.

In confirmationem thesis plura possent allegari argumenta, pluresque auctores in medium proferri. Sed satis erit nonnullos minime suspectos cum eorum testimoniis recensere.

Audiamus Napoleonem I : « Le Pape est hors de Paris, et cela est bien; il n'est pas à Madrid ni à Vienne, et c'est pour cela que nous tolérons son autorité spirituelle. A

Vienne, à Madrid, on pourrait en dire autant. Croyez-vous que, s'il était à Paris, les Autrichiens et les Espagnols consentiraient à recevoir ses décisions? Nous sommes donc trop heureux qu'il réside hors de chez nous, et qu'en demeurant hors de chez nous, il ne réside pas chez nos rivaux; qu'il habite cette vieille Rome, loin de la main des Empereurs d'Allemagne, loin de celle de la France et des Rois d'Espagne, tenant la balance entre les Souverains catholiques, incliné toujours vers le plus fort, et se relevant promptement si le plus fort devient oppresseur. Ce sont les siècles qui ont fait cela, et ils ont bien fait. Pour le gouvernement des âmes, c'est l'institution la meilleure et la plus bienfaisante qu'on puisse imaginer. » Thiers, *Hist. du Cons. et de l'Emp.* T. II.

De Haller, op. *Restaur. de la science polit.* L. VI. ch. 72, ait : « L'indépendance temporelle est nécessaire au crédit de la Religion et de l'Église, par l'exercice libre, assuré et impartial de l'autorité spirituelle : elle est moins avantageuse à son possesseur qu'au monde, pour lequel la foi est un besoin. »

Thiers, in suo *Rapport lu à l'assemblée franç.* le 14 Oct. 1849 : « Les puissances catholiques réunies à Gaëte négociaient pour le rétablissement d'une autorité indispensable à l'univers chrétien. Sans elle l'unité catholique se dissoudrait; sans elle le Catholicisme périrait au milieu des sectes, et le monde moral déjà si fortement ébranlé, serait bouleversé de fond en comble; mais l'unité catholique qui exige une certaine soumission religieuse de la part des nations chrétiennes, serait inacceptable, si le Pontife, qui en est le dépositaire, n'était complètement indépendant, si au milieu du territoire que les siècles lui ont assigné, que toutes les nations lui ont maintenu, un autre souverain, Prince ou peuple, s'élevait pour lui dicter des lois. Pour le pontificat il n'y a d'indépendance que la souveraineté même. »

Imperator Gallorum, Napoleon III, an. 1849 sic ad suum Legatum Romæ degentem scribebat ; « La souveraineté temporelle du Chef visible de l'Église est intimement liée à la splendeur du Catholicisme, ainsi qu'à la liberté et à l'indépendance de l'Italie. »

Tandem ut alios prætéream, D. Guizot, qui præclare et voce et scriptis principatum civilem R. Pontificis propugnavit, in op. *L'Église et la société chrétienne* sic ratiocinatur : « La souveraineté est nécessaire à l'indépendance du Pape ; — L'indépendance du Pape est indispensable à la conservation du Catholicisme ; — Le Catholicisme est nécessaire au christianisme tout entier pour triompher du rationalisme ; — Le christianisme tout entier a donc besoin de la conservation de la souveraineté pontificale. » Cf. Thuriot de la Rosière et Comes de Montalembert apud Ill. Dechamps, *Discours du 11 Octobre 1870*, p. 15 et 23.

Quæ cum ita sint, unusquisque facile perspicit, quam merito SS. Pius IX reprobarit in *Syllabo*

Prop. LXXVI. *Abrogatio civilis imperii, quo apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.* Cf. prop. XXVII citata supra p. 52.

§ 3. *Admodum legitimus est principatus civilis R. Pontificis.*

190. Probatur 1° ex titulis acquisitionis ; illum enim acquisivit libera populorum donatione ac Principum munificentia et liberalitate. Exstant enim authentica hujus acquisitionis documenta, quæ breviter describit Ill. Dupanloup, *lett. à M. Granguillot, rédacteur du Constitutionnel*, 4 Fév. 1860 : « Avant Constantin, l'Église Romaine n'avait ni souveraineté, ni seigneuries temporelles ; mais seulement des biens très-considérables qu'elle

tenait de la libéralité des Princes chrétiens, et qui étaient nécessaires à l'exercice de sa souveraineté spirituelle.

« De Constantin à Grégoire II, les Papes possédèrent de nombreux patrimoines, dont plusieurs étaient de véritables principautés. Ils avaient de plus, surtout depuis le pontificat de S. Grégoire-le-Grand, une immense influence dans les affaires temporelles...

« Depuis Grégoire II jusqu'à Charlemagne, il y eut une véritable souveraineté. Les savants l'ont nommée une souveraineté *provisoire*.

« Enfin Charlemagne reçut la glorieuse mission de fonder définitivement la souveraineté temporelle du Saint-Siége, en *restituant* au Saint-Siége les villes et les provinces qui lui appartenaient, et en y ajoutant les donations les plus importantes. » Cf. cl. Wouters, *Hist. eccl.*, T. I. p. 408 ss.; Anal. jur. pont. T. I. 2 ser. col. 1697; Laforêt in *Rev. cath.* an. 1871.

2° Ex diuturna possessione; etiamsi nil præcedentium exstaret, præscriptio decem sæculorum abunde sufficeret.

Cum his apprime concinunt, quæ leguntur in *Defensione Declarationis cleri Gallicani 1682* : « Nos enim scimus a RR. Pontificibus et sacerdotali ordine, Regum concessione ac legitima possessione, bona quæsita, jura, imperia ita haberi ac possideri, uti quæ inter homines optimo jure habentur ac possidentur. Imo ea omnia, ut dicata Deo, sacrosancta esse debere, nec sine sacrilegio invadi, rapi et ad sæcularia revocari posse. » Cf. Fleury, *Hist. eccl.* T. XVI, 4e d.

Hæc omnia præclare confirmantur a SS. Patre Pio IX, in *alloc. prolata in Consist. secr.* 20 Junii 1859. « R. Pontificis principatum..., ait, vetusta per tot jam continentia sæcula possessione, ac justissimo quovis alio optimoque jure comparatum, et communi omnium populorum et

Principum vel acatholicorum consensione, uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper habitum ac defensum, hostes Ecclesiæ invadere, labefactare et destruere connituntur. » In litteris autem 26 Martii 1860: « Grave admittitur sacrilegium, ait, quo una simul aliena jura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis justitiæ ratio subvertitur, et cujusque civilis principatus ac totius humanæ societatis fundamenta penitus evertuntur. »

« Les auteurs les moins suspects, scribit *ep. cit.* Ill. Dupanloup, sont ici d'accord avec nous. C'est ainsi que Gibbon écrivait : Le domaine temporel des Papes se trouve fondé sur mille ans de respect, et leur plus beau titre à la souveraineté, c'est le libre choix d'un peuple délivré par eux de la servitude. Voltaire lui-même, déclare l. c. ch. 13, que — le temps a donné au Saint Siége des droits aussi réels sur ses États, que les autres Souverains de l'Europe en ont sur les leurs —. » Cf. Ill. Mathieu, arch. Vesunt. in op.: *Le pouvoir temporel justifié par l'histoire.* Rev. cath. an. 1863 p. 370.

§ 4. *R. Pontifex tueri debet suum principatum civilem.*

191. Probatur 1° ex praxi Ecclesiæ. SS. Pontifices semper omni quo potuerint modo possessiones Ecclesiæ defendere sunt conati. Ideo sæpius inflicta fuit pœna majoris excommunicationis invasoribus et usurpatoribus bonorum ecclesiasticorum; sic anno 1078 Gregorius VII excommunicavit Guiscardum et exercitum ejus; in Concilio Constantiensi, *Sess. VIII,* 45 articuli Jo. Wiclef damnati ejusque scripta igni tradita sunt. Cf. Trid. *Sess.* XXII *de ref.* cap. 11; bulla *in Cœna Domini,* clausula 17; Pius IX *Litt. ap.* diei 26 Martii 1860, et const. *Apostolicæ Sedis* I. n. 12.

2° A ratione. Licet S. Pontifex valeat ex plenitudine potestatis, ob urgentissimas causas, alienare partem bonorum et jurium R. Ecclesiæ, id tamen non potest pro suo arbitrio; quia non est illorum dominus, sed dispensator; non sibi, sed Ecclesiæ quæsita sunt, et juramento obstringitur ne bona illa alienet. Id præsertim non potest nostris temporibus, uti sæpe declaravit; quia alienatio vergeret in detrimentum Ecclesiæ, honoris S. Sedis, ordinisque publici. Varia illa motiva, quæ indicantur in *Litt. ap.* Pii IX, diei 26 Martii 1860, collegit Em. Cardinalis Antonelli, in sua *Note en réponse à la brochure,* La France, Rome et l'Italie, *de M. le Vic. de Laguéronnière,* 26 Février 1861 : « Ladite acceptation (du conseil de céder les Romagnes) ne pouvait s'accorder avec la conscience du Saint-Père :

a/ « Parce que le principe mis en avant pour une telle cession, pouvant de sa nature s'étendre au reste des États Pontificaux, elle emportait virtuellement l'abdication totale de ces mêmes États.

b/ « Parce qu'il est obligé par des serments solennels devant toute l'Église de transmettre intégralement à son successeur cet État, qui appartient à l'Église elle-même, et à l'intégrité duquel tout le monde catholique est intéressé.....

c/ « Parce que c'était abandonner le tiers de ses sujets à la tyrannie d'une faction immorale et irréligieuse, qui en aurait fait sa victime pour les mœurs et pour la piété; comme l'événement l'a depuis prouvé sans réplique. Même un Prince laïque, avec une telle perspective, n'aurait pu en bonne conscience faire une semblable cession; et comment prétendrait-on qu'elle pouvait être faite par le Maître souverain de la morale catholique? »

Obj. Alii Pontifices concessiones fecerunt, v. g. Pius VI, anno 1797, in tractatu Tolentini inito cum Napoleone I; ergo etc.

Respondet Ill^s Dupanloup, *La souveraineté pontificale,* ch. 24, p. 514 : « Mais prouvez que les exemples que vous citez ont une application possible à la question présente : vous ne le faites pas, et vous ne pouvez pas le faire. En 1797 le Pape cédait *à un fait de guerre,* à la force majeure : aujourd'hui, en renonçant volontairement à ses provinces, il céderait à un principe destructif de son pouvoir même. Pie VI, dit la dépêche pontificale, dans des circonstances complètement différentes des circonstances actuelles, se trouvait en face d'une violence insurmontable, et d'une force matérielle irrésistible, tandis que le Souverain Pontife régnant, cédant à *un prétendu principe, abdiquerait virtuellement* la souveraineté de tous ses États, et autoriserait une spoliation contre toute règle de justice et de raison. »

Præter citatos auctores, de hac quæstione consuli possunt Muzzarelli, *Opuscules ;* Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge,* 1re P. p. 323; De Maistre, *Du Pape,* L. II. ch. 6; Scavini, *Theol. mor.* T. IV. app. XXII, n. 131 ss.; Feye, *oratio de civ. R. P. princ.* 1862; Haine, *de la cour Rom.* T. II. p. 83 ss.

Articulus V.

DE AMISSIONE DIGNITATIS PONTIFICIÆ.

192. Communiter dicitur R. Pontifex adeptam dignitatem duplici modo amittere : nempe morte naturali et abdicatione; utrum detur et tertius, sc. depositio, inter auctores ambigitur.

De primo modo superfluum foret quidquid dicere.

De secundo modo amittendi pontificatum, sc. per liberam abdicationem, fuit olim dubitatum an S. Pontifex posset valide se papatu abdicare, necne.

Verum hodie extra controversiam est sententia affir-

mans, utpote quæ et auctoritate definita, et exemplo confirmata, et consensu omnium theologorum et canonistarum comprobata.

Et revera S. Cœlestinus V an. 1294 constitutionem edidit, qua Pontificem se pontificatu abdicare posse definivit, et secundum hanc ipsam constitutionem cum se insufficientem agnosceret, in consistorio pontificatum libere resignavit. Hanc constitutionem S. Cœlestini V Bonifacius VIII, qui in illius locum legitime suffectus fuerat, laudavit atque confirmavit, uti fert cap. *Quoniam* L. I. tit. 7, *de Renunt. in 6.*

Accessit autem unanimis theologorum et canonistarum consensus, ut necessario fit in re ab ap. Sede definita.

Ad depositionem quod spectat, certum est R. Pontificem in casibus ordinariis a nemine posse judicari, nec puniri, adeoque nec deponi, cum nullum habeat superiorem nisi Deum, a quo immediate potestatem suam obtinet, et cujus judicio ipsius causa reservatur. Unde in causa Marcellini Papæ Concilii Patres dixerunt: *Prima Sedes non judicabitur a quoquam;* et in Concilio Romano sub Sylvestro : *Neque ab Augusto, neque a clero, neque a populo judex judicabitur.*

Quid vere de depositione sentiendum foret, si vel Papa privato judicio deceptus in hæresim incideret, vel si duo aut plures de papatu contendentes Ecclesiam schismate dividerent, vel tandem pravis moribus vel criminibus Papa christianam rempublicam graviter et evidenter offenderet, colligitur ex præl. theol. dogm. *de R. Pont.* n. 286 ss.; Bouix, *de Papa.* T. II. sect. IV.

CAPUT II.

DE CURIA ROMANA.

193. Curia, si vocis spectemus etymon, derivatur a *curare,* et significat ædificium publicis negotiis seu curis destinatum. Translato autem sensu, seu per metonymiam, significat complexum omnium officialium qui cum Principe regimini reipublicæ allaborant.

Simili significatione hac voce utitur jus canonicum; nempe vel ad designandam publicorum officialium residentiam, seu locum in quo officio suo funguntur; vel ad designandum, si strictius sumatur, illam collectionem officialium, qui administrandæ justitiæ sunt præpositi; si vero latius, collectionem illarum personarum, quæ cum Pontifice vel Episcopo et sub ipsis res ecclesiasticas, politicas ac judiciarias regunt et administrant in Ecclesia universa vel diœcesi aliqua speciali.

Hinc sub denominatione *Curiæ Romanæ* late sumptæ intelligenda præcipue venit tota illa consiliariorum, dicasteriorum et officialium collectio, quibus utitur S. Pontifex in regenda Ecclesia universali. Dein ad eamdem pertinent, sed accessorie tantum, illi qui sive in administranda diœcesi Romana, sive in dirigendo principatu civili, S. Pontificis vices agunt auctoritatemque exercent.

Nobis agendum non est de Curia Romana, in quantum respicit Status Pontificii administrationem.

Nec pluribus hic de eadem disserendum, in quantum diœcesana est. Sufficit notare eam sub hoc respectu consistere in vicariatu, cui præest *Cardinalis Vicarius.* Hic adjuvatur in munere suo a Prælato qui dicitur *Vices gerens,* et duobus aliis officialibus, qui dicuntur *locum tenentes,* alter civilis, alter criminalis vicariatus. Habet et *secretarium,* qui Romæ officio fungitur fere eodem ac

cancellarius in diœcesibus. Omnes isti ministris utuntur secundariis, sive in tribunali, sive in secretaria vicariatus.

In sequentibus itaque tractabimus de præcipua et magis proprie dicta Curia Romana; quæ scilicet S. Pontifici auxilium præstat in regenda universali Ecclesia, ipsiusque vices gerit quatenus supremi totius Ecclesiæ Pastoris.

Constat vero Romana Curia, hoc modo intellecta, sacro Cardinalium collegio; pluribus eorumdem Cardinalium congregationibus, nonnullisque aliis tribunalibus ecclesiasticis; ac tandem legatis, nuntiis, administratoribus et præfectis apostolicis.

Articulus I.

DE S. E. ROM. CARDINALIBUS.

In Curia et Senatu R. Pontificis eminent Cardinales, qui præcipui sunt Papæ consiliarii et adjutores in administratione Ecclesiæ universalis. Sunt quasi oculi et aures, ac nobilissimæ sacri Capitis partes, et præcipua illius membra a Spiritu Sancto constituta, inquit Sixtus V, const. *Postquam*.

§ 1. *De origine et nomine Cardinalium.*

194. « Cardinalium nomen antiquissimum est, ait Soglia, T. I. § 44; quivis enim Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui certæ alicujus ecclesiæ proprius et ordinarius minister esset, Cardinalis dicebatur, quod eidem ecclesiæ suæ tanquam cardo affixus foret, atque ideo Ecclesia circa eum, veluti valvæ circa cardinem, volveretur. Quare apud ecclesiasticos scriptores sæpissime verbum occurrit *cardinandi*, seu *incardinandi*, hoc est certæ ecclesiæ perpetuo addicendi. Quod sane vocabu-

lum opportune usurpabatur, ut proprii et quasi fixi et immobiles ecclesiarum ministri, seu pastores, ab iis probe distinguerentur, qui veluti *subsidiarii* et *adventitii,* vel ad determinatum tempus, aut ob peculiarem causam alicui ecclesiæ addicebantur.

« Hoc itaque sensu in omnibus passim ecclesiis, præter Episcopum Cardinalem, id est proprium et ordinarium Episcopum, erant presbyteri et diaconi Cardinales, qui ecclesiis et titulis presbyterorum, aut diaconorum præficiebantur. Sed ad Romanam Ecclesiam quod attinet, in ea erant *tituli,* sive *ecclesiæ,* in quibus sacri conventus fiebant et sacramenta administrabantur, ideoque presbyteris concreditæ, unde *Cardinales presbyteri;* erant et diaconiæ in Urbis regionibus, hospitales nempe domus cum adhærentibus sacellis et oratoriis, diaconis idcirco commissæ, unde *Cardinales diaconi,* qui etiam *Regionarii* vocabantur.

« Nullus autem Romæ exstabat Cardinalis Episcopus cum *unus* Romanus Pontifex, tanquam proprius Episcopus Romanam Ecclesiam administret. Verum in hanc Ecclesiam cooptati postea sunt septem vicinarum civitatum Episcopi, ex quo cœpit Cardinalium dignitas illustrior fieri. Id factum est undecimo forte sæculo, quamvis non desint scriptores qui antiquius tempus assignant, quos inter Thomassinus, P. I. L. II, cap. 116..... Hi fuerunt Episcopus Ostiensis, Portuensis, Albanensis, Prænestinus, Sabinensis, Tusculanus et S. Rufinæ, seu Sylvæ Candidæ, qui et *Episcopi suburbicarii* vocantur. Verum hodie sex tantum reliqui sunt, postquam ecclesia S. Rufinæ, seu Sylvæ Candidæ, episcopatui Portuensi a Callixto II unita fuit.

« Quamquam autem Romanæ et aliarum ecclesiarum Cardinales fuerint nomine et origine pares, Romani tamen Cardinales omnium nobilissimi semper habiti sunt.

ideo quod præcipua pars essent presbyterii Pontificis, seu cleri Romani ad quem electiones SS. Pontificum præcipue pertinebant, eosdemque Pontifices in maximis Ecclesiæ negotiis opera et consilio juvabant; quinimo Romanæ et universalis Ecclesiæ bona atque jura, vacante Sede, tuebantur. Igitur gradatim contigit, ut quæ initio fuerunt Cardinalium Romanorum cum reliquo clero communia, deinceps Cardinalibus solis tributa sint (anno 1567 a S. Pio V); ex quo factum est ut Cardinales Romani ad tantam amplitudinem evecti fuerint; » ipsique soli nomen Cardinalium retinuerint.

Præter hanc etymologiam nomen *Cardinalis* habet mysticam significationem, quæ derivatur a voce *Cardine;* et merito quidem; nam sicut ostium domus volvitur super cardinem, ita super Cardinales Sedes apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit et sustentatur, ut aiebat Eugenius IV, const. *Non mediocri.*

§ 2. *De diverso ordine et numero Cardinalium.*

195. In collegio Cardinalium triplex hodie distinguitur *ordo,* seu tres diversi inter eos sunt gradus, nempe Episcoporum, presbyterorum et diaconorum.

Cardinales Episcopos mox nominavimus, eorumque titulos assignavimus.

Cardinales presbyteri titulum habent ab ecclesiis in Urbe sitis, quæ olim vice erant parochiarum, ad quas fideles conveniebant divinas liturgias audituri et SS. Eucharistiam sumpturi. Hodie iidem tituli presbyterales non raro dantur Episcopis, qui inter Cardinales presbyteros assumuntur.

Cardinalium diaconorum ecclesiæ titulares fuerunt olim diaconiæ. Ante Sixtum IV Cardinalis diaconus titulum presbyteralem obtinere nequibat, nisi cum presbyter

ordinaretur; sed Pontifex ille an. 1480 cœpit indiscriminatim presbyterorum titulos diaconis committere, et titulos diaconorum presbyteris; posteaque res eo pervenit, ut etiam simplicibus clericis diaconorum tituli commendarentur.

196. Incertus olim et varius erat Cardinalium *numerus*. Hodie sex recensentur Cardinales Episcopi, quinquaginta Cardinales presbyteri, et Cardinales diaconi quatuordecim. Quem tamen numerum, a Sixto V an. 1586 definitum, exemplo 70 seniorum quos in consiliarios assumpsit Moyses, S. Pontifex ad libitum potest augere aut minuere.

§ 3. *De dignitate, præcedentia et prærogativis Cardinalium.*

197. *Dignitas* cardinalitia initio inferior erat episcopali; sed hodie juxta bullam Eugenii IV *Supernæ* omnem aliam ecclesiasticam dignitatem, una dempta pontificia, transcendit. Cardinales itaque antecedunt Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, propter jurisdictionem quam exercent, et personam cui addicuntur. Sunt enim Papæ coadjutores et collaterales, ejusque consiliarii.

198. Lex *præcedentiæ* inter Cardinales vult, ut Cardinales Episcopi præcedant Cardinales presbyteros, et hi vicissim Cardinales diaconos. Inter Episcopos præcedit is qui antiquior est in ordine episcopali. Inter Cardinales vero presbyteros et diaconos præcedunt illi, qui primi promoti fuerunt ad purpuram, et si plures simul creati sunt, habebit is primas qui prior nominatus fuerit. Cum autem frequenter contingat eum, qui renuntiatus primum fuerat Cardinalis diaconus, postea presbyter renuntietur, hoc casu transit statim ad locum promotionis suæ, præceditque omnes presbyteros, qui post eum Car-

dinales creati sunt. Plettenberg, *Notit. Congr. et Trib. Cur. Rom.* cap. 1. p. 5.

199. Tantum dignitatis fastigium quamplurimæ, ut decet, illustrant prærogativæ, ad quas præsertim referri debent eorum privilegia, insignia et titulus.

a/ Privilegia : 1° Cardinales, etsi ordine episcopali instructi non sint, possunt conferre tonsuram et ordines minores in propriis titulis, suis subditis ac familiaribus; 2° soli Cardinales extra Curiam in legationem missi *Legati a latere* nuncupantur; 3° lites et causæ inter Cardinales exortæ a S. Pontifice diluuntur, omni posthabita appellatione; 4° Cardinalem hostiliter insequentes, aut in persona graviter offendentes, præter gravissimas pœnas quas incurrunt (const. *Ap. Sedis* I. n. V.), criminis læsæ majestatis rei efficiuntur, sicut et eorum participes; quas pœnas extendit Leo X ad invasores palatii, aut domus Cardinalium; 5° Cardinales suspensione vel interdicto non ligantur, nisi exprimantur; 6° fruuntur privilegiis Episcopis generatim concessis; 7° demortui cum specialibus ritibus et solemnitatibus, per Benedictum XIV bulla *Præcipuum* statutis, sepeliendi sunt.

b/ Insignia. Ut dignitatis amplitudini respondeat ornamentorum majestas, et reverentiam apud populum sibi concilient, Cardinales purpura, quæ apud Romanos olim Regum et Patritiorum propria erat, donantur, necnon galero rubro, birreto coccineo, et capucio, seu pileolo (calotte) ejusdem coloris. De quibus ornamentis hæc apposite scribit S. Antoninus : « Merito purpura his quasi Regibus data, cujus color in galero eximiæ caritatis est symbolum; cujus igne ita ardere debent, ut semper pro defensione et bono Ecclesiæ sanguinem fundere sint parati. » Cardinales tamen ex regularibus assumpti, si excipias Patres Societatis Jesu, veste purpurea non utuntur; sed vestes retinent suæ religionis.

Præterea decrevit Innocentius X, bulla *Militantis* an. 1644, ut in Cardinalium sigillis imprimerentur familiaria insignia, armisque gentilitiis pileum cardinalitium superimponeretur cum suis lemniscis, quorum tamen numerus ultra quindecim utrinque extendi non debet.

c/ Titulus. Urbanus VIII decreto consistoriali 10 Junii 1630 voluit, ut ipsis titulus *Eminentissimi* et *Eminentiæ* tribueretur; quem titulum amplius nemo usurpare potest, præter sacri R. Imperii ecclesiasticos electores et Magistrum generalem Ordinis Melitensis.

§ 4. *De creatione et promotione Cardinalium.*

200. Cardinales a solo R. Pontifice *creantur;* aliquibus vero christianis Principibus privilegium concessum est unum vel plures nominandi, seu præsentandi.

Porro duplici modo potest R. Pontifex ad creationem Cardinalium procedere : vel *de plenitudine potestatis,* id est, omissis regulis et conditionibus mere canonicis; vel *de jure ordinario,* regulis sc. et conditionibus istis servatis.

Inter regulas illas aliæ concernunt mores et dotes animi, et hæ vix omitti possunt; aliæ conditiones canonicæ sunt, et ad statum exteriorem spectant, ideoque facilius possunt præteriri. Ea omnia recenset Sixtus V, const. *Postquam;* nimirum :

a/ Mores et dotes animi : « Statuimus, ait § 14, ut lectissimi et præcellentes viri in ipsum collegium adscribantur, et quorum vitæ probitas, morum candor, præstans doctrina et eruditio, eximia pietas et erga salutem animarum ardens studium, et zelus in dandis consiliis, sincera fides et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia et auctoritas, et aliæ qualitates a jure requisitæ tam ipsi Pontifici, quam universo collegio

cognitæ et probatæ sint. « Cf. etiam Trid. *Sess.* XXIV. cap. 1 *de Ref.*

b/ Conditiones canonicas § 12 ad 17 : 1° Cardinalis eligendus debet esse clericus, qui in minoribus constitutus, ab anno saltem tonsuram et habitum clericalem gestaverit; 2° pro Cardinalibus presbyteris et Episcopis requiritur ætas triginta annorum; pro diaconis sufficit ætas viginti duorum annorum; 3° eligendi debent aliunde esse habiles.

Inhabiles vero sunt illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium legitimati; habentes filios, vel ex eis nepotes; consanguinei in 1° vel 2° gradu alicujus Cardinalis viventis; bigami; corpore vitiati, aut quomodocumque a sacris ordinibus suscipiendis per canones repulsi.

201. Modus autem *promovendi* varius fuit pro temporum varietate. Solent hodie RR. Pontifices proponere in consistorio secreto quos in collegium cooptare intendunt, interrogando Cardinales quid ipsis videatur, hisque approbantibus decretum promotionis edicunt. Insuper aliquando unum aut plures creant Cardinales, quorum nomina in consistorio reticent, quique propterea dicuntur *reservati in pectore;* hi proclamantur ac declarantur in alio subsequenti consistorio.

Postea publicum pro certa die indicitur consistorium, in quo promoti in consistorio secreto, expletis quibusdam cæremoniis solemnibus, recipiunt a R. Pontifice rubrum galerum. In altero consistorio Papa *claudit os* novo Cardinali, vetans ne quid loqui in consistorio aliisque consessibus præsumat. In tertio tandem consistorio publico, omnibus Cardinalibus congregatis, S. Pontifex præcipit ut noviter promoti exeant, donec sciscitetur ipse ab antiquis Cardinalibus, an expediat eis *os aperire.* Omnibus plaudentibus revocantur promoti, a Pontifice admonentur, eisque os aperitur, seu datur loquendi facultas,

Papa dicente : *Aperimus vobis os tam in collationibus, quam in Conciliis, atque in electione S. Pontificis, et in omnibus actibus, tam in consistorio quam extra, qui ad Cardinales spectant et quos soliti sunt exercere.* Postea in digito annulari ei annulum Pontifex immittit, assignatque titulum.

Quod si promovendus absit, ad eum mittitur biretum rubrum, in cujus receptione jurare debet, se infra annum ad Limina apostolica accessurum.

§ 5. *De jurisdictione et officio Cardinalium.*

Alia est Cardinalium jurisdictio in ecclesiis sui tituli, alia respectu Ecclesiæ universalis.

202. In suis respective titulis habebant olim Cardinales presbyteri et diaconi jurisdictionem quasi episcopalem; sed Innocentius XII, const. *Romanus Pontifex,* eam ipsis ademit, et limitavit eorum facultatem ad ea *quæ servitium ecclesiæ seu loci pii..... concernunt.* Unde ipsis relicta tantum est domestica quædam jurisdictio in clericos ecclesiæ inservientes; nulla vero in populum et parochianos.

203. Relate ad Ecclesiam universam aliud est officium *Sede plena,* aliud *Sede vacante.*

Sede plena, Sacras Congregationes dirigunt, senatum constituunt S. Pontificis, eique in administratione totius Ecclesiæ præsto sunt consilio et opera (Trid. *Sess.* xxv. cap. 1 *de ref.*). Attamen nullis in negotiis utcumque arduis astringitur Papa ad Cardinalium consilium exquirendum vel amplectendum. In Concilio œcumenico suffragium habent decisivum; in eo Episcopis præcedunt et ante eos subscribunt.

Sede vacante, quamvis jurisdictio papalis ad Cardinales non transeat (C. 2. Clem. *de elect. in 6*), tueri tamen

debent Ecclesiam adversus imminentia pericula, et temporale R. Pontificis dominium sartum tectum servare (Const. Greg. X *Ubi periculum*).

Ast præstantissimum Cardinalium munus est novi Pontificis electio. Hoc autem jure hodie, ut vidimus supra n. 138, soli fruuntur Cardinales. Et merito quidem; tum quia sunt inter clerum dignissimi, tum quia ecclesiastica negotia optime norunt, et ceteris melius judicare possunt, quisnam sit ad dignitatem pontificiam eligendus.

§ 6. *De sacro Cardinalium collegio.*

204. Cardinales constituunt supremum illum senatum, maximum terræ, qui dicitur *sacrum Collegium, Collegium apostolicum*, quique *gremium Romanæ Ecclesiæ* in jure vocatur.

Hujus sacri corporis Caput principale est Papa, speciale vero *Decanus*, qui olim *Prior* dicebatur. Decanatum jure consequitur antiquior inter sex Cardinales Episcopos suburbicarios, in Curia tempore vacationis præsens, aut ratione causæ publicæ Ecclesiæ ex Pontificis ablegatione absens.

Unus e Cardinalibus semper est *Camerarius* per annum, estque distinctus a Camerario Pontificis. Habet præterea sacrum Collegium *clericum italum*, ceu secretarium, *clericum nationalem*, ceu secretarii substitutum, et *computistam*.

§ 7. *De amissione dignitatis cardinalitiæ.*

205. Cessat munus cardinalitium : 1° morte naturali; 2° renuntiatione facta in manibus S. Pontificis, ab eoque probata; 3° depositione, ad quam tantum proceditur ob enormia delicta, de quibus judicat solus R. Pontifex. Car-

dinales deponere potest tam in Concilio, ut fecit Leo IV contra Cardinalem tituli Beati Marcelli (cap. *Ex gestis* 2 de cler. non resid.); quam per se absque Concilio, ut fecit Bonifacius VIII contra Cardinales Jacobum et Petrum De Columna (cap. unic. *de schism. in 6*), et ut novissime fecit Pius VI contra Cardinalem Stephanum Carolum De Lomenie de Brienne an. 1791 (bulla *Vobis qui* 1791).

Articulus II.

DE SS. RR. CONGREGATIONIBUS.

Solebant olim RR. Pontifices causas ad se devolutas pro rerum gravitate definire, sive in Concilio Romano, quo plures Episcopi conveniebant, sive in cœtu Cardinalium, sive cum clericis capellæ pontificiæ, seu sacri palatii auditoribus. Cum vero postea Concilia et Cardinalium consessus ob temporum angustias difficile celebrarentur, essentque pertractandis gravibus Ecclesiæ negotiis undique confluentibus auxilia imparia, sapientissimo consilio RR. Pontifices instituerunt Congregationes et tribunalia ad causas cognoscendas et auctoritate Sedis apostolicæ definiendas.

De utrisque qua majori fieri poterit brevitate pertracturi, quædam hoc articulo dicemus primo de SS. Congregationum notione, compositione, divisione et muneribus in genere et de aliquibus in specie; dein de jurisdictione SS. Congregationum et de auctoritate earumdem decretorum; articulo vero sequenti nonnulla proponemus de quibusdam RR. tribunalibus ecclesiasticis.

Præcipuum huc spectans documentum est Bulla Sixti V *Immensa æterni Dei bonitas,* quæ prodiit 22 Jan. 1587.

§ 1. *De RR. Congregationibus in genere.*

A. De notione et compositione SS. Congregationum.

206. SS. Congregationes generatim sunt cœtus S. R. E. Cardinalium, quibus R. Pontifex certa tradit negotia dirigenda, discutienda, quin et absolvenda atque judicio definienda.

Unaquæque Congregatio habet *præfectum,* qui est aut ipse Papa, aut quidam Cardinalis; *secretarium,* qui est aliquando Cardinalis, aliquando Episcopus aut Prælatus inferior; *judices* plures Cardinales; *consultores* viros pios et doctos, qui ex clero tam sæculari quam regulari ad hoc munus eliguntur.

B. De divisione SS. Congregationum.

207. Cum triplicem Papa repræsentet personam, triplicis generis negotia habet pertractanda. Propterea triplex etiam est genus Congregationum, quibus causas ad utrumque principatum atque episcopatum respective pertinentes cognoscit et decidit.

1° Negotia, quæ proprie pertinent ad principatum temporalem, præter alia tribunalia, a S. Congregatione *Consultæ* peraguntur.

2° Ea quæ spectant ad Episcopatum Romanum pertractantur per Cardinalem Vicarium, ac præcipue per S. Congregationem *Visitationis apostolicæ.*

3° Tandem pro regimine Ecclesiæ universalis, ultra *Consistorium,* quod antiquitus unica erat Congregatio Romana, jam variæ fuerunt erectæ, quales sunt : *Sacra Romana et Universalis Inquisitio; Congregatio Consistorialis; Episcoporum et regularium; Concilii Tridentini,* cum duabus particularibus Congregationibus eidem ad-

jectis, *super residentia Episcoporum, super statu regularium; Immunitatis Ecclesiasticæ; de Propaganda fide; Indicis; SS. Rituum; Cæremonialis; super disciplina regulari; Indulgentiarum et SS. Reliquiarum; Examinis Episcoporum; de Propag. Fide pro negotiis ritus Orientalis; Lauretana; Studiorum; Negotiorum ecclesiasticorum.*

Omnes Congregationes, sub 3° indicatæ, ratione materiæ quam pertractant, ad tres classes reduci possunt; aliis enim causæ fidei, aliis causæ disciplinares, aliis res liturgicæ committuntur.

C. De vario causarum genere.

208. Causæ in SS. Congregationibus proponi solitæ, sunt aut *contentiosæ,* de quibus datur inter partes contestatio; aut *œconomicæ,* quæ spectant ad ecclesiarum administrationem, ad approbationes, indulta, gratias, dispensationes, etc.; aut *consultivæ,* quæ concernunt dubium super jure, interpretationem alicujus decisionis, introductionem novæ praxeos, et ita porro; aut denique *criminales.* Cl. Haine, *Syn. Card. Cong., intr.* § 5.

§ 2. *De quibusdam SS. Congregationibus speciatim.*

A. De Consistorio et S. Congregatione consistoriali.

209. *Consistorium* est consessus totius Collegii Cardinalium, qui per modum Senatus majoris celebratur in palatio apostolico, præside ut plurimum ipso Pontifice, vel eo absente, Cardinali Decano.

Triplex est Consistorii species : aliud ordinarium, seu *secretum,* aliud extraordinarium, seu *publicum,* et aliud *semipublicum.*

Primum celebratur forma minus solemni, cum interventu tantum Cardinalium. Antiquiori tempore bis, po-

stea semel in hebdomada, demum bis aut semel tantum in mense habebatur; hodie vero rarius celebrari solet, prout negotiorum conditio exigit.

Extraordinarium vero magis solemne est; ad hoc enim præter Cardinales alii Prælati et ministri conveniunt, ac etiam oratores Principum, aliique Magnates, qui Solio Papæ assistunt.

Datur et species quædam mixta, quæ *semipublici consistorii* vocabulo explicari solet; quia nempe partim peragitur cum solis Cardinalibus secrete, partim publice cum aliorum interventu.

In Consistorio secreto tractantur creationes Cardinalium vel cum publicatione, vel cum reservatione in pectore; promotiones ad cathedrales, metropolitanas, et alias superiores ecclesias; coadjutoriæ, translationes, renuntiationes Episcoporum; diœcesium erectiones, uniones, dismembrationes; pallii concessiones; approbatio ordinum religiosorum; verbo omnia Sedis apostolicæ et Ecclesiæ universæ negotia graviora.

In Consistorio vero publico Pontifex galerum imponit Cardinalibus noviter creatis; solemniter promulgat tractata in consistorio secreto; de canonizandis Sanctis vota exquirit; celebrat reditum Legatorum *a latere*, vel adventum Legati magni Principis; quæ omnia nonnisi cum ingenti pompa et apparatu peragi solent.

210. Ut autem res in Consistorio peragendæ maturius perpendantur, ab eoque disputationes exulent, quæ majestatem ejus dedecerent, instituta est a Sixto V an. 1586 *Congregatio consistorialis*, quasi negotiorum consistorialium *præparatrix*, seu Consistorii *consultrix*.

Ipse R. Pontifex cœtus hujus *præfectus* est. Componitur autem ex nonnullis Cardinalibus, quibus ex Prælatorum numero *secretarius* et *substitutus* adjunguntur.

B. De Congregationibus pro causis fidei institutis.

In fidei defensionem et propagationem institutæ sunt Congregationes *Sancti officii seu Inquisitionis, Indicis* et *de Propaganda fide.*

211. *Sanctum officium,* seu tribunal *Inquisitionis* erectum a Paulo III, et denuo instructum ac ampliatum a Sixto V, agit de variis iisque gravissimis rebus, imprimis autem de causis fidei ac de personis violatæ religionis reis.

Hujus Congregationis *præfectus* est ipse S. Pontifex. Constituitur ex pluribus Cardinalibus, a S. Pontifice delectis, scientiæ, prudentiæ ac probitatis laude conspicuis, qui *Inquisitores generales* appellantur. Decanus autem S. Collegii est *secretarius.*

His adjungitur unus ex romanæ Curiæ Præsulibus quem *assessorem* vocant; unus etiam ex ordine Prædicatorum S. Theologiæ magister, quem *commissarium S. officii* appellant, quique duos sibi socios habet; certus insuper *consultorum* numerus, qui ex utroque clero sæculari et regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a Congregatione jussi de libris censuram instaurant, iisque *qualificatorum* nomen tributum est. Adsunt præterea *advocatus fiscalis, advocatus reorum, summista, notarius* et *judex relator.*

Quod vero comitia hujus Congregationis attinet, ea tripliciter distinguuntur : alia *consultorum* seu *Feriæ II;* alia *Cardinalium* seu *Feriæ IV;* alia demum *coram Sanctissimo* seu *Feriæ V* nuncupata. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. I. cap. II, 7.

212. S. Congregatio *Indicis* a Sixto V instituta est in subsidium Inquisitionis. Ejus « proprium ac fere unicum officium est in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione vel permissione capienda est deliberatio. » Ben. XIV, const. *Sollicita.*

Ideo autem *Indicis* nomen habet, quod libros catholicis noxios in Indicem, seu catalogum librorum prohibitorum referat, ut ab eorum lectione ac retentione sese fideles abstineant.

Plures complectitur Cardinales, quorum unus *præfectus* existit. *Assistens* vero perpetuus est Magister S. palatii, *secretarius* autem ex ordine Prædicatorum eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque clero sæculari et regulari *consultores* et *relatores* selecti, alii quidem theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra et profana eruditione præstantes, ut de omni libro prudens ac rectum possit ferri judicium.

De regulis Indicis et modo procedendi in libris proscribendis, dicetur in Parte III, ubi de *Prohibitione librorum*.

213. S. Congregationis *de Propaganda fide,* a Gregorio XV an. 1622 institutæ, scopus præcipuus est oves miserabiliter errantes ad Christi ovile adducere, fideles autem in catholica Religione magis magisque confirmare.

Hinc *a/* curat ut in regiones infidelium et hæreticorum idonei missionarii, necnon Episcopi et Vicarii apostolici amplissimis facultatibus prædíti transmittantur; *b/* decidit omnes causas inter missionarios aliasque personas sibi subditas emergentes; qua quidem in re, prudentiam potius quam stricti juris tramitem sequitur; *c/* summa cura invigilat ut iisdem missionariis congrui redditus opportune suppeditentur.

Quæ ut efficacius ad felicem perduceret finem, Urbanus VIII, imitatus Gregorium XIII, qui summo cum fructu collegium pro Græcis, Anglis, Germanis aliisque septentrionalibus populis, hæretica pravitate contaminatis, laudabiliter erexerat, Collegium instituit *Propagandæ,* in quo aluntur et sacris disciplinis informantur juvenes regionum infidelium, aliique qui postea missionibus se devovere intendunt.

Pius IX autem, feliciter regnans, litteris *Romani Pontifices* diei 6 Jan. 1862, abolita Congregatione super correctione librorum Orientalium, ex ipsa Congregatione fidei propagandæ specialem ac stabilem Congregationem formavit et erexit sub titulo : *de Propaganda fide pro negotiis ritus Orientalis.*

Negotia itaque, quæ ad Congregationem de Propaganda fide pertinebant, in duas plane distinctas classes divisit : nempe in negotia Latini ritus, et negotia ritus Orientalis. Nova hæc Congregatio omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta, quæ sc. sive rei, sive personarum ratione Latinos attingunt, tractare debet, non omissa etiam ejusdem ritus librorum emendatione.

C. De Congregationibus in favorem disciplinæ erectis.

Præcipuæ Congregationes, quibus utitur S. Pontifex in regimine Ecclesiæ, seu in exercitio potestatis legiferæ et administrativæ, sunt *Congregatio Episcoporum et regularium, Jurisdictionis ac Immunitatis ecclesiasticæ, super negotiis ecclesiasticis,* et *Concilii Tridentini.*

214. S. Congregationis *Episcoporum et regularium* proprium officium est negotia, tum Episcopos, tum regulares concernentia, dirimere.

Quemadmodum autem nomen Episcoporum hic latissime accipitur pro omnibus Prælatis, Ordinariis, vicariis et officialibus quibuscunque, ita regularium nomen in æquali extensione usurpatur, et comprehendit moniales æque ac regulares cujusvis ordinis sint et observantiæ.

Ad ipsam itaque generatim spectant : *a/* causæ ac negotia, quæ Episcopos et rectam diœcesium administrationem respiciunt, v. g. recursus contra Episcopos aliosve superiores ab ipsorum subditis aut regularibus instituti; cognitio de minoribus Episcoporum causis criminalibus;

modus providendi diœcesibus, quibus recte administrandis impares facti sunt Episcopi, sive ob adversam valetudinem, sive aliis de causis.

b/ Causæ et negotia quæ religiosas quascunque familias respiciunt, v. g. fundationes et suppressiones monasteriorum et conventuum; transitus ab uno monasterio ad aliud; contentiones non solum publicæ, quæ oriuntur ex regimine religionis in universum, sed etiam privatæ inter ipsos regulares super electionibus, officiis et prælaturis, aut super præcedentiis aliisve præeminentiis; etc.

c/ Quæcunque causæ ecclesiasticæ; exceptis iis quæ directe concernunt materiam fidei, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini, aut quæ privative aliis Congregationibus competere dicuntur.

Huic nobilissimo cœtui *præfectus* est unus e Cardinalibus, et excepto *secretario,* solis Cardinalibus componitur.

Præter Congregationem præfatam sunt et aliæ quæ ad Episcopos et regulares spectant: tales sunt Congregationes *Examinis Episcoporum; super residentia Episcoporum; super disciplina regulari; super statu regularium;* sed specialis de iis tractatio longius a scopo nos abduceret.

215. S. Congregatio *Jurisdictionis et Immunitatis ecclesiasticæ,* ab Urbano VIII erecta, invigilare debet ne immunitas ecclesiastica violetur, aut jurisdictio ecclesiastica usurpetur a magistratibus vel communitatibus sæcularibus.

Constituunt hanc Congregationem Cardinales et Prælati, qui ex aliis Urbis tribunalibus seliguntur.

Ceterum causæ ejus fere omnes hodiedum sunt e Statu pontificio; pro aliis enim regionibus per Concordata præcaventur controversiæ, quæ circa immunitatem et jurisdictionem oriri possent.

216. S. Congregationem *super negotiis ecclesiasticis,*

quæ etiam *negotiorum extraordinariorum* nuncupatur, instituit Pius VII e Galliis ab exilio reversus anno 1814. Ejus munus et officium est pro universo terrarum orbe de negotiis gravissimi momenti consilium capessendi. Præcipue vero ei committi solet executio concordatorum jam existentium, et formatio novorum.

217. De S. Congregatione *Concilii Tridentini,* utpote maximi momenti, paulo fusius agendum est. Notentur itaque

218. Ejus *erectio et officium*. Postquam Pius IV, in bulla confirmatoria Concilii Tridentini, *Benedictus Deus,* sub pœnis gravissimis vetuisset, ne quis sine Pontificis auctoritate « ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super Concilii decretis quocunque modo ederet, » primitus instituit Congregationem octo Cardinalium, qui dicto Concilio interfuerant, ejusque sensum probe noverant, ut decreta Synodi per officiales servanda curarent, et si quod dubium, aut difficultas aliqua in executione occurreret, ad Pontificem referrent.

Indulsit autem Pius V ut possit hæc Congregatio decidere casus, quos claros putaret, dubiis ad se remissis, ac non multo post facultatem eidem concessit decidendi causas et controversias interpretationem Concilii concernentes.

Dein Sixtus V, in bulla *Immensa,* reservata sibi et successoribus suis interpretatione decretorum quæ fidei dogmata concernunt, impertitus est eidem Concilio Cardinalium facultatem, consulto tamen Pontifice, interpretandi dubia et difficultates occurrentes in his, quæ de morum reformatione, disciplina, et ecclesiasticis judiciis aliisque similibus statuta sunt. Cf. Zamboni, *Coll. decl., intr.* § 5 et 6.

Tribuit insuper Sixtus V huic Congregationi faculta-

tem Synodos provinciales et diœcesanas in usum inducendi; decreta Synodorum provincialium recognoscendi; audiendi postulata Episcoporum qui Limina apostolica visitant, ab iisque exposcendi statum ecclesiarum, cleri et populi illis subjecti, et discedentibus dandi ex formula præscripta litteras testantes obitam per eos visitationem Liminum Apostolorum.

Tandem eidem concessit auctoritatem, non solum in Urbe et Statu ecclesiastico, sed etiam in universo christiano orbe, ordinandi ea quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, et mores christiani populi componendos.

Iis omnibus adjecit Gregorius XIV facultatem scribendi nomine Papæ litteras in forma Brevis. Cf. Schmalzgrueber, *Diss. proœm.* § 9.

Habet itaque generatim celeberrima Congregatio Concilii potestatem *a*/ interpretandi Synodum Tridentinam, *b*/ decidendi controversias, exceptis iis quæ ad fidem pertinent, *c*/ statuendi circa disciplinam.

219. Ejus *compositio*. Pro causarum negotiorumque multitudine plures huic cœtui spectatissimo adscribuntur Cardinales, qui *Patres sacri Concilii Tridentini interpretes* nuncupantur, et eorum unus *præfecti* Congregationis titulo salutatur. His adduntur *secretarius* ac *subsecretarius* ex Præsulibus R. Curiæ desumpti, viri prudentiæ fama conspicui, divinique ac humani juris cognitione præstantissimi.

220. Ejus *praxis*. *a*/ Quod vero rationem procedendi in hac Congregatione attinet, ea diversa est, pro varietate negotiorum, quæ veniunt pertractanda. Si enim agitur de negotiis ordinariis, ea, prævia si opus sit audientia Sanctissimi, a secretario una cum Cardinali præfecto expediuntur, idque per epistolas vel decreta ab utroque subscripta et consueto sigillo obfirmata.

Si vero alia negotiorum genera sint, quæ ampliorem indaginem flagitant, hæc aut *per summaria precum,* aut *in folio,* a secretario proponenda sunt in plena Cardinalium Congregatione, quæ regulariter singulo mense, et quidem die sabbato, in palatio apostolico adunatur, Vaticano aut Quirinali, prout Pontifex in hoc vel illo commoratur.

Porro *per summaria precum* proponuntur regulariter causæ omnes gratiosæ, item dubia minora, quæ sc. facile resolvi possunt absque longa discussione, satisque enucleari queunt breviori expositione.

In folio autem *ordinarie* proponuntur causæ omnes contentiosæ, item dubia majora, quæ sc. non adeo plana sunt, ut definiri valeant absque longiori rerum factorumque discussione.

In folio proponi dicuntur, quia causæ expositio et discussio typis mandatur, ac Cardinalibus Congregationis distribuitur aliquanto tempore ante sessionem.

Rursus causæ contentiosæ aut *juris ordine servato,* aut *ex officio* pertractantur.

Quocumque vero modo causæ proponantur, semper necessariæ præmittuntur informationes, quæ tum ab Ordinariis, tum ab interesse habentibus, tum etiam ab aliis qualificatis personis quandoque requiruntur; ipsum enim jus naturale vetat, ne causa terminetur, antequam rite fuerit cognita et probata. Cl. Haine, *op. cit.* tit. V.

221. *b*/ Apud S. Congregationem Concilii omnes causæ solvuntur propositis dubiis per secretarium. In suis autem responsis utitur formulis non semper ita perspicuis, ideoque breviter explicandis.

Quando S. Congregatio declarare intendit solum dubium propositum, ita ut ceteris casibus non omnino similibus declarationem suam applicare nolit, rescribere solet *negative* vel *affirmative in casu, de quo agitur;* aut *ex*

deductis non constare, vel *attentis* etc. *non indigere* etc., vel *negative prout jacet.*

Nonnunquam rescribit *affirmative* vel *negative et ad mentem, juxta mentem,* aut alia similia, quibus significatur aliquid annexum esse responso. Indicant ordinarie illæ formæ monitum, adhortationem, aut elucidationem, quæ quandoque in Collectione authentica decretorum referuntur, et quandoque omittuntur, prout expedit ut publica sit responsio, vel ut potius secreto consulenti communicetur.

Quando rescribitur *affirmative* aut *negative et amplius,* vel *in decisis et amplius,* causa proponi in posterum non potest, absque speciali obtenta licentia a S. Congregatione. Hac formula utitur quando res fuit satis superque discussa et plenis votis decisa.

Dum responso jam dato instat consulens, sequens dubium a secretario proponi solet: *An sit standum vel recedendum a decisis?*

Quid sibi velit responsum quod offertur per verbum *dilata,* satis terminus ipse indicat; id est, differtur responsum, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis.

Nihil idem est ac non admittitur petitio, utpote incongrua. *Relatum* vel *lectum,* id est, cum relatum vel lectum fuerit in S. C. postulatum, non fuit admissum.

Quoties de re graviori agitur, v. g. de commutatione voluntatis testatorum; dispensatione ab irregularitate, a beneficiorum incompatibilitate et pluralitate, in matrimonio rato non consummato, a voto continentiæ, aliisque hujusmodi, addi solet in dubio: *An sit consulendus Sanctissimus,* etc., et in responso: *Facto verbo cum Sanctissimo.*

222. *Forma decretorum.* Ut autem decreta S. Congregationis sint authentica et obligent, requiritur: 1° ut edita

sint consulto R. Pontifice; 2° ut revera a S. Congregatione emanaverint, nec in ulla parte fuerint alterata. Quod ut constet, videndum utrum in authentica forma, solito sigillo, et subscriptione Cardinalis præfecti et secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munita sint.

Pro authenticis autem habentur : *a*/ ipsum autographum a S. Congregatione emanatum, subscriptum ac sigillatum; *b*/ copiæ manuscriptæ, quæ conformes declaratæ et signatæ fuerunt a persona in dignitate ecclesiastica constituta, vel a protonotario apostolico; *c*/ exemplaria impressa cum approbatione Ordinarii, ac ab eo conformia originali declarata; *d*/ declarationes quæ habentur in *libris decretorum* (resolutiones manuscriptæ usque ad an. 1717), in *Thesauro resolutionum* (resolutiones ab an. 1718), in collectione causarum per *summaria precum*.

Sed quid dicendum de declarationibus, quæ aliis modis innotescunt?

Juxta S. Alphonsum, ut videbimus infra, declarationes, quæ jam in Ecclesia universaliter divulgatæ, et facto sic promulgatæ fuerunt, omnes fideles satis obstringunt.

Quinimo recte facit judex, ait Fagnanus, l. c. n. 59, qui declarationes S. Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum auctorem, ut veras habuerit et sequatur, etiamsi nec a parte allegentur, nec producantur.

223. Tanquam appendices et auxiliariæ S. Congregationi Concilii additæ fuerunt :

1° *Congregatio ad examinandas relationes super statu ecclesiarum*. Hæc, italice *Concilietto* nuncupata, examinat relationes quas Archiepiscopi, Episcopi et Ordinarii *nullius* exhibent de statu suarum ecclesiarum.

2° *Congregatio ad revisionem Synodorum provincialium*. Hæc, antequam typis Synodi mandentur, oppor-

tune corrigit quod a legibus SS. Canonum, aut a sanæ fidei præscriptis alienum, aut minus accurate expressum forsan in decretis irrepsit.

D. De Congregationibus pro re liturgica institutis.

Cultus publici uniformitatem, puritatem et decentiam curant Congregationes *Rituum, Indulgentiarum et Reliquiarum.*

224. Sapientissimo sane consilio Sixtus V instituit *SS. Rituum* Congregationem, cui præcipua cura committitur invigilandi, ut debitus in sacris functionibus ordo servetur, iique quorum cultum Ecclesia fidelibus proponere intendit, nonnisi prævio maturo examine, accuratisque adhibitis cautelis, ad supremum hunc honorem in terris promoveantur.

Est autem duplex : *ordinaria,* quæ tractat negotia pertinentia ad sacram Liturgiam, præcedentias, præeminentias, et dubia minora, quæ exurgunt circa causas beatificationis et canonizationis; et *extraordinaria,* in qua proponuntur dubia majora circa Servorum Dei beatificationem et canonizationem, nempe super virtutibus, martyrio, aut miraculis recognoscendis et approbandis.

Constat hoc tribunal Cardinali *præfecto,* pluribus aliis Cardinalibus, variis *consultoribus,* quorum præcipui sunt : *promotor, assessor* et *sub-promotor S. fidei, secretarius.* Accedunt *substitutus* secretarii, *cancellarii, hymnographus* et *magistri cæremoniarum apostolicarum.* Cf. Ben. XIV. *de beat. et can. SS.* L. I. cap. 16.

225. S. Congregatio *Indulgentiarum et Reliquiarum* a Clemente IX an. 1689 instituta est, ut expediat omnem difficultatem, aut dubietatem in Indulgentiis, aut SS. Reliquiis emergentem, modo tamen ad fidei dogma non pertineat.

Huic itaque Congregationi, 1° competit examen, recognitio et authentica approbatio SS. Reliquiarum; 2° ad eam pertinent causæ et petitiones pro concessione Indulgentiarum; 3° insuper prævenire debet vel reprimere omnes abusus, qui ad SS. Reliquias et Indulgentias quocumque modo spectant.

§ 3. *De jurisdictione SS. Congregationum.*

226. Jurisdictio RR. Congregationum *a*/ apostolica est, cum nomine Summi Pontificis exerceatur; *b*/ est ordinaria et in perpetuum concessa, uti habetur ex constitutione citata Sixti V, et satis aperte cautum reperitur in declarationibus facultatum earumdem Congregationum postea editis ab eodem Sixto.

Quamobrem 1° creato novo Pontifice non renovantur illarum facultates, sed fiunt Congregationes prout antea solebant, absque nova concessione. Quod rursus demonstrat eas facultates esse ordinarias, et mortuo Papa nec expirare, nec suspendi, siquidem jurisdictio semel extincta, etiam causa extinctionis cessante, non reviviscit.

Verumtamen jurisdictio Congregationum, Cardinalibus in Conclavi manentibus, conquiescit ac dormitat quoad illa negotia et causas, quæ expediuntur per subscriptionem Cardinalis præfecti, seu habentis sigillum. Ratio est quod præcipiatur Cardinalibus existentibus in Conclavi, ut accelerandæ electioni S. Pontificis sic vacent attentius, ut se nequaquam de alio negotio, exceptis duobus supra citatis casibus, intromittant.

Negotia vero, quæ communi forma a solo secretario expediri solent vivente Pontifice, possunt similiter expediri ipso vita functo; quia in his levibus et ordinariis, quæ a Cardinalibus non per seipsos, sed per ministros

expediri consueverunt, cessat omnino ratio prohibitionis. Fagn. L. I. *Decr.* tit. 33. cap. *Cum olim,* n. 63 ss.

2° Decisiones, sive sententiæ a SS. Congregationibus prolatæ nullam proprie dictam appellationem recipiunt, sed ad summum justis de causis ex partium supplicatione revisionem admittunt; quia, ut ait Benedictus XIV, *inst. 76 n. 8, voce SS. Congregationum suas Sedes Apostolica declarat sententias.*

§ 4. *De auctoritate decretorum SS. Congregationum.*

Agitari solet hæc quæstio potissimum quoad S. Congregationem Concilii, ob peculiares facultates, quibus a S. Sede donata est, et momentum declarationum quæ ab ipsa emanant. Potest tamen utiliter de ceteris etiam Congregationibus proponi.

Idcirco inquiremus primo utrum decreta S. Congregationis Concilii habeant vim legis universam Ecclesiam obligantis; dein videbimus an eadem legis ratio decretis aliarum quoque Congregationum inhæreat.

A. De auctoritate decretorum S. Congregationis Concilii.

227. S. Congregationi Concilii competit non tantum potestas interpretandi Tridentinum, sed etiam potestas statuendi de moribus et disciplina, necnon judicandi et decidendi controversias circa commissa sibi negotia.

Inde nomen *decreti* hic sumitur in sensu suo latiori et significat tam decretum stricte dictum, quam aliud quodlibet S. Congregationis rescriptum, puta responsa, decisiones, resolutiones, declarationes.

228. Porro decreta duplicis generis sunt : alia quæ jus novum condunt, alia quæ jus antea constitutum declarant seu interpretantur. Has autem declarationes auctores dividunt in *comprehensivas,* quæ sunt veri no-

minis *declarationes,* et *extensivas,* quæ jus constitutum ampliant vel restringunt.

Comprehensivæ igitur sunt, si declarant duntaxat legis sensum, et sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat; ita ut quod declaratur non sit jus novum, sed jus in lege jam contentum.

Extensivæ vero declarationes non sunt interpretationes extensivæ, sensu in *præn.* p. LII tradito intellectæ; sed sunt illæ legis restrictiones vel extensiones, quæ præfatam verborum significationem egrediuntur, et ultra id quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedunt, prohibent, vel imperant. Consequenter ultra mentem quam legislator habuit legem ferendo procedunt, et sic legibus addendo vel adimendo jus novum saltem quoad partem inducunt.

229. Cum autem apud omnes in confesso sit decreta obligationem non inducere, nisi debite promulgentur vel in se, vel in alio decreto,

a/ Auctores conveniunt decreta *generalia,* quæ aliquid novi, saltem sub aliquo respectu statuunt, ante promulgationem non obligare. Si vero cum assensu R. Pontificis edantur, et a Congregatione in forma consueta Romæ promulgentur, obligant eadem prorsus ratione ac ceteræ leges pontificiæ.

E contra decreta generalia, quæ tantum in memoriam revocant obligationem præexistentem, promulgatione non indigent, ut patet.

b/ Libenter omnes concedunt declarationes *extensivas,* id est sensum indicantes legis verbis non sufficienter contentum, vim et auctoritatem legis non habere, nisi dentur ex speciali mandato Papæ et legitime promulgentur. Ratio in promptu est; hoc ipso enim quod conciliarium decretorum verbis non contineantur, novæ legis ecclesiasticæ speciem habent.

c/ Indubitatum etiam est declarationem *comprehensivam* sensus *clare imbibiti* in lege statim obligare omnes, qui illam cognoscunt. Ratio est quod ejusmodi declaratio vix nomen declarationis mereatur, et potius aliquibus individuis, quam ipsi legi lumen afferat; supponit enim legem sat claram, de qua absque solido fundamento vel probabilitate quidam dubitant.

230. Limitatur itaque quæstio ad declarationes comprehensivas, quæ legem dubiam interpretantur, seu quæ declarant legis sensum circa quem variæ habebantur opiniones probabiles.

De his autem certum est eas vim habere obligatoriam in casibus particularibus, et respectu personarum quæ casus proposuerunt; pro his enim sunt instar judiciorum quæ a tribunali feruntur. Sed

Q. Utrum declarationes S. Congregationis Concilii, in casu proposito datæ, sed non expresse promulgatæ, habendæ sint ut regulæ generales et obligatoriæ in utroque foro, respectu omnium qui in casu simili versantes eas certo cognoscunt?

R. Multi tenent illas declarationes habendas esse duntaxat uti decisiones doctrinales, quæ magni quidem sunt ponderis, sed quæ tamen per se vim obligatoriam in casibus similibus non habent.

Hanc sententiam præ ceteris sequuntur Sanchez, Bonacina, Layman, Billuart et alii non levibus persuasi argumentis, inquit Schmalzgrueber, *Diss. proœm.* n. 370. Gury et S. Alphonsus eam reputant probabilem.

Alii communius et probabilius, ait Gury T. I. n. 150, contrarium tenent ac docent eas vim legis habere, ac obligare in utroque foro omnes qui eas certo cognoscunt; quia S. Congregatio Concilii potest legaliter interpretari, et interpretationes seu declarationes comprehensivæ non indigent promulgatione. Ita Fagnanus,

Benedictus XIV, Rodolphini, Garcia, Monacelli, Card. de Luca, Pignatelli, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Leurenius, Ferraris, Zamboni, Bouix, Gousset, Sacra Rota romana etc. Cf. Stremler, *Des Congr. Rom.* ch. VI, art. II § 2.

Probant. 1° Si inspiciantur ea quæ Pontifices, præsertim Sixtus V et Gregorius XIV, egerunt *(vide supra)*, negari non potest eos Congregationi tribuisse facultatem interpretandi non tantum doctrinaliter, sed legaliter, auctoritative.

Etenim *a/* eamdem potestatem interpretandi, quam Pius IV sibi reservaverat, Sixtus V Congregationi concessit; et hoc ipso declarationes et interpretationes ipsius voluit suas esse effectas, prout loquitur Bonifacius VIII. Jam vero interpretationes S. Pontificis sunt certo legales et authenticæ; consequenter et interpretationes seu declarationes S. Congregationis.

b/ Sixtus V eam concedens ait : *Nobis prius consultis.* Hæc autem verba essent supervacanea, si Congregationis interpretationes non haberent legis auctoritatem; doctores enim et magistri interpretantur leges et canones citra consultationem Principis.

c/ Declarationes dantur nomine S. Pontificis; porro sensus legis, nomine legislatoris et ex ipsius auctoritate determinatus, est tota vis legis et ipsamet lex. Ergo ejusdem auctoritatis sunt ac si a S. Sede immediate emitterentur, juxta reg. 72 juris *in 6 : Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.*

2° Declaratio comprehensiva non facit jus novum, sed jus jam conditum et promulgatum, jus præexistens mere declarat; id autem quod declaratur in lege continetur, ideoque nova non indiget promulgatione.

Doctrinam canonistarum confirmat praxis ipsius Congregationis Concilii et RR. Pontificum. Nemo melius no-

vit limites potestatis sibi collatæ quam ipsamet S. Congregatio. Jam vero ipsius doctrina et praxis est, suas declarationes habendi ac urgendi tanquam eodem robore pollentes ac decreta S. Pontificis. Et re quidem vera *a/* hæc Congregatio multoties inscribitur : *Tridentini Concilii SS. Domini Nostri auctoritate,* seu *apostolica auctoritate* interpres; *b/* teste Garcia rescripsit cuidam Abbatissæ Messanensi : *Eadem ratio habenda est in his, quæ scribuntur a Cardinalibus S. Congregationis Concilii Tridentini nomine ipsius Congregationis, ac si a Papa scripta essent; c/* tandem affirmat Plettenberg, op. cit. cap. 18 § 2, quod « soleat S. Congregatio (Concilii) non solum præcipere ut declarationes suæ observentur, sed etiam in contumaces pœnis et censuris ecclesiasticis animadvertere. »

Ipsi autem Pontifices non tantum vim declarationum sustinent, sed quandoque declarationes in aliis casibus datas citant pro similibus. Sæpe enim in rescriptis occurrunt hæc vel similia : *dentur, serventur decreta, juxta decreta alias edita.*

231. *Obj.* 1° Lex concipi debet verbis præceptivis; sed responsa S. Congregationis ordinarie concipiuntur verbis doctrinalibus : *censuit, censemus,* etc.; ergo, etc.

R. Ejusmodi verba in jure sæpe sensum juridicum, decisivum habent, suntque synonyma istorum : *constituimus, decernimus, præcipimus, prohibemus.* Ipse Senatus Romanus utebatur verbo *censere,* cum aliquid juberet vel vetaret, ut probat Schmalzgrueber, l. c. n. 377. Dein S. Congregatio sæpius utitur formulis prohibitivis aut imperativis : *decernit, mandat, declarat, decidit.*

232. *Obj.* 2° Lex nova, ut communitatem obliget, debet promulgari; atqui declarationes S. Congregationis sunt leges novæ, nam novam inducunt obligationem, jus novum constituunt. Et revera, ante declarationem, cum

lex sit dubia, saltem quoad partem, datur libertas amplectendi unam alteramve opinionem, ac legis pars dubia non inducit obligationem, juxta receptum axioma : *Lex dubia non obligat;* accedente vero declaratione, lex fit clara quoad omnes suas partes, ideoque incipit obligare etiam quoad partem antea dubiam; consequenter nova inducitur per declarationem obligatio. Sed declarationes illæ non promulgantur more legum, siquidem, ut supponitur, tantum dirigantur ad personas quarum interest. Ergo non obligant.

R. Negatur minor. Interpretatio enim, seu declaratio comprehensiva nihil novi imponit, nihil addit juri seu legi, sed tantum declarat sensum juris jam constituti; ideoque promulgatione non indiget.

Cum lex a legislatore communitati proponitur, dici potest *objective* promulgari; id est totum ejus contentum, seu omnes ejus partes objective promulgantur, et objective communitatem obligant, sive clare, sive obscure partes istæ in lege contineantur; ita ut legem inculpabiliter ignorantes contra legem agendo eam *materialiter* violent.

Cum autem lex promulgata divulgatur et a subditis cognoscitur, tunc dici potest etiam *subjective* promulgari et subjectivam inducere obligationem; ita ut subditi, qui legis notitiam habentes contra illam agunt, illam etiam *formaliter* violent ac culpam contrahant.

Ut igitur pars obscure in lege contenta etiam subjective obliget, sufficit ut certo cognoscatur, seu ut authentica ejus interpretatio certo sit nota. Non autem requiritur ut solemniter promulgetur; nam ejusmodi promulgatio jam locum habuit cum ipsa lex promulgata fuit.

Sensus igitur citati axiomatis est : lex dubia non obligat subjective; quia non est sufficienter subjective promulgata. Nam pars dubia legis, quæ postea authentice

declaratur, objective obligabat communitatem, quia objective promulgata erat cum ipsa lege.

Consequenter sufficit sola notitia declarationis a S. Congregatione emanatæ, ut quis teneatur legem in sensu explicato sequi, cum jam ex promulgatione legis ipsius constet legislatorem velle ut pro lege habeatur. Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* x, 6.

233. *Obj.* 3° Inter declarationes quæ prodierunt, plures sunt contradictoriæ; non possunt itaque habere vim obligandi. Lex enim debet esse possibilis; porro impossibile est contrarias declarationes observare.

R. Falsa est ac commentitia multiplex illa declarationum repugnantia. Plures forsitan specie contrariæ sunt, et conciliari possunt propter diversitatem casus et circumstantiarum; plures quoque sunt apocryphæ. Ceterum ubi S. Congregationis declarationes circa idem factum variari deprehendimus, attente considerandus est casus; nam decisio quandoque mutatur propter nova circa factum obtenta documenta. Quod si revera contrariæ sint et ad concordiam reduci nequeant. posteriores derogant prioribus. Cf. Fagnanus, L. I. *Decr.* tit. 3. cap. *Quoniam,* 56. qui solum 4 invenit Stæ contradictorias.

Dein quamvis verum sit contingere posse ut S. Congregatio non attingat sensum Concilii, exinde tamen non sequitur ejus declarationes non esse legales; sicut enim donum infallibilitatis non requiritur in legislatore, ut leges ejus obligationem valeant inducere, ita nec in authentico interprete, ut interpretatio ejus legalis sit et obligatoria.

234. Dimittimus hanc controversiam adjectis aliquibus annotationibus pro praxi.

a/ Licet aliqui doctores declarationibus S. Congregationis Concilii denegent vim legis proprie dictam, nisi speciali Papæ mandato solemniter promulgentur, nullus

tamen est qui non fateatur illas, utpote nomine S. Pontificis a viris ab ipso delegatis emanatas, esse *maximi ponderis, et deserendas non esse, nisi gravissima ratione et causa interveniente*, ut aiunt Salmanticenses, *de leg.* cap. 3. P. II. 28. Et Benedictus XIV, *Inst. eccl.* CVII, 6, « *impudentissimus esset,* inquit, *qui contenderet majoris ponderis habendum esse privatum hominem, qui suæ tantum mentis lumine ducitur, quam sententia præclarissimi cœtus, quem amplissimi Cardinales, ecclesiasticæ disciplinæ et SS. Canonum peritissimi constituunt.* »

Advertit autem S. Alphonsus, *Elench. retract. 2ª ser. q. II.* « quod hujusmodi declarationes, quæ jam in Ecclesia universaliter divulgatæ et *facto* sic promulgatæ fuerunt, usu plurium annorum vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hæ satis omnes fideles obstringunt. »

235. *b*/ Cum sæpius ambiguum sit utrum S. Congregatio legem extenderit, an vero solummodo interpretata sit; quinimo plura dentur decreta mixta, partim sc. comprehensiva et partim extensiva; cumque per se loquendo laudabile sit et valde commendabile, ut ea etiam decreta quæ defectu promulgationis stricte non obligant, accurate tamen serventur, siquidem Ecclesia mentem suam per ea manifestet, standum regulariter est judicio Congregationis.

Dicitur *per se loquendo* et *regulariter;* nam « si quid declarationibus S. Congregationis contrarium ab Episcopis prædecessoribus, vel a legitima consuetudine fuerit inductum, non debent Episcopi vi harum declarationum subditos compellere ad illarum observationem, cum nec contraria statuta Synodorum, nec legitimos locorum usus eædem resolutiones invertere ac labefactare censeantur. » Verba sunt Zamboni, *Coll. declar., intr.* § XV; similia tradit Benedictus XIV, *de Syn.* L. XII. cap. VII. 7.

Uterque autem supponit hæc statuta Episcoporum non adversari juri communi, cum Episcopi contra illud nihil possint.

Hinc ut conservetur, sicut oportet, uniformitas disciplinæ in singulis diœcesibus vigentis, tenendum ducimus doctrinam quam tradit Maschat in *Proleg. jur. can.* § IV. 12, contra quosdam, qui zelo indiscreto propter compendiola declarationum susque deque omnia vertere volunt, cum maxima difformitate in actionibus, obligationibus, divinis officiis, et cæremoniis, ac ritibus. « Si immutanda sunt quæpiam in diœcesibus recepta et usu firmata, exspectandum erit mandatum Ordinarii. »

236. *c/* Quinimo Declarationes S. Congregationis comprehensivæ vim, et auctoritatem legis habent, modo constet uniformiter et sæpius super eodem casu et juris dubii articulo eas redditas, aut secundum illas a Rotæ aliorumque tribunalium romanorum judicibus pronuntiatum esse. Ratio perspicua est, ait Schmalzgrueber l. c. n. 384, quia uniformitas responsorum ac sententiarum, super eodem articulo sæpius et uniformiter redditarum, inducit Stylum et praxim Curiæ; *Stylus autem et praxis Curiæ jus facit.*

B. De auctoritate decretorum aliarum Congregationum.

237. Eadem quoad ista redit mox tradita discussio. Auctores enim, iisdem fere rationibus innixi, de reliquarum Congregationum declarationibus tenent idem, quod de decisionibus S. Congregationis Concilii.

238. De auctoritate decretorum S. Congregationis Indicis specialiter agetur, ubi de *libris prohibitis;* sed hic aliqua occurrunt notanda circa decreta *S. Congregationis Rituum.*

« Hæc S. Congregatio, inquit Cavalierius, T. I. *dec.* 71,

n. 12, pollet facultate per Sedem ap. sibi facta interpretandi et declarandi concessiones pontificias, rubricas et quæcumque decreta ac dubia, quæ circa ecclesiasticos ritus, cæremonias ac divina officia insurgunt, et circa ea disponendi, prout circumstantiæ temporum et congruentiarum varietas exposcunt. »

Ast bene notandum quod prædicta potestas S. Rituum Congregationi tributa fuerit absque restrictione : *Nobis* (Papa sc.) *prius consultis;* hæc enim clausula observari tantum debet in concessione officiorum de sanctis patronis. Unde ut hujus Congregationis declarationes seu decreta pontificiam auctoritatem habeant, necesse non est ut edantur consulto prius Pontifice; etsi tamen tali casu semper consulatur.

S. Congregationis Rituum decreta alia sunt formaliter generalia, alia æquivalenter generalia, alia particularia.

Vocantur *formaliter generalia* decreta illa, quæ generalitatis formam expressis verbis continent; qualia sunt ea quibus præmittuntur hæc verba : *Decretum generale,* vel quæ inscribuntur *Urbis et Orbis,* vel in quibus edicitur ita esse in *quibusvis mundi ecclesiis* servandum.

Dicuntur *æquivalenter generalia,* quando dubium propositum generale est, v. g. si postuletur, quo sensu sit intelligenda hæc vel illa rubrica, et decisio pariter generalis emittitur. Hæc jus commune declarant atque statuunt, quamvis inscribantur nomine diœceseon aut monasteriorum, quæ preces S. Congregationi obtulerunt, edanturque ad postulationem particularium personarum, vel occasione particularium casuum.

Decreta *particularia* vocantur, quæ nullo ex prædictis modis jus commune declarant, sed jus particulare alicujus loci, personæ vel communitatis.

259. Controversia autem de vi universali declarationum S. Congregationis Rituum non versatur circa de-

creta *formaliter generalia*. Communiter enim admittitur ea pro veris legibus esse habenda, cum S. Pontificis auctoritate edantur et promulgentur.

Neque respicit decreta *particularia*, ut patet.

240. Hinc quæstio restringitur ad decreta *æquivalenter generalia* et *mere declarativa, comprehensiva* legum jam existentium, estque solvenda ut supra eadem quæstio de decretis S. Congregationis Concilii. Hoc tenet, ait Gury l. c. communissima sententia, cui S. Congregationis et tribunalium Urbis favet jurisprudentia.

Si quis tamen dubitaverit, an vis obligatoria decretis Congregationis Rituum per Bullam supradictam Sixti V tribuatur, legat sequens dictæ Congregationis responsum in *Una Ordinis Prædicatorum*, ad 7 n. 4905, a SS. Pio IX approbatum a die 17 Julii 1846.

Dubium erat : « An *decreta* a S. Congregatione emanata, et *responsiones quæcumque* ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editæ, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ? » — S. C. respondit *Affirmative* die 25 Maii 1846.

Hæc itaque decreta, sicuti oracula S. Pontificis, obligant in conscientia pro subjecta materia. Talia sunt quæ referuntur in collectione Gardelliniana, de qua vide *præn.* p. XLVIII; item quæ apud probatos auctores referuntur, sicut dictum est supra de declarationibus S. Congregationis Concilii. Cf. Bouvry. *Expos. Rubr.* etc. T. I. p. 36 ss.

Articulus III.

DE QUIBUSDAM TRIBUNALIBUS SEU AUDIENTIIS CURIÆ ROMANÆ.

241. Præter Cardinalium Congregationes sunt in Curia Romana perantiqua tribunalia, seu audientiæ, quibus mediantibus negotia, tum contentiosa, tum gratiosa, expediuntur.

Distinguuntur itaque in tribunalia *gratiæ,* quæ jurisdictionem gratiosam, et *justitiæ,* quæ contentiosam exercent. Prior constat pœnitentiaria, dataria, cancellaria, camera et triplici secretaria, quæ nunc vocantur una *memorialium,* altera *brevium,* tertia *status;* posterior vero constat S. Rota Romana et signatura vel gratiæ, vel justitiæ, seu prouti dicitur *utraque signatura.*

§ 1. *Tribunalia gratiæ.*

A. De S. Pœnitentiaria.

242. Hoc tribunal constitutum est ad elargiendas absolutiones a peccatis et censuris Papæ reservatis; varias dispensationes, v. g. in irregularitatibus, inhabilitatibus et votis; condonationes, aliasque gratias ad forum internum præcipue pertinentes. Frequentiora ejus negotia sunt ea, quæ respiciunt dispensationes in impedimentis matrimonii occultis, vel etiam publicis consanguinitatis et affinitatis pro pauperibus.

Præfectus hujus tribunalis est Cardinalis, qui dicitur *Pœnitentiarius Major;* officiales autem subalterni extra forum pœnitentiale sunt *regens, theologus, datarius, canonista, corrector, sigillator,* procuratores, seu secretarii tres, totidemque scriptores.

Facultates Majoris Pœnitentiarii et officialium summa cura enumeravit Ben. XIV, const. *Pastor bonus* et *In apostolicæ,* (*Bull.* vol. II. p. 209 et 234.)

Pœnitentiarius Major in foro pœnitentiali adjuvatur a pœnitentiariis minoribus, qui certis diebus tres patriarchales basilicas Urbis adeunt, ut confessiones excipiant, et tangunt virga cum concessione indulgentiarum, capita se pie virgæ submittentium.

Unusquisque potest a S. Pœnitentiaria absolutiones vel dispensationes petere; id tamen ordinarie facit officialis

Curiæ diœcesanæ, et quandoque confessarius, qui, lege sigilli cogente, non tantum potest, sed debet directe, omissa aula episcopali, ad S. Pœnitentiariam recurrere.

In supplici libello tacentur nomina personarum, vel ficta adhibentur; sed exprimuntur casus cum omnibus necessariis circumstantiis, gratia quæ postulatur et præcipue vera causa recursus; si enim falsa allegetur, dispensatio nulla erit. Adduntur persona et locus quo responsa sunt dirigenda.

Solent hodie responsa in forma commissoria mitti ad illum, qui in supplica indicatur. Attendat autem diligenter executor ad clausulas in rescripto contentas, et illud non exequatur, nisi audita prius oratoris sacramentali confessione, in qua post formam absolutionis ordinariam statim subjungit : « *Et insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento N.;* vel *votum N. dispensando commuto,* etc. *ut* etc. » Rescripto executioni mandato, executor litteras deleat, quod sub gravi pœna facere tenetur, dum laceratio præscribitur. Ceterum quam maxime consulendum est ut omnes facultates, pro foro interno in casibus particularibus obtentæ, post executionem statim lacerentur.

B. De Dataria.

243. Dataria, sic dicta a *data* seu epocha, quæ accurate apponitur omnibus gratiis a Papa concessis, instituta est ad expedienda complura gratiarum genera.

Benedictus XIV, const. *Gravissimum,* (*Bull.* vol. II. p. 301 ss.), determinavit quænam gratiæ et negotia per Secretariam Brevium et per Datariam *promiscue,* quænam vero per Datariam *privative* expediri debeant. Ibidem generaliter attribuit Datariæ concessiones et gratias omnes, in quarum expeditione, de stylo et consuetudine

immemorabili, solvenda est compositio in ipsa Dataria, aut taxa Cancellariæ, sive Jocalium.

Per Datariam impertiuntur collationes beneficiorum quæ consistorialia non sunt, concessiones coadjutoriarum et insignium prælatitiorum, dispensationes super irregularitate proveniente ex defectu corporis, vel ex delicto, et præsertim dispensationes in impedimentis matrimonii publicis.

Datariæ officiales præcipui sunt : *datarius,* qui totius dicasterii caput est, quique, si Cardinalis sit (ut plerumque est), vocatur *prodatarius; subdatarius; præfectus officii,* quod vocatur *per-obitum.* Insuper varii sunt alii præfecti, revisores, custodes et officiales inferioris ordinis.

Plura ad Datariam et Pœnitentiariam spectantia exponuntur in Theol. Mechl. *de matrim.* n. 98.

C. De Cancellaria apostolica.

244. Cancellaria hodie est tribunal, seu auditorium per quod recta forma expediuntur pontificiæ Bullæ, ac litteræ apostolicæ *sub plumbo.* Primaria et graviora S. Sedis negotia qualia sunt consistorialia, transeunt per manus *Cancellarii* (a cancellis quibus olim claudebatur hic officialis quando supplices recipiebat libellos vel restituebat ne nimia populi frequentia obrueretur). Vocatur *vicecancellarius,* si Cardinalis est, estque major post Papam in Curia Romana. Plures sub se habet Cancellarius officiales, quorum aliqui sunt *Prælati majores,* uti *regens* Cancellariæ et duo Præsidentes de majori vel minori parco, ita dicti a loco Cancellariæ in quo conveniunt, qui vulgo *parco* nominatur; alii sunt officiales minores, ut præ ceteris *summista, plumbator, custos registri Bullarum,* etc. Cf. Plettenberg, op. cit.; Moroni, *Dizion,* v. *Cancellaria.*

Habet Cancellaria suas regulas, juxta quas procedere debet, et quæ ideo vocantur *regulæ Cancellariæ*. Sunt quædam leges pontificiæ, numero 72, circa modum disponendi de beneficiis, expediendi provisiones. et sententias ferendi in processibus materiam beneficialem concernentibus. Hæ leges a ceteris differunt, quod morte cujusque Pontificis vim suam amittant, donec a novo Pontifice confirmentur.

Cum itaque regulæ Cancellariæ sint decreta pontificia Romæ publicata, et circa disciplinam generalem statuentia, vim habent legis universalis, ac proinde obligant ubicumque eis derogatum non est, sive per Concordata, sive per legitime præscriptam consuetudinem.

D. De Camera.

245. Camera habet redditionem bonorum temporalium Ecclesiæ romanæ. Illi præerat olim Archidiaconus, hodie vero Cardinalis *Camerlingus,* qui adjuvatur ab *auditore cameræ* et duodecim clericis, etc. Auditor habet suum tribunal.

E. De triplici Secretaria.

246. Secretaria *Memorialium* loco Cancellariæ hodie recipit supplices libellos eosque S. Pontifici offert, et responsiones extendit et expedit.

247. Secretaria *Brevium* inservit expeditioni negotiorum, quæ non per bullas, sed per brevia expediuntur, et dicuntur *in forma brevium* et *sub annulo piscatoris*. Negotia illa enumerantur a Ben. XIV, in supra cit. const. *Gravissimum*. Hodiedum, sic disponente SS. Pio IX, ad ipsam etiam pertinent petitiones pro concessione indulgentiarum.

248. Secretaria *Status pro negotiis ecclesiasticis* mode-

ratur externum Ecclesiæ statum relate ad Principes seculares, et determinat ea, quæ ad aliquam quæstionem inter Sacerdotium et Imperium possunt importare.

§ 2. *Tribunalia justitiæ.*

A. De S. Rota Romana.

249. S. Rota, sic dicta quia in *rota,* seu *gyro* sedere consueverunt Auditores, est supremum tribunal Romanum, quod cognoscit de omnibus causis, sive profanis, sive ecclesiasticis, quæ ipsi a S. Pontifice committuntur. Non solent autem ipsi committi causæ criminales, sed civiles duntaxat, et spirituales quæ privative subjectæ non sunt alteri tribunali. Sæpe etiam SS. Congregationes, cum judicialia tractare non possint, negotia quæ ordinem judiciarium requirunt ad S. Rotam referunt, ut hujus voto accepto, responsum emittant.

Constat S. Rota duodecim judicibus qui *Auditores* vocantur, desumpto sc. nomine ab antiquo eorum officio *audiendi* tantum causas et referendi ad S. Pontificem, qui sententiam ferebat. Post Sixtum IV eliguntur duodecim ex variis nationibus; inter quos octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus et alter Germanus.

« Decisionum (S. Rotæ), ait Card. de Luca, magna est auctoritas, non quidem ut faciant auctoritatem necessariam apud inferiores magistratus tanquam decisiones papales etc., dum solis declarationibus SS. Congregationum Cardinalitiarum ista prærogativa conceditur. »

B. De utraque Signatura.

250. *Signatura justitiæ* est quoddam supremum tribunal in quo contentiosa, quæ ad justitiam administrandam spectant, expediuntur. Erectum itaque fuit ad deciden-

das controversias, quæ oriuntur circa res ecclesiasticas necnon et profanas patrimonium Ecclesiæ temporale respicientes.

Illi præest Cardinalis *Præfectus Signaturæ,* qui coadjuvatur a pluribus Prælatis, dictis *votantibus signaturæ,* referendariis, aliisque, uti sunt locum tenentes civiles Auditoris Cameræ, et locum tenens civilis Vicarii, non tamen ut suffragia ferant, sed ut jurisdictionem tueantur sui tribunalis.

251. *Signatura gratiæ* est tribunal ipsius R. Pontificis in iis causis, quarum decisio ex gratia Pontificis postulatur.

Illi præest per se R. Pontifex, et adjuvatur a pluribus Cardinalibus et Prælatis pro suo libitu electis. Membra illius sunt Major Pœnitentiarius, Præfectus signaturæ justitiæ, Cardinalis Vicarius, aliique Cardinales quos eligit S. Pontifex; necnon duodecim Prælati, qui suffragium ferunt et *votantes* dicuntur, suntque iidem qui vocem habent in signatura justitiæ.

Articulus IV.

DE LEGATIS, NUNTIIS, VICARIIS ET PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

§ 1. *De Legatis et Nuntiis pontificiis seu apostolicis.*

252. Legatus apostolicus in genere ille est, qui a S. Sede in certam provinciam mittitur, cum potestate administrandi negotia ecclesiastica, quæ sunt muneris apostolici.

Vidimus n. 183, integrum jus esse R. Pontifici Legatos mittendi quocumque terrarum ubi viget christiana Religio. Hic de juris illius usu quædam sunt notanda.

253. Prima Legatorum divisio est, quod alii *extraor-*

dinarii sint, alii *ordinarii*. Extraordinarii mittuntur ad peculiare negotium expediendum. Ordinarii sunt, qui in certas Ecclesiæ partes mittuntur ad quascunque causas ecclesiasticas tractandas.

Ordinarii olim fuerunt *Apocrisiarii,* seu Responsales, qui diuturnam legislationem exercebant, et per responsa sua Pontificem de negotiis ecclesiasticis certiorem reddebant.

Præter Apocrisiarios, qui in aula regia morabantur, munus legationis stabilis quibusdam dissitarum et illustrium civitatum Episcopis RR. Pontifices concrediderunt, qui *Vicarii apostolici* vocati sunt; quales fuerunt vicarius Thessalonicensis in Illyrico, Arelatensis in Gallia.

254. At sæculo IX vicariatus apostolici rariores evaserunt, ex iisque originem suam duxerunt *Legati nati.* Cum enim RR. Pontifices quarumdam Sedium Episcopos munere legationis solerent decorare, factum est ut jus vicariatus apostolici Sedibus illis annecteretur, atque adeo non amplius personalis dignitas, sed realis habita est, quæ sine nova S. Sedis concessione in successores transiret. Hoc privilegio aucta est ecclesia Salisburgensis in Germania; Rhemensis, Bituricensis et Lugdunensis in Gallia; Pisana in Italia; Toletana in Hispania; Cantuariensis in Anglia, etc.; earumque ecclesiarum Episcopi dicti sunt tum *Legati nati,* tum etiam *Primates,* quia primum honoris et dignitatis locum inter Episcopos suæ legationis tenebant. Verum hodie, et jam a sæculo XV, *Legatis natis* titulus sine re, sive solum nomen sine ulla potestate relictum est.

255. Nunc itaque soli *Legati missi* apud exteras nationes legatorum munere funguntur. Inter hos præcipui sunt *Legati a latere* et *Nuntii apostolici*. Soglia T. I. § 39.

Legati *a latere* sunt Cardinales, quos S. Pontifex quasi ex suo dimissos latere, cui semper adhærere censentur,

aut ad supremos Principes aut in ditionis ecclesiasticæ provincias mittit.

Ceteris Legatis, sive Nuntiis, antecellunt *dignitate* et *auctoritate*. Dignitate quidem, quia, ipsis in aliquam provinciam adventantibus, minorum Legatorum, si ibidem fuerint, auctoritas silet; cap. 8, *de off. Leg.* Dein utuntur insignibus apostolicis, et in eorum præsentia Archiepiscopus et Patriarcha nequeunt præferre crucem. Auctoritate vero, propter amplissimas facultates quibus instruuntur, quasque describunt litteræ quæ conferunt munus legationis.

Inter alios Legatos missos, qui sc. non ex Cardinalium Collegio, sed ex Prælatorum numero assumuntur, præcipui sunt *Nuntii*. Hi mittuntur ad supremos Principes, et in provinciis et regnis, ubique legationis munere funguntur, explicant pontificiam jurisdictionem.

Solitæ Legatorum facultates plurimum restrictæ fuerunt a Concilio Tridentino, *Sess. XXIV. cap. 20 de ref.*, quod Legatis omnibus, etiam *de latere*, vetuit, ne, prætextu quarumcumque facultatum, Episcopos in cognitione causarum turbent, aut contra clericos procedant. Eorum igitur munus fere reducitur ad mutuam relationem fovendam, et negotia tractanda inter S. Pontificem et Principes civiles; ad significandos Papæ errores et abusus provinciæ, cui invigilant; ad recipiendam informationem circa vitam et mores eorum qui ad Episcopatum præsentantur. Tota potestas pendet ex tenore facultatum.

Nuntii præcedentiam habent supra Archiepiscopum, etiam in sua provincia existentem.

Legati non Cardinales, qui mittuntur cum juribus *Legati a latere*, hoc nomine non vocantur, sed juxta stylum Curiæ dicuntur : *Nuntii missi cum potestate Legati a latere.*

Minores Nuntiis sunt *Internuntii;* hisque minores sunt *Negotiorum Gestores.*

Nuntiaturæ aliæ sunt *primi,* aliæ *secundi* ordinis. Primi ordinis sunt quæ viam immediate sternunt ad dignitatem cardinalitiam. Tales sunt nuntiaturæ Austriæ, Galliæ, Hispaniæ et Lusitaniæ. Ceteræ sunt secundi ordinis. Ferraris, v. *Nuntius.*

Legatorum Pontificiorum officium et dignitas non est confundenda cum officio delegatorum a R. Pontifice; illorum enim potestas ordinariæ æquiparatur, et ideo in pluribus regitur aliis principiis ac delegatio. « Potestas tamen Legati apostolici, ait Pirhing, tum absolute, tum quoad extensionem aut restrictionem, pendet ex voluntate Papæ delegantis, eo fere modo quo potestas Vicarii generalis pendet ex voluntate Episcopi eum constituentis. » Non autem expirat per obitum Papæ deputantis.

Cessat vero legatio multipliciter : 1° lapsu temporis præfixi; 2° finito negotio; 3° revocatione mandati; 4° renuntiatione a Pontifice acceptata; 5° discessu a provincia animo non revertendi; 6° tandem morte ipsius Legati, ut patet.

§ 2. *De Vicariis Apostolicis seu Pontificiis.*

256. A remotissima antiquitate solita fuit S. Sedes in unaquaque e præcipuis orbis catholici regionibus aliquem designare Archiepiscopum, qui vices R. Pontificis in ea regione ageret, et cui tanquam *Sedis Apostolicæ Vicario* omnes ejusdem regionis Episcopi et Metropolitani subjicerentur.

Hodie cum de Vicariis Apostolicis agitur, alii a priscis istis omnino diversi intelliguntur. De duobus enim nunc tantum sermo esse potest : nempe

257. *De Cardinali Vicario,* seu de *Vicario Urbis,* qui

est vicarius generalis R. Pontificis, pro regenda diœcesi romana.

Huic applicanda veniunt omnia quæ inferius dicentur de vicariis generalibus Episcoporum, notata duplici differentia :

a/ Cum R. Pontifex, negotiis distentus universalis Ecclesiæ, non possit curam gerere episcopatus romani, adinstar Episcopi diœcesani, Cardinalis Vicarius est quasi Episcopus et Ordinarius Urbis; aliis verbis, vicario quidem nomine, ea tamen omnia gerit, sive quoad ordinem, sive quoad jurisdictionem, duabus exceptis facultatibus, quæ Episcopus in sua diœcesi. Unde habet et quemdam prælatum, *Vices gerentem* dictum, tanquam suum vicarium generalem.

Dicitur *duabus exceptis facultatibus;* quia visitatio apostolica fit per Congregationem hujus nominis, et collatio beneficiorum per Datariam. Supra n. 207 et 243.

b/ Jurisdictio Cardinalis Vicarii ordinaria est, adeoque, etiam mortuo Pontifice, in suo vigore perseverat. Tunc Vicarius vices quodammodo gerit Vicarii capitularis, quousque novus Pontifex eligatur; sicque Sacrum Collegium aliis non distrahitur curis quam electione Pontificis. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. II. cap. III.

258. *De Vicariis Apostolicis,* qui a S. Pontifice vel a S. Congregatione Episcoporum et regularium mittuntur extra diœcesim Romanam, ad suscipiendam S. Pontificis nomine alicujus regionis administrationem. Hos solent canonistæ sub Vicariorum Apostolicorum denominatione exclusive comprehendere. Hi autem Vicarii aliquando consecrantur in Episcopos, eisque assignatur in titulum aliqua ecclesia *in partibus infidelium;* aliquando episcopali charactere carent.

Duplex autem distinguitur Vicariorum Apostolicorum classis : *a/* alii constituuntur in regionibus in quibus diœ-

cesos et Episcopi diœcesani non existunt. Tales multi sunt in regionibus infidelium; plures etiam recens erant in Anglia et Hollandia, antequam SS. Pius IX ibidem hierarchiam restaurasset.

Vicarii isti Apostolici, si charactere episcopali sint insigniti, vocantur interdum *Administratores Apostolici;* si secus, dicuntur etiam *Præfecti Apostolici* eorumque regio *Præfectura Apostolica.* Ipsis solent concedi non tantum jura Episcoporum, sed insuper quædam aliæ facultates, quæ in stylo Curiæ vocantur *formulæ secundæ.*

b/ Alii deputantur ad regendam diœcesim, in qua exstat ordinaria hierarchia; idque fieri potest sive Sede vacante, sive Sede plena.

Sede vacante mittitur Vicarius Apostolicus, dum timetur ne diutius ecclesia aliqua Pastore careat; item dum Capitulum non concordat in electione Vicarii Capitularis, vel turbæ et dissensiones pertimescuntur. Hisce duobus casibus datur Vicario jurisdictio quasi-episcopalis.

Sede plena solet deputari, quando Episcopus adversa valetudine vel senio affectus, gregi gubernando impar agnoscitur; vel quando propter culpam ab episcopatus administratione suspendi aut perpetuo removeri debet. Vicarii potestas hoc casu dignoscenda est ex litteris deputationis. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. II. cap. X, 2 ad 10.

§ 3. *De Protonotariis apostolicis.*

259. Protonotarii, primum dicti *Notarii,* fuerunt a primordiis Ecclesiæ instituti ad acta Martyrum et cetera rei sacræ monumenta describenda, et descripta scriniis Ecclesiæ recondenda. Usque ad Sixtum V septem duntaxat numerabantur, pro septem Urbis regionibus; sed hic Pontifex duodecim esse jussit, quos clarioribus etiam privilegiis decoravit. His Protonotariis, qui *de numero*

participantium vocati sunt, accesserunt alii tum in Urbe, tum in aliis catholici orbis regionibus, in idem munus per RR. Pontifices adsciti, peculiaribus privilegiis instructi. Pius VII, const. *Cum innumeri,* an. 1818.

Protonotarii triplicis distinguuntur classis : nempe 1° Protonotarii *de numero participantium,* seu *de collegio* dicti, qui Romæ officium obtinent cum dignitate, et participant de ejusdem officii emolumentis; 2° Protonotarii extra numerum, seu *non participantes,* vocati *ad instar participantium,* qui nonnullis priorum honoribus ac prærogativis gaudent, sed nullis fruuntur emolumentis; 3° Protonotarii mere *titulares,* aut honorarii, qui nec officium speciale habent, nec dignitatem in Curia Romana, attamen in dignitate ecclesiastica sunt constituti, et ideo delegari valent in causis papalibus.

260. Ad privilegia quod spectat, post const. *Quamvis peculiares,* qua SS. Pius IX an. 1853 privilegia Protonotariorum restrinxit, relicta fuerunt præcipue sequentia :

1° *Participantibus : a/* habitus prælatitius coloris violacei cum rochetto; *b/* facultas doctorandi, servatis servandis; *c/* exemptio a jurisdictione Ordinariorum; *d/* locus in signaturis, canonizationibus SS^m^, consistoriis quoque publicis et capellis; *e/* usus pontificalium extra Curiam Romanam; *f/* privilegium altaris portatilis.

2° Protonotariis *ad instar participantium : a/* habitus prælatitius coloris violacei cum rochetto; *b/* locus in signaturis, in capella papali, in equitationibus pontificalibus; *c/* præcedentia super omnes canonicos ac dignitates, præter Episcopos; *d/* usus pontificalium extra Urbem, de consensu tamen Ordinariorum; *e/* indultum privati oratorii.

3° *Titularibus : a/* jus est extra Urbem, et quando non adest S. Pontifex, utendi habitu prælatitio, sc. veste talari et mantelletto nigri coloris; *b/* habitu prælatitio

induti præferendi sunt omnibus sacerdotibus simplicibus, et etiam canonicis singulatim sumptis, non vero in collegium coeuntibus. De his omnibus late agit Bouix, *de Cur. Rom.* P. IV, sect. V; Anal. jur. pont. 1e sér. col. 580 ss. et 3e sér. col. 692 ss.

Articulus V.

DE CONCILIIS ŒCUMENICIS.

§ 1. *De Conciliis in genere.*

261. *Concilium* latine, *Synodus* græce, idem est ac plurium in unum locum, rei cujusdam tractandæ gratia, conventus. A personis convenientibus, et præsertim a rebus tractandis Concilium aliud *civile* est et *politicum*, aliud *ecclesiasticum*. Prior sensus jam dudum obsolevit, ita ut Concilii ac Synodi nomine hodie nonnisi ecclesiasticæ adunationes intelligantur.

Concilium in genere recte definitur: *Conventus catholicorum Antistitum, ad judicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis, seu de negotiis fidei, morum aut sacræ disciplinæ, rite legitimeque celebratus.*

Concilia ecclesiastica dividuntur in *generalia* et *particularia*. Particularia autem subdividuntur in nationalia, provincialia et diœcesana, de quibus agitur suis respective locis.

Convenit data definitio Conciliis tum œcumenicis, tum nationalibus, tum provincialibus, quæ indifferenter vel Concilia vel Synodi vocantur; non autem synodo diœcesanæ, quamvis inter genera conciliorum soleat enumerari, quia vox *Concilium* a multis jam sæculis usu generali ad solos Episcoporum cœtus restricta est. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. I. cap. I.

§ 2. *De notione, institutione et convocatione Conciliorum generalium.*

262. Concilium generale, seu *universale,* græce *œcumenicum,* est conventus, ad quem omnes totius orbis Episcopi catholici legitima auctoritate convocantur, et aliqui ex majori parte christianarum provinciarum de facto conveniunt, ad majora Ecclesiæ negotia pertractanda, et assentiente Pontifice definienda; seu ut habet Bouix, *de Conc. œcum.* § 1. IV : *Est Concilium universam Ecclesiam repræsentans, actis assentiente R. Pontifice.*

263. De quæstione an Concilia œcumenica divinæ sint an humanæ *institutionis,* consule Bouix l. c. § 2, ubi probat ea esse divinæ institutionis quoad substantiam, non vero quoad celebrationis modum et tempus.

264. Ibidem § 3 indagatur an Concilia œcumenica sint necessaria, vel utilia tantum.

265. *Convocatio* dicitur publica intimatio a legitimo superiore facta omnibus de cœtu, ut Synodus certo in loco et statuto tempore celebretur.

Concilium generale convocandi jus proprium et ordinarium esse R. Pontificis, probatur in præl. theol. dogm. *de R. Pontifice,* n. 260; et apud Bouix l. c. § 4.

Ad Concilium generale universi christiani orbis Episcopi, quoad fieri potest, convocari debent eique interesse tenentur, nisi legitime impediantur. At necesse non est ut omnes omnino conveniant; sufficit ut eorum conventus, inspectis locorum, personarum et temporum adjunctis, Concilium generale dici possit. Non requiritur itaque œcumenicitas *materialis,* sed *moralis* tantum. Bouix, *ibidem* § 8.

Singuli Episcopi consecrati et jurisdictione instructi potestatem habent, et quidem divinitus concessam, ferendi suffragium decisivum, seu definiendi. Etenim a

Spiritu Sancto positi sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei, ut dicitur Act. xx, 28. Bouix l. c. § 5. prop. 2ª s.

Episcopi nondum consecrati episcopali jurisdictione gaudentes, ad Concilium cum suffragio decisivo admittendi videntur, quia, ut ait Melchior Canus L. V. cap. 2, « totum Concilii negotium non ordinis, sed jurisdictionis potestate transigitur. »

Utrum ad Concilium vocandi et cum suffragio decisivo admittendi sint, Episcopi qui *titulares,* seu *annulares,* seu *in partibus* nuncupantur, triplex est doctorum sententia.

Prima eorum est, qui contendunt *episcopali characteri* seu *consecrationi* alligatam fuisse a Christo jurisdictionem in universam Ecclesiam, quæ tamen jurisdictio non competit Episcopis quatenus singulis, sed solum quatenus collegialiter seu conciliariter agentibus. Hanc tenent Bolgeni, Catalani, De Alzedo, Devoti, Phillips, Maupied.

Secunda est Lucii Ferraris, qui titularibus Episcopis præfatum jus tribuit, illudque repetit a jurisdictione *in actu primo,* quam habent in respectivas titulorum suorum ecclesias.

Tertia, quam probabiliorem dicit Bouix, *ibidem* prop. 5ª, tenet ejusmodi Episcopis non competere decisivum suffragium in Concilio, eosque de jure non esse vocandos, quia ferre sententiam, solvere aut ligare absque jurisdictione nemo potest; ipsi autem omni jurisdictione carent. Ita Melchior Canus, Suarez, De Lugo, Biner, Schmalzgrueber, Andreucci, Barbosa, Icard, Billuart apud Bouix *ibidem.* Cf. *Revue des sciences ecc.* Déc. 1868 et Janv. 1869; *Revue théol.* an. 1869 p. 52 ss.

De facto tamen cum suffragio decisivo ad Concilium Vaticanum admissi fuerunt.

Cardinales non Episcopi vocandi sunt ad Concilium et suffragium decisivum habent. Utrum jure Ordinario, an

tantum ex privilegio et consuetudine, controvertitur. Ratio vero est, ait Suarez, quia jam ex usu et concessione Pontificum præferuntur Cardinales Episcopis in his, quæ episcopalis consecratio essentialiter non fundat. Tum etiam quia in suis titulis habent jurisdictionem episcopalem. Bouix *ibidem* prop. 6ª.

Præter Episcopos et Cardinales, ex Ecclesiæ concessione suffragium ferunt decisivum Generales ordinum regularium, Abbates exempti ab Episcopo benedicti. Bouix *ibidem* prop. 7ª.

Præfati omnes intersunt Concilio Generali tanquam veri judices, veniuntque nomine *Patrum*.

Episcopi legitime impediti olim procuratores mittebant cum suffragio decisivo; sed in Concilio Tridentino cum suffragio mere consultivo procuratores admissi fuerunt. Ben. XIV, *de Syn.* L. III. cap. VII, 5.

Vocantur et alii, qui veluti consultores negotia præparant, discutiunt, et definienda seu decernenda rationibus illustrant; hi theologi sunt et canonistæ. Vocantur quoque nonnulli officiales et ministri : puta secretarii, notarii, procuratores, apparitores.

Principes insuper civiles per se, vel per legatos interesse solent, non quidem ut judices, sed ut securitati Patrum et recto ordini invigilent. Bouix l. c. § 5, prop. 1ª.

Ad conciliares tractationes Concilii Vaticani 1869-70 sub Pio IX, qui an. 1871 mirabili Divinæ Providentiæ consilio, plaudente toto orbe catholico, vidit annos Petri, ob ingentem forte Episcoporum numerum, nec Principes, nec Episcoporum procuratores, nec horum theologi vocati fuerunt.

§ 3. *De præsidentia et celebratione Concilii generalis.*

266. Concilio generali *præsidendi* jus esse solius R. Pontificis proprium, ostenditur in citatis prælectionibus, n. 261; Bouix l. c. § 6.

267. Ad solum quoque R. Pontificem pertinet jus Concilium œcumenicum dissolvendi et alio transferendi, ut expresse declaravit Concilium Lateranense V, *Sess. XI.*

268. *Legitima celebratio* consistit in actuali conventu omnium de cœtu, qui sub legitimo præside et servatis de jure servandis deliberant et statuunt.

« Celebratio Concilii potissimum perficitur *sessionibus, deliberationibus* et *actionibus,* seu decretis.

« Ad *sessionem* revocantur conventus et ordo sedendi. Primus conventus intimatur per ipsammet Bullam pontificiam indictionis Concilii, subsequentes per præsidem aut præsides, annuentibus Patribus. Sub initio earumdem divinum auxilium effusis precibus imploratur, et maxime missa de Spiritu Sancto celebratur, in qua ut plurimum concio ad Patres super aliqua materia idonea et competenti dirigitur.

« Ordo sedendi petitur ex dignitate et statu uniuscujusque. Scilicet in primo loco absolute, et in throno excelso veluti Monarcha, S. Pontifex, si præsens sit, præsidet. Ipso vero absente, ejus Legati, Concilii præsides, cujuscunque alias sint gradus et ordinis, primi sedent...

« Post Legatos præsides, locis paulo inferioribus sedent S. R. E. Cardinales, tum Episcopi, tum presbyteri, tum diaconi; deinde Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Episcopi, singuli pro ordine et tempore suæ ordinationis. Postremo vero Abbates et ministri, seu præpositi Generales ordinum religiosorum. Sedent hi omnes, exceptis his postremis qui pontificalibus non sunt insigniti, vestibus pontificalibus induti, et cum omnibus insigniis episcopalibus, aut quasi episcopalibus.

« Extra ordinem Patrum sedent theologi et canonistæ.....

« Tandem loco honorabili et excellenti sedent Imperatoris, Regum, inferiorumque Principum ac Statuum, suprema jurisdictione gaudentium, oratores.

« *Deliberationes* instituuntur in congregationibus, ad quas vocantur theologi et canonistæ, qui materias de quibus decernendum est agitant. Harum congregationum, quæ publicæ non sunt, ordo, numerus, tempus et locus multum pendent a circumstantiis, causis, quæstionibus... Hoc unum de iis in universum dici potest, nempe Patres Concilii non procedere ad sessionem publicam et decreta in ea proferenda, nisi mature ea præcedenter præparata et conclusa jam in congregationibus fuerint, ut magis reluceat tum gravitas suffragiorum, tum majestas assensus.

« Postremo *decreta* sunt eæ leges tum fidei, tum disciplinæ a Concilio super negotiis tractandis editæ. Decreta fidei, seu dogmata, pœna anathematis sanciuntur; non ita generatim cetera. Porro ut hujusmodi decreta conciliaria sint, oportet ut ea majori suffragiorum parte ferantur; imo generatim condecet et observari solet, ut nonnisi ea decernantur et concludantur, quæ longe majori parte, ac quodammodo moraliter unanimi Patrum sententia approbantur. Sic Pius IV Tridentinos Patres monuit, ut « illas tantum ederent definitiones, in quas Patres unanimi consensu conspirarent. » Sed hæc prudentiæ sunt et sapientis œconomiæ, non juris. Quin si S. Pontifex per se intersit, potest et solet nomine non Concilii, sed proprio decreta edere, adjecta formula *sacro approbante Concilio,* ut videre licet in hujusmodi Conciliis, puta Lateranensibus, Lugdunensi utroque, Viennensi et Florentino, quibus interfuere Pontifices...

« Conclusis et editis decretis tum fidei, tum disciplinæ,

eadem a Patribus subscribenda sunt, saltem sub finem Concilii. Notandum porro singulos e Patribus ad subscriptionem decretorum teneri, eos etiam qui alioquin in congregationibus ea reprobassent. Quin et ad id adigi solent intenta pœna excommunicationis, uti habemus exemplum in Tridentino, *Sess.* XXV, sub finem... Ordo autem subscribendi idem est qui sedendi... Judices subscribunt : *Ego N. judicans subscripsi;* ceteri vero : *Ego N. consentiens subscripsi.* » R. de M... vol. I. p. 420 ss.

269. Canonica autem Concilii celebrandi *forma,* seu modus in celebratione observandus requirit libertatem in judiciis; absentiam fraudis; sufficiens examen; sed postquam Concilium definivit, nullus dubitandi locus relinquitur, quin in suis definitionibus diligentiam et sufficiens examen adhibuerit. Cf. præn. p. III.

§ 4. *De confirmatione, promulgatione et auctoritate Concilii generalis.*

270. *Confirmatio* consistit in declaratione consensus sive adhæsionis Concilio.

Concilii generalis confirmationem ad solum R. Pontificem pertinere, necnon pontificiam confirmationem necessariam esse et essentialem, ut Concilium suam omnimodam habeat auctoritatem, eamque quandoque supplere defectum legitimæ convocationis et præsidentiæ, constat ex præl. theol. dogm. l. c. n. 262 ss.

Confirmat Concilium R. Pontifex triplici modo, nempe : vel per se, vel per Legatos, vel per litteras confirmatorias.

271. *Promulgatio* est publicatio decretorum facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

Confirmationem proxime sequitur promulgatio Con-

cilii, quæ etiam privative spectat ad R. Pontificem, siquidem uno actu unoque tenore cum confirmatione perficiatur.

272. Quantam demum auctoritatem et vim habeant decreta, sive dogmatica, sive disciplinaria, per Concilium generale statuta, quid requiratur ut Concilii judicium sit infallibile, videre est in op. cit. n. 265 ss. et apud Bouix, l. c. cap. II. Cf. supra prœn. p. xxxii.

CAPUT III.

DE EPISCOPIS EORUMQUE SYNODIS ET ADJUTORIBUS.

273. Episcopi, qui modo aliquo improprio Apostolis succedunt, ut exponitur in præl. theol. dogm. *de Rom. Pont.* n. 256, jure divino sunt omnes pares ordine et potestate, uno excepto S. Pontifice, qui non ordine quidem, sed jurisdictione ceteris omnibus præstat. Jure autem humano, sive apostolico, sive mere ecclesiastico, inter ipsos Episcopos discrimen fuit inductum, varii honoris et potestatis gradus constituti sunt. Primum autem gradum obtinent *Patriarchæ;* alterum *Exarchæ* et *Primates* tenent; tertium *Metropolitæ;* hos denique subsequuntur *Episcopi.* De diversis hisce Episcoporum gradibus, de Conciliis quibus præsunt, necnon de eorum adjutoribus dicere aggredimur.

Articulus I.

DE PATRIARCHIS, EXARCHIS ET PRIMATIBUS.

§ 1. *De Patriarchis.*

274. Patriarchæ, quasi *patrum principes,* sunt Prælati, qui præpositi sunt Episcopis et ipsis etiam Archiepiscopis totius regni vel imperii, vel plurium saltem provinciarum.

Quamquam nomen Patriarchæ nonnisi tempore Concilii Chalcedonensis usurpari cœperit, dignitas tamen eo nomine significata multo est antiquior. Communiter præfertur opinio eorum, qui patriarchalis potestatis originem apostolicæ institutioni, hoc est S. Petro, attribuunt. Quod indubitatum videtur, si sermo sit de Romano et Antiocheno patriarchatu, quos ipse D. Petrus per se, et de Alexandrino, quem per discipulum suum Marcum Evangelistam fundavit et condecoravit. Cf. Soglia, T. 1. § 47.

275. Patriarchæ sunt duplicis generis : alii *majores*, alii *minores* vocantur.

Majores post R. Pontificem, Patriarcham Occidentis, ceterorum et auctoritate et dignitate principem, erant quatuor : Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus. Hi patriarchatus Orientis jamdudum sunt exstincti per Turcarum invasionem, ita ut hodie merus remaneat eorum titulus (*in part. infid.*).

Attamen e ruinis illorum veterum patriarchatuum emerserunt Patriarchæ pro diversis Orientalis Ecclesiæ ritibus creati; ut Antiochenus Melchitarum, Antiochenus Maronitarum, Antiochenus Syrorum, Babylonensis Chaldæorum, Ciliciæ Armenorum, qui omnes catholici sunt, et iisdem fere juribus fruuntur, quibus antiqui gaudebant.

In Ecclesia Occidentali sunt Patriarchæ quidam *minores* dicti, nempe : Venetus, Ulyssiponensis, et Indiarum, qui R. Sedis privilegio Patriarcharum nomine donati fuerunt, jurisdictione tamen Metropolitas vix superant.

Anno 1847 restituit Pius IX patriarchatum Hierosolymitanum latini ritus; et Patriarcha qui, turbis et molestiis Græcorum et Rhutenorum coactus, urbem Hierosolymitanam deserere debuerat, sedem suam repetiit, ut referunt peregrini.

276. Inter *jura* Patriarcharum tria erant præcipua : sc. 1° jus consecrandi Metropolitas, eisque pallium tribuendi, postquam ipsimet a R. Pontifice pallium accepissent ; 2° cogendi Synodum nationalem eique præsidendi ; 3° accipiendi appellationes a judiciis Metropolitarum.

§ 2. *De Exarchis.*

277. Exarcha erat tantum princeps Metropolitarum in aliquo terræ tractu. Alii eorum meram honoris prærogativam habebant, ut Cyprensis et Thessalonicensis : alii veram jurisdictionem habebant, et soli R. Pontifici, non autem Patriarchis, subjiciebantur. Tales erant tres : Ephesinus in Asia Minori, Heracleensis in Thracia, et Cæsareensis in Ponto. Sed interierunt, quando provinciæ eorum fuerunt subjectæ patriarchatui Constantinopolitano.

Dignitas Exarchæ propria erat Orienti ; illi forsan respondet dignitas Primatum in Occidente.

§ 3. *De Primatibus.*

278. De antiqua Primatum dignitate ac potestate magna inter eruditos disputatio est. Alii enim existimant eo nomine designatos fuisse Patriarchas ; alii, Metropolitas ; plures vero, Episcopos earum Sedium, quibus dignitas Legati nati annexa erat. Probabilius medium obtinebant locum inter Patriarchas et Metropolitas.

Hodiedum Primatibus solum honoris nomen sine ulla potestate relictum est. In revisione Conciliorum provincialium Tolosani et Rothomagensis an. 1850, observarunt correctores Romani, per conventionem an. 1801 suppressas fuisse Sedes primatiales Galliæ, nec postea restitutas ; et hinc nullam in eis jurisdictionis prærogativam agnosci amplius posse a Sede ap., nec titulum in

actis ejusdem S. Sedis in posterum adhibendum. Alibi tamen titulum historicæ traditionis causa tantum, absque ulla jurisdictione, retineri permiserunt.

Hodie habemus Primatem Cantuariensem in Anglia, Salisburgensem in Germania, Lugdunensem in Gallia, Toletanum in Hispania, Mechliniensem in Belgio. Titulum hunc contulit SS. Pius IX Illo Dechamps, Archiepiscopo, Romæ degenti occasione Concilii Vaticani anno 1870.

Articulus II.

DE CONCILIO NATIONALI.

279. Concilia nationalia sunt ea, in quæ conveniunt Archiepiscopi et Episcopi alicujus regni vel nationis, præside ejusdem nationis Patriarcha vel Primate.

Concilia nationalia quandoque *universalia* seu *plenaria* dicta sunt, non simpliciter quidem, sed comparate ad illud regnum vel nationem, ubi habita fuerunt. Sic secunda Africana Synodus anni 418 vocata est *plenaria* a S. Augustino, quia talis erat quoad Africam.

280. Olim potestas convocandi Concilium nationale ad Patriarcham, aut Primatem spectabat, re tamen prius ad R. Pontificem delata, utpote quæ inter majores semper reputata est. Hodie vero, cum non existant Patriarchæ vel Primates, qui jurisdictionem in universam aliquam ecclesiam nationalem exerceant, sed singulæ provinciæ regulariter sint a se invicem independentes, nullum Concilium nationale celebrari potest sine interventu Sedis apostolicæ, quæ convocationi assensum præstet, et præsidem constituat aliquem delegatum.

Quinam vero ad Concilium nationale vocandi sint, satis intelligitur ex iis, quæ supra diximus de Concilio œcumenico, cui simillimum est.

In Conciliis nationalibus non amplius pertractantur

causæ majores, nec causæ fidei aut morum : sed illæ tantum, quæ spectant ad rectam nationis vel regni administrationem.

281. Decreta, sive disciplinæ canones, a Concilio nationali, cui ipsemet R. Pontifex personaliter non præsedit, conditi, siquidem inter causas majores referantur, pontificia indigent recognitione et approbatione. Afficiunt autem ecclesias regni vel nationis, sed ultra vim non habent.

Hac de re a vero vehementer aberrant qui leges Concilii nationalis tanquam leges universales habent, easque ab approbatione S. Pontificis eximunt. Propterea merito damnata fuit propositio 36 Syllabi : *Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.*

Articulus III.

DE ARCHIEPISCOPIS, SEU METROPOLITIS.

§ 1. *De eorum nomine et origine.*

282. *Metropolitanus* seu *Metropolita* dicitur a *Metropoli* (id est urbe matrice, quæ nempe aliarum provinciæ urbium præcipua ac veluti mater existit, iisque præest), eo quod in tali urbe episcopatum gerat, jurisdictionemque exerceat in omnes Provinciæ Episcopos. Ili *suffraganei* ejusdem appellantur, quia Metropolitæ in Conciliis, consecrationibus aliisque negotiis suffragantur, id est, suffragium seu vocem afferunt :

« Archiepiscopus, ait S. Isidorus Hispalensis, *de etym.* cap. 12, græco dicitur vocabulo, quod sit summus Episcoporum; tenet enim vicem apostolicam, et præsidet tam Metropolitanis, quam Episcopis. »

Antiquitus itaque non solebat nomen illud usurpari

ad designandos Metropolitanos; hodie autem Archiepiscopus et Metropolita idem sonant, et non sunt amplius duæ distinctæ dignitates.

283. De origine Metropolitarum auctores non conveniunt. Plures arbitrantur dignitatem illam tribuendam esse institutioni apostolicæ. Apostoli siquidem, licet provincias ecclesiasticas singulas non præfinierint cum juribus metropoliticis hodiernis, quosdam tamen Præsules majores constituerunt, uti S. Paulus, qui S. Titum toti insulæ Cretæ, et S. Timotheum toti provinciæ Asiæ præfecit.

§ 2. *De creatione et insigniis Archiepiscopi.*

284. Archiepiscopus eodem modo quo Episcopus creatur, de quo sermo erit infra.

285. Insignia Metropolitarum et Præsulum superiorum sunt *Crux,* quæ ipsis quocunque intra provinciam ratione officii sui pergunt præfertur, et *Pallium,* quod super vestes pontificales gestatur.

286. *Crux* significat, ait Thomassinus, Archiepiscopos nusquam procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem et imperium aut constabiliendum, aut propagandum.

Archiepiscopo conceditur Clem. II, *de priv.* ut crucem ante se libere portare faciat, etiam per quævis loca exempta suæ provinciæ. Non tamen præsente Cardinali juxta juris axioma : *Luminare majus offuscat luminare minus.*

287. *Pallium* communiter inspectum est quoddam vestimenti genus, quo Imperatores utebantur. Ita dictum videtur, vel a pellibus quibus est confectum, vel quia *palam,* id est, super alias vestes defertur. Consideratum vero Canonice, est quoddam sacrum insigne, quo utun-

tur Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ et Pontifices ad eorum jurisdictionem exprimendam, ad exemplum summorum sacerdotum veteris legis, qui in signum auctoritatis a Deo ipsis concessæ, *rationale* et *superhumerale* inducbant.

Origo Pallii est antiquissima, sed incerta. Ab anno saltem 742 generatim exstitisse Pallii usum, exploratum habent eruditi. Indubium etiam est veteres scriptores testari illud naturam sacri indumenti semper habuisse.

Pallium sacrum dupliciter potest considerari, physice nempe et moraliter. Physice sumptum nil aliud est nisi ornamentum sacrum ex lana candida confectum, exigua constans fascia, ad quatuor ferme digitos lata, quæ desuper in modum circuli contexta pectus et humeros circumit, duasque habet fascias seu lineas ab utraque pectoris parte pendentes. Sex præterea gerit cruces nigras, quatuor sc. per circuitum intextas et unam in medio utriusque lineæ, tribusque aciculis aureis consuitur et alligatur.

Moraliter vero sumptum definiri potest : Insigne ornamentum desumptum ex corpore D. Petri, designans et conferens plenitudinem pastoralis potestatis et archiepiscopalis officii, quo Archiepiscopi certis tantum diebus et intra ecclesiam uti possunt.

Pallium desumitur ex corpore D. Petri, quia ad ejus altare a S. Pontifice Romæ consecratur.

Pallium in Archiepiscopis non tantum aliquam plenitudinem potestatis respectu suffraganeorum significat, sed et ipsis aliquo sensu confert : per ipsum, ut Doctores aiunt, particula pontificiæ potestatis confertur et Archiepiscopus realiter efficitur. « In Archiepiscopis illud est peculiare, inquit Benedictus XIV, *de Syn.* L. II. cap. V, 8, quod ne per consecrationem quidem assequantur plenitudinem officii sui, nisi pallium receperint

a R. Pontifice ..... non quod pallium aliquid superaddat consecrationi quoad ordinis potestatem, sed quia liberum præbet accepti ordinis exercitium, et archiepiscopalis muneris quamdam veluti perfectionem affert et complementum. » Quapropter ad Archiepiscopatum electus, et confirmatus, et consecratus, ante pallii receptionem nequit nomen Archiepiscopi assumere, Synodum provincialem indicere, visitare provinciam, chrisma conficere, dedicare basilicas, ordinare clericos, Episcopos consecrare, neque alia per se obire munera jurisdictionis vel ordinis, sive metropolitica, sive episcopalia. Non tamen prohibetur ea, quæ ordinis sunt, alteri Episcopo delegare. L. I. *Decr.* tit. 6, cap. 28, *de elect.* § 1.

Pallium intra tres menses a consecratione petendum est a S. Pontifice, et quidem *instanter, instantius, instantissime;* quod tamen hodie fit unica postulatione ab Archiepiscopo ipso, si Romæ adsit; per procuratorem vero, si absit. Antequam detur, exigitur juramentum fidelitatis et obedientiæ erga S. Pontificem.

Solus R. Pontifex semper et ubique pallio uti potest; ceteri non nisi intra fines suæ jurisdictionis, et statis certisque diebus, cum pontificalia conficiunt; de quibus vide Pontificale Rom. P. I. tit. *de Pallio.*

Pallium denique ita cohæret personæ et loco cui fuit concessum, ut nequeat alteri commodari vel extra provinciam deferri? Quoties deperditur, vel Archiepiscopus transfertur, novum impetrandum est; et ubi sepelitur Archiepiscopus, pallium vel pallia, si plura acceperit, cum eo humanda sunt.

Nota. Singulari Sedis apostolicæ gratia pallium quandoque simplicibus Episcopis conceditur, magis tamen ad honores, quam ad jurisdictionem. Hujusmodi privilegium dupliciter acquiritur : aut enim Sedi episcopali conceditur propter aliquod insigne ejus meritum locale, eique

tunc affixum est; aut ipsi personæ Episcopi tribuitur, et tunc Sedi non adhæret, sed personæ tantum, et cum ea perit. In Gallia tres Sedes episcopales jure pallii gaudent, sc. Augustodunensis et Aniciensis jam diu, et recentissime Massiliensis benigna gratia Pontificis felicissime regnantis Pii Papæ IX.

§ 3. *De potestate Archiepiscopi.*

288. Archiepiscopus potest considerari vel ut Episcopus, et qua talis habet potestatem in diœcesim sibi immediate subjectam. Vide articulum sequentem.

Vel ut Archiepiscopus, et qua talis triplex solet ejus distingui auctoritas, nempe : in suffraganeos; in diœceses suffraganeorum; in eorum subditos. Berardi, *Comm. in jus eccl. univ.* T. I. p. 104.

Magna olim fuere jura metropolitica, ast illa imminuit Concilium Tridentinum, præcipue quoad confirmationem et ordinationem comprovincialium, necnon quoad cognitionem eorumdem causarum. Cf. *Sess.* XXIV, cap. 1, 3 et 5.

Hodie regula generali statui potest, Archiepiscopum illam habere potestatem, quam SS. canones ipsi expresse concedunt, vel quam longa consuetudine, aut speciali privilegio apostolico acquisivit.

289. Jam vero 1° quoad *suffraganeos : a/* potest eos quolibet saltem triennio convocare ad Concilium provinciale, et non obedientes pœnis coercere; Trid. *Sess.* XXIV, cap. 2, *de ref.; b/* potest et debet supplere eorum negligentiam, eosque compellere, tum ad servandam legem residentiæ, tum ad seminaria erigenda et conservanda; ibid. *Sess.* XXIII, cap. 1 et 18; *c/* potest dispensare in eorum votis et juramentis, S. Sedi non reservatis; *d/* juxta communem canonistarum opinionem potest cognoscere de eorum causis civilibus, ut vidimus supra n. 176.

Disputatur autem an in rigore juris possit eos plectere censuris; affirmant doctores multi; sed negant alii, aliquibus exceptis casibus.

290. 2° In *diœceses* suffraganeorum, Metropolita nulla fere jurisdictione pollet, nisi *in sacra visitatione* et *in devolutione*.

a/ In visitatione. Post Tridentinum visitatio fieri nequit, nisi causa prius probata in Concilio provinciali, et ex cap. 1, *de Cens. in 6*, non nisi post plene visitatam propriam diœcesim. Hanc autem instituens potest Archiepiscopus corrigere quæcumque correctione indigent, tam in clero, quam in populo.

b/ In devolutione. Si capitulum cathedrale intra octo dies ab Episcopi obitu Vicarium Capitularem eligere neglexerit, facultas eumdem constituendi ad Metropolitam devolvitur (Trid. *Sess.* XXIV, cap. 16); item collatio beneficiorum, quæ debito tempore per Episcopum collata non fuerunt, etc.

Diximus *fere nulla;* etenim extra visitationis actum potest per totam provinciam concedere indulgentiam 40 dierum, et in dedicatione basilicæ, unius anni; populo benedicere tam benedictione solemni, quam simplici; crucem ante se deferre; exercere pontificalia; mittere quæstores pro restauratione ecclesiæ metropolitanæ; prohibere ex justa causa munus prædicationis.

291. 3° In *subditos* suffraganeorum rursus Archiepiscopo potestas tantum est *in sacra visitatione* et *in appellatione*.

a/ In visitatione potest ea omnia quæ visitationis officio cohærent : excipere confessiones et absolvere a casibus per suffraganeos reservatis, dispensare, etc.; sed videtur non posse assistere matrimonio, ordines conferre, confirmare, beneficia vel ecclesias erigere, unire, dividere, etc.: neque jurisdictionem fori contentiosi exer-

cere, nisi quando crimen notorium est, vel consistat in læsione sibi in provincia agenti, vel familiaribus aut ministris illata.

b/ In appellatione. Metropolita jus dicit inter eos qui a sententia suffraganeorum ad eum provocant; quo casu etiam potest excommunicatum a suffraganeo absolvere, si remissus ad Ordinarium absolutionem ab eo non acceperit.

§ 4. *De amissione dignitatis archiepiscopalis.*

292. Dignitas archiepiscopalis amittitur sicut dignitas episcopalis. *Remissive.*

Articulus IV.

DE CONCILIO PROVINCIALI.

§ 1. *De notione Concilii provincialis ejusque celebrationis tempore.*

293. Concilium provinciale est conventus Episcoporum alicujus provinciæ sub præsidentia Metropolitæ, ad negotia totius provinciæ tractanda legitime celebratus.

294. Olim frequentior quam hodiedum præscribebatur celebratio Concilii provincialis; rigorose autem statuit Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 2, *de ref.* « *Quare Metropolitani per seipsos, seu, illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior... quolibet saltem triennio... non prætermittat synodum in provincia sua cogere... Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi... negligentes fuerint, pœnas, sacris canonibus sancitas, incurrant.* » Pœna autem est suspensio ab officio ferendæ sententiæ; cui tamen vix locus fuit aut est, propter varia obstacula, quæ opponebantur Conciliorum celebrationi.

Tum temporum difficultate, tum civilium Principum

opera, tum aliis de causis in plerisque regionibus non diu fuit servatum decretum Tridentini. Pontifices tamen illud subinde in memoriam revocarunt, inter quos Benedictus XIII, coacto Concilio provinciæ romanæ, an. 1725; Benedictus XIV, const. *Quamvis paternæ* (*Bull.* vol. I, p. 137), et const. *Singularis* (*ibid.* p. 152); Pius PP. IX, in Brevi 17 Maii 1849, *ad Card. Arch. Salisb. ceterosque Arch. et Episc. Herbipolensis conventus*. In Statibus Fœderatis Americæ Sept. ab anno 1831 singulis trienniis Concilium provinciale habetur; in aliis quoque regionibus, uti in Gallia, plura celebrata fuere post annum 1848; in aliis vero, ut in Belgio, per conventus Episcoporum eorum defectui quadam ratione suppletur.

§ 2. *De convocatione et præsidentia Concilii provincialis.*

295. Utrumque spectat ad Archiepiscopum suffraganeos habentem et pallio donatum. Eo legitime impedito, vel Sede metropolitana vacante, competunt et convocatio et præsidentia Coepiscopo, seu suffraganeo antiquiori; non autem vicario generali Metropolitæ, vel vicario capitulari.

Quod pertinet ad locum convocationis, expedit quidem ut Synodus provincialis apud metropolitanam ecclesiam celebretur; sed Tridentina ordinatione spectata, liberum est Archiepiscopo in quovis suæ provinciæ loco illam indicere.

296. Q. Quinam ad Concilium provinciale vocandi sunt?

R. Alii debent, alii possunt convocari.

1° *Debent* convocari *a/* omnes Episcopi suffraganei, etiam solummodo electi et confirmati; Capitulum, seu Vicarius Capitularis suffraganeæ vacantis; *b/* Abbates

nullius et alii Prælati habentes jurisdictionem quasi-episcopalem; *c/* Episcopi etiam exempti, qui vi decreti Tridentini elegerunt vicinum Metropolitam, cujus concilio intersunt. Hi omnes votum decisivum habent, et de rigore juris vocandi sunt. Porro quantum grave est officium Metropolitæ eos convocandi, tantum grave est eorum debitum ad Concilium accedendi. Quod si non conveniant, vel legitime impediti procuratorem non mittant cum litteris excusationis, puniuntur eadem et alia insuper pœna ac Metropolitæ non convocantes. Trid. l. c.

Legitimum impedimentum est gravis infirmitas, ætas admodum provecta, periculum in itinere imminens, gravis necessitas.

Præter illos convocari etiam debent, sed cogi non possunt; *d/* Capitula ecclesiarum cathedralium, etiam vivente Episcopo, quæ intersunt regulariter per procuratores et cum voto consultivo tantum; *e/* omnes illi qui de jure, vel consuetudine interesse solent aut debent. Quinam vero illi sint qui *de jure et consuetudine interesse debeant,* explicatius declarat Synodus II provinciæ Mechl. anni 1574, his verbis : « Conclusum et resolutum, quod posthæc nominatim ad Concilium provinciale vocabuntur decani et Capitula ecclesiarum cathedralium; Abbates et Prælati omnes; præpositi, decani et Capitula collegiatarum ecclesiarum provinciæ Mechliniensis, ut per se vel procuratores in Synodo provinciali compareant. »

2° *Possunt* vocari *a/* parochi aliique de clero; *b/* etiam generatim accedere queunt, sed solummodo pro justitia assequenda, omnes qui se gravatos, seu læsos existimant. Ceterum laici non facile, sed rarissime et justissima de causa ad Concilium invitentur, ne quod ab initio meræ voluntatis erat, tractu temporis fiat necessitatis, ut ait Ben. XIV, *de Syn.* L. III. cap. IX, 7.

Tandem in Concilio provinciali admittuntur viri eccle-

siastici plures, qui a Patribus officiales constituti varia munia obeunt, puta notarii, secretarii, promotoris, canonistarum aut theologorum.

§ 3. *De negotiis in Concilio provinciali tractandis.*

297. Hodie Concilia provincialia non amplius in pertractandis fidei et morum, aliisque majoribus causis versantur, sed tantummodo in iis negotiis, quæ ad rectam provinciæ administrationem pertinent; seu, ut verbis utar Tridentini, l. c., coguntur « pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis. » De fide et moribus eatenus tantum possunt tractare, quatenus vi definitionis ab Ecclesia factæ in errores animadvertunt. Bouix, *du conc. prov.* p. 516 ss.

Plura Concilium Tridentinum tractanda commisit Synodo provinciali. Hæc autem inter alia inquirit 1° contra Episcopos in universum, et specialiter circa residentiam. *Sess.* XXIII et XXV, cap. 1 *de ref.*

2° Inquirit de negligentia Episcoporum in explendis iis, quæ eorum muneris sunt. *Sess.* XXIV, cap. 18 *de ref.* et *Sess.* XXV, cap. 22 *de regul.*

3° Cognoscit et terminat minores criminales causas Episcoporum. *Sess.* XXIV, cap. 5 *de ref.*

4° Examinat et probat causas, ob quas cathedrales ecclesiæ et diœceses suffraganeorum a Metropolita visitari debeant; pœnasque infligit in visitatores, qui decreta visitationem concernentia non servaverint. *Ibid.* cap. 3.

5° Judicat dubios et difficiles abusus, atque res graviores circa indulgentias, imagines et reliquias Sanctorum, ita tamen ut, inconsulto R. Pontifice, nihil novum, in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. *Sess.* XXV, *de invoc. etc. SS.; Decr. de indulg.*

6° Designat judices quibus, præter ordinarios locorum, causæ ecclesiasticæ ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes, a partibus delegandæ committi possint. *Sess.* XXV, cap. 10 *de ref.* Cf. insuper *Sess.* XXIV, cap. 12 et 13 *de ref.*

§ 4. *De celebratione et subscriptione Concilii provincialis.*

298. Condicto die, vocatis omnibus præsentibus, inchoatur Concilii celebratio per triplex decretum de aperienda Synodo, de modo vivendi in Concilio et de professione fidei, quam omnes præmittere debent.

Ordo autem, qui inter Patres observandus est, sive in sedendo, sive in sententiam dicendo, sive in subscribendo, statuitur in Cæremoniali Episcoporum his verbis : « In sessione vero et ordine proferendi vota observandum est, ut Episcopi præcedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem vel præeminentiam ecclesiarum. » Cf. tamen *ibid.* cap. XXIII.

Primo itaque loco sedet Metropolita; secundo veniunt Episcopi; tertio Capitula cathedralia, si capitulariter intersint; quarto, ut videtur, Abbates habentes privilegium mitræ et baculi; quinto procuratores Episcoporum absentium; sexto procuratores Abbatum absentium; septimo priores monasteriorum; octavo collegiatæ; nono plebani, sive archipresbyteri; decimo parochi aliique.

Archiepiscopi est Concilium dirigere; attamen sine consensu coepiscoporum non potest vel Concilio finem imponere, vel alicui negare licentiam loquendi, vel statuere de opportunitate vel inopportunitate documentum aliquod legendi, vel mandare ut quidam accedat ad Concilium vel exeat, etiamsi Episcopus aliquis turbas moveat, aut Archiepiscopum irreverenter tractet, vel pu-

nire hujusmodi Episcopum, quanquam possit mandare ut quisque suo ordine loquatur et Concilium non turbet.

Deciduntur omnia per pluralitatem votorum, qua ipse Archiepiscopus ligatur, etiam dissentiens.

Concilium provinciale regulariter absolvitur tribus sessionibus; plures autem habere potest, si gravitas vel multitudo negotiorum hoc requirat; attamen intra hebdomadam perficiatur oportet.

Cæremoniæ in Concilio provinciali adhiberi solitæ describuntur in *Pontificali Rom.* P. III, sub hoc titulo; et in *Cæremoniali Episc.* L. I. cap. XXXI.

299. Consummatis negotiis, singula decreta coram Patribus leguntur, et ab omnibus votum decisivum habentibus, iis etiam qui forsan in discussione dissensissent, subscribuntur.

§ 5. *De recognitione et promulgatione decretorum Concilii provincialis.*

300. De provincialium Synodorum confirmatione a R. Pontifice petenda aut obtinenda, non eadem semper fuit in Ecclesia praxis, aut disciplina. Antiquioribus sæculis, quando in iis Conciliis non raro fidei causæ pertractabantur, eorum acta per synodalem epistolam transmittebantur ad R. Pontificem, ut ab illo approbarentur. Ab apostolica autem confirmatione Concilium provinciale in materia fidei infallibilem consequitur auctoritatem.

Postea Patres Synodorum provincialium non fuerunt adeo solliciti de petenda S. Sedis confirmatione.

Hodie vero exstat lex communis, qua omnibus Metropolitis injungitur, ut ante promulgationem decretorum Concilii provincialis, ea ad S. Congregationem Concilii recognoscenda transmittant. Hæc autem recognitio, quæ suapte natura importat facultatem corrigendi, non est

præcise confirmatio, aut approbatio S. Sedis, ut patet.

Sixtus V hanc disciplinam statuit, seu potius restauravit const. *Immensa æterni* versus finem sæculi XVI; de qua ordinatione ita scribit Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. III, 3 et 4: « Hodie vero, etsi plerumque in ejusmodi Synodis fidei causæ non pertractentur, sed sola condantur decreta disciplinam respicientia, ut tamen *antiquæ consuetudinis* aliquod remaneret vestigium, ea, antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V ad S. Congregationem Concilii; non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede apostolica, sed ut corrigatur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur..... Non semel tamen accidit Concilia provincialia, non solum a S. Congregatione Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a S. Pontifice, ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmari. »

301. Decretis recognitis, et si opus fuerit a S. Congregatione emendatis, tenentur Episcopi intra sex menses congregare Synodum diœcesanam, ut ea promulgent et notificent. Exorto dubio propter verba Trid. *Sess.* XXIV, cap. 2 *de ref.*, ubi dicitur : *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur,* utrum non possent ea publicare in Synodo annua, S. Congregatio Concilii respondit servandum esse *cap. fin. Dist.* XVIII, nec Tridentinum ab hoc onere Episcopos liberasse. Cf. Fagnanus, L. V. *Decr.* cap. *Sicut olim, de accus.* n. 109.

§ 6. *De vi decretorum Concilii provincialis, deque in iis dispensatione.*

302. Decreta Concilii provincialis ligant universos et singulos de provincia, etiam Episcopos et Metropolitanum, sed hos solos; non tamen obligant sub culpa gravi.

nisi id vel Synodus expresse edixerit, vel aliunde colligatur.

303. Facultas autem dispensandi in decretis ejusmodi Synodi competit Concilio provinciali. Sed quum certum principium sit, inferiorem non posse, seclusis consuetudine, privilegio, etc., dispensare in lege superioris, inferendum est, neque Episcopum, neque Archiepiscopum potestatem habere relaxandi, seu aliquem per dispensationem solvendi a vinculo constitutionis editæ a Synodo provinciali. Hæc quippe condita est a cœtu Episcoporum, tanquam constituentium unum mysticum corpus altioris jurisdictionis illa, quæ in singulis reperitur non tantum Episcopis, sed etiam Archiepiscopis; a Metropolita enim ad Concilium provinciale appellari potest. Ita Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. V, 8; Suarez et alii, contra Leurenium; Phillips, *Kirchenrecht,* T. II. p. 285; Bouix, *du conc. prov.* p. 100 s.

Ordinarie vero, ait Suarez, *de Leg.* L. VI. cap. XV, n. 7, intelligitur commissa Episcopis potestas in lege provinciali dispensandi, unicuique respective pro sua diœcesi, et Archiepiscopo etiam pro sua tantum. Non tamen possunt illam abrogare, ne quidem in sua diœcesi; quia est lex superioris, quæ ab inferiore etiam ex parte abrogari nequit.

304. Diximus supra decreta disciplinaria Conciliorum provincialium quandoque confirmari a S. Pontifice; et ideo quæritur an ab apostolica confirmatione vim accipiant universam obligandi Ecclesiam, perinde ac si essent constitutiones pontificiæ; et consequenter an constitutiones Synodi provincialis, apostolica confirmatione munitæ, abrogari nequeant in alia Synodo provinciali?

Respondet Benedictus XIV, *ibidem* n. 11 : « Ut alias prætermittam Doctorum opiniones, ceteris præferenda est sententia Fagnani, in cap. *Si quis, de Confirm.* ubi

distinguendum docet inter confirmationem, quam vocant *in forma communi*, et confirmationem *in forma specifica*. In forma specifica fieri dicitur, cui præmittitur causæ cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adjecta conditione, auctoritate apostolica cum clausula *motu proprio, atque ex certa scientia*, confirmantur. In forma communi confirmari dicuntur statuta, quæ non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice *motu proprio, et ex certa scientia*, atque apostolicæ auctoritatis robur illis non adjicitur absolute, sed solum conditionate, videlicet, *si juste, canonice, aut provide facta sint : et dummodo sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur.....*

« Jam vero statuto confirmato *in forma specifica*, cum naturam induerit legis pontificiæ (*auctoritatem acquirit apostolicam, licet tantum intra provinciam, et sanationem obtinet in iis quæ forsan juri erant contraria*), nulli inferiorum (*nequidem Concilio provinciali*) fas est *derogare;* verisimilius tamen poterit adhuc dispensare. Statutum vero confirmatum *in forma communi* (*quamvis hoc ipso magis commendetur*), integrum est statuentibus delere, atque ab illius obligatione aliquem ex justa causa subtrahere; etenim talis confirmatio nihil novi juris, aut efficacitatis illis tribuit, qua antea carerent. »

Verum, licet confirmatio superioris robur quoddam, sed diversum, ut videmus, adjiciat actui confirmato, eum tamen non extendit, nisi expresse id statuat superior.

Articulus V.

DE EPISCOPIS.

305. Plura huc spectantia rursus repeti possunt e theologia dogmatica.

I. Ibi probatur : 1° Episcopos esse jure divino superiores presbyteris. Cf. Dens, *de Ordine,* n. 5; Perrone, *de Ordine,* cap. III.

2° Episcopis competere : *a/* potestatem ordinandi, quam non habent presbyteri. Dens, *ibid.* Perrone, l. c. cap. IV. *b/* Potestatem confirmandi, quæ non est illis cum presbyteris communis. Dens, *de Confirm.* n. 7; Perrone, *de Confirm.* cap. II. *c/* Auctoritatem publicam docendi et de rebus fidei judicandi, ita ut soli Episcopi sint jure proprio et ordinario fidei judices. Præl. theol. dogm. n. 144; Bouix, *de Conc. œcum.* § 9.

3° Episcopos aliquo vero sensu, sed improprio, esse successores Apostolorum, videlicet in muniis et facultatibus episcopalibus ad singulorum diœcesim circumscriptis; non autem in apostolatu, in plena illa et universali potestate Apostolis a Christo collata. Cf. præl. theol. dogm. *de Rom. Pont.* n. 256.

II. Ibidem quæritur : 1° an Episcopi jurisdictionis potestatem habeant immediate a Deo, an vero immediate a Papa. *Ibid.* n. 250 ss.; Daris, vol. I. n. 145 ss.

2° An episcopatus sit ordo distinctus, et sacramentum distinctum a presbyteratu. Cf. Dens, *de Ordine,* n. 5; Perrone, *de Ordine,* cap. II, *in scholiis,*

Hæc et alia ex professo tractat Bouix, *de Episc.* T. I. P. I. Nos autem de his omnibus non disserimus; sed ex instituti nostri ratione, traditis quibusdam prænotionibus, acturi sumus de Episcopis, præsertim quoad potestatem, jura et officia ipsis in eorum diœcesibus propria. Quæ quidem jura et officia pertinent quoque ad Patriarchas, Primates et Archiepiscopos, quippe qui etsi suffraganeis et provinciis præsint, suam tamen habent peculiarem ecclesiam, quam ut Episcopi regunt.

§ 1. *De nomine Episcopi et Ordinarii.*

306. *Episcopus* est vox græca, quæ latine significat *inspectorem, speculatorem, superintendentem,* quæque in civilibus Romanorum legibus designat illum, qui rebus ad victum quotidianum civitatibus et populis necessariis præerat; in ecclesiasticis vero constitutionibus significat Ecclesiæ præpositum ut perspiciat et speculetur gregis sibi commissi mores et vitam. Unde juxta S. Augustinum Episcopus nomen est *operis,* non *honoris,* et non est Episcopus qui præesse diligit, non prodesse.

Vocatur etiam *Summus Sacerdos,* quia recipit plenitudinem sacerdotii; *Præsul* et *Antistes,* quia ante alios stans, caput et princeps est populi et cleri diœcesis; *Pastor,* quia a Spiritu Sancto positus est regere Ecclesiam Dei; *Diœcesanus,* quia præest diœcesi; *Ordinarius,* quia ordinariam in sua diœcesi habet jurisdictionem.

In jure sæpe occurrunt voces *Ordinarius* et *Episcopus,* quarum proinde notio canonistæ valde necessaria est.

307. Q. I. Quinam veniant nomine *Ordinarii?*

R. 1° Generatim loquendo Ordinarius dicitur quilibet habens ordinariam jurisdictionem.

2° In specie vero secundum canones inter Ordinarios totius orbis christiani primum sibi locum vindicat R. Pontifex.

3° Dein inter Ordinarios connumerantur *a/* Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi.

b/ Vicarius Generalis Episcopi, et Capitulum, Sede vacante.

c/ Quicunque Prælatus inferior habens jurisdictionem ordinariam, quoties subjecta materia est ipsi adaptabilis. Cf. supra n. 90.

308. Q. II. Quinam intelligantur nomine *Episcopi?*

R. Præter simplices Episcopos intelliguntur : 1° Præ-

lati *majores,* Metropolitæ nempe, Primates et Patriarchæ, dummodo tamen materia sit favorabilis, non correctoria aut odiosa, quæ est strictæ interpretationis; et ita si illegitimus a Papa dispensetur ad episcopatum, non idcirco censetur dispensatus ad archiepiscopatum.

2° Episcopi electi et confirmati, nondum consecrati, sed in materia jurisdictionis tantum. Plenam enim potestatem habent quoad jurisdictionem, quamvis quoad ordinem consecratio requiratur.

3° Prælati *inferiores* quasi-episcopalem jurisdictionem habentes, quando ex verbis legis, stylo Curiæ, subjecta materia, aliisque hujusmodi adjunctis, ad veros Episcopos sensus restringi non debet.

4° Vicarius generalis Episcopi, et Capitulum, Sede vacante, ubi de jure communi non reperiuntur exclusi. Cf. Reiff. L. I. *Decr.* tit. 31 § 1.

§ 2. *De varia Episcoporum specie.*

309. Episcopi hodie tripliciter distinguuntur :

1° Episcopi propriam ecclesiam habentes dicti *residentiales.* Sunt Prælati illi, qui speciali charactere insigniti, certo alicujus provinciæ districtui, seu *diœcesi,* præsunt quoad curam animarum et regimen ecclesiasticum. De his in sequentibus potissimum est sermo.

2° Episcopi *titulares,* qui ordinem habent episcopalem, sed jurisdictione carent; vel quia eorum Ecclesia occupatur ab infidelibus, vel quia episcopatui renuntiarunt. In consecratione siquidem characterem episcopalem, eique adnexam potestatem recipiunt; tantummodo cum propriam diœcesim non habeant, hujus potestatis usu et jurisdictione privantur.

Si ab initio solum titulares creantur, dicuntur Episcopi *in partibus infidelium,* quia exornantur titulo alicu-

jus earum ecclesiarum, quæ sub jugo infidelium gemunt. Hoc autem fit, ne memoria antiquæ dignitatis earumdem ecclesiarum penitus obliteretur.

3° Episcopi *coadjutores* Episcoporum residentium, constituti vel ad tempus, vel cum futura successione, qui appellari solent Episcopi *Auxiliares,* aut etiam, sed improprie, *Suffraganei.* Cf. n. 282.

Dicuntur autem Episcopi *administratores,* si diœcesibus vacantibus concedantur.

§ 3. *De creatione Episcopi.*

310. Episcopum jure divino a solo R. Pontifice creandum, jure vero ecclesiastico ab aliis quandoque Ecclesiæ Præsulibus de consensu Papæ creatum esse, probatum est supra n. 167.

311. Tria autem requiruntur ad rectam Episcopi creationem : nempe *electio, confirmatio* et *consecratio,* seu primum eligendus est Episcopus, dein confirmandus, et tandem consecrandus, seu ad ordinem sacramentalem Episcoporum proprium promovendus.

A. De electione Episcopi.

312. Electio est personæ idoneæ ad ecclesiam vacantem canonice facta vocatio.

Initio Ecclesiæ ipsi Apostoli Episcopos constituebant, maxime S. Petrus. Apostolis vita functis, assentientibus SS. Pontificibus, Episcopi passim alios Episcopos eligebant. A sæculo IV ad IX usque, electio Episcoporum fiebat vel per Episcopos provinciæ, vel per suffragium cleri ecclesiæ viduatæ, vel per utrosque, concurrente etiam aliquatenus populo. Ordinarie autem clerus et populus testimonium ferebant de moribus eligendi, vel votum suum emittebant.

Frequentia electionum dissidia in causa fuere, ut populi jura sibi usurparint Principes sæculares, tolerante, ac quandoque etiam expresse consentiente Ecclesia. Ast inde iterum orti sunt abusus multi, præsertim ob introductas laicales investituras. Quare sæculo XII in ecclesia Græca electio cœpit reservari solis Episcopis; in Latina vero, solis Capitulis cathedralibus. Cum tamen mala ingentia Ecclesiæ inferrent ipsi electores, ineunte sæculo XIV, justissimis de causis, electionem Episcoporum SS. Pontifices sibi reservarunt.

313. Equidem quoad *Germaniam* Nicolaus V, in Concordato inito anno 1447 cum Frederico Imperatore et Principibus Germaniæ, Capitulis ecclesiarum cathedralium concessit jus sibi eligendi Episcopum juxta Decretalium formam, ita tamen ut electi confirmatio ad Pontificem pertineret.

In *Borussia* idem servatur (Cf. *Conc. anni 1821*).

Postea autem aliquas in Episcoporum electionibus partes denuo consecuti sunt multi Principes sæculares. Nimirum per Concordata obtinuerunt a Sede apostolica jus nominandi, id est, S. Pontifici præsentandi et designandi quos optant eligi ac constitui in Episcopos.

Ex Concordatis hoc sæculo initis constat nominationem concedi Regi in regionibus catholicis; Capitulis vero in acatholicis, aliqua tamen indulta parte Principibus, quod attinet personas eligendas.

In pluribus porro regionibus S. Sedes omnino libere ipsa Episcopos constituit, facta interdum, ut in *Hibernia*, prius propositione aliquorum, v. g. trium, sc. dignissimi, dignioris, digni, a clero diœcesis, vel præcipua cleri parte.

Quoad *Regnum Sardiniæ* Nicolaus V anno 1451 Ludovico Duci promisit, se non provisurum ecclesiis cathedralibus, *nisi habitis prius intentione et consensu* ipsius

Ducis de personis idoneis ad earum regimen suscipiendum. Pius vero VI, anno 1791 Amædeo Regi *jus nominandi personas idoneas* ad ecclesias cathedrales vacantes concessit.

In *America septentrionali* Episcopi provinciales quosdam idoneos viros S. Pontifici commendant, a quo dignior Episcopus constituitur.

In *Anglia* post feliciter restitutam ecclesiasticam hierarchiam anno 1850, Capitula tres eligunt viros idoneos, quos Episcopis provincialibus præsentant, et hi proprium emittunt votum, quod S. Pontifici pro collatione exhibetur.

In *Regno Neapolitano,* juxta Concordatum anni 1818 inter Pium VII et Ferdinandum I, in Hispania, Bavaria Rex nominat Episcopos, et Pontifex eos confirmat et instituit.

Quoad *Austriam,* in Concordato anni 1855 inter Pium IX et Imperatorem Franciscum Josephum sic statutum fuit, art. 19 : *Majestas sua cæsarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii apostolici... canonice instituendos præsentat, seu nominat, imposterum quoque Antistitum in primis comprovincialium consilio utetur.*

In *Russia* ex Concordato inter Pium IX et Nicolaum I anno 1847 inito, Pontifex et Imperator *communicatis consiliis* designant Episcopum, qui dein a Papa canonicam recipit institutionem.

In *regionibus infidelium* et in *Vicariatibus Apostolicis* solus Papa Episcopos et Vicarios Apostolicos constituit, et idem in *Ditione Romana* servatur.

Quoad *Gallias,* in Concilio Lateranensi V, Leo X, abrogata Pragmatica sanctione anni 1438, approbavit Concordatum anni 1516, quo Episcoporum nominationem concedebat Regi, eorum autem provisionem, id est, electionem et confirmationem sibi reservabat; quod re-

novatum fuit in Concordato anni 1801, art. 5. Cf. supra n. 72.

In *Alti Rheni* et *Belgici Regni* provinciis per Concordatum 1827, inter Leonem XII et Guilielmum I, Capitulis tribuitur facultas Episcopos eligendi; sed exitum non habuit Belgicum Concordatum, propter malam fidem, qua Gubernium in exequendis pactionibus utebatur. Hodie constitutio Episcoporum unice spectat ad Sedem apostolicam, independenter ab omni interventu sive Capitulorum, sive etiam Gubernii, ut liquet ex art. 16. Constitutionis anni 1831, citato supra n. 152.

B. De confirmatione Episcopi.

314. Præsentatus a patrono, vel nominatus a gubernio civili nullum jus obtinet ad Sedem episcopalem. Electus vero acquirit *jus ad rem,* ita ut electores electionem propria auctoritate rescindere, ac alium eligere nequeant, nisi propter causas canonicas.

Attamen electus in Episcopum nihil jurisdictionis, nec in spiritualibus, nec in temporalibus, multo minus aliquid ordinis episcopalis consequitur; nullumque proinde actum episcopalem exercere valet, cujusvis rationis obtentu. Oportet ergo ad electionem accedat *confirmatio,* seu *canonica institutio,* quæ est actus R. Pontificis electionem approbantis et validantis. L. I. tit. 6, cap. 5 *in 6.*

315. Antiquitus confirmatio de jure communi a superiore immediate petenda erat : id est, confirmatio Patriarchæ a Papa, Archiepiscopi a Patriarcha vel Primate, Episcopi ab Archiepiscopo. Verum quemadmodum per reservationes pontificias, aut Concordata, passim Capitula cathedralia exciderunt a jure eligendi, ita et per eadem Metropolitæ et Patriarchæ a jure confirmandi et consecrandi, quod ad Pontificem, a quo olim discesserat, re-

meavit. Ex *Regula II Cancellariæ* S. Sedi reservantur provisiones omnium ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum, et etiam patriarchalium.

Constans fuit consuetudo, ut electi ad Sedem etiam patriarchalem quantocius peterent a R. Pontifice *litteras formatas* (*a*) in suæ electionis confirmationem; quæ confirmatio canonicæ institutioni æquiparabatur.

316. « In præsenti rerum statu, ait Ben. XIV, *de Syn.* L. II. cap. V, 3, et pro ea quæ nunc viget in Ecclesia disciplina, episcopatus (extra Germaniam) conferuntur a Papa in consistorio, aut omnino libere, aut prævia nominatione Regum et Principum, quibus jus est idoneas personas ad illos nominandi; atque in his postremis ipsamet episcopatus collatio, a Papa facta in consistorio, vim habet electionis simul et confirmationis. »

Confirmatio itaque fit per promotionem in consistorio; sed cum magni Ecclesiæ intersit ut nonnisi idonei Episcopi promoveantur, ad eam procedere non solent Pontifices, nisi præmisso diligenti examine ad normam instructionis Urbani VIII, quæ indicat modum exequendi decreta Tridentini *Sess.* XXIV, cap. 1 *de ref.* et constitutionem Gregorii XIV *Onus apostolicæ* anni 1591.

Examen istud, seu *processus* inquisitionis de promovendi moribus, doctrina, ætate et ceteris omnibus in constitutione citata assignatis, conficitur Romæ ab Auditore Papæ, si agatur de promovendo intra Italiam, aut insulas adjacentes; in provinciis vero conficitur a Legatis, aut Nuntiis Apostolicis, vel his deficientibus, a vici-

(*a*) Per *Litteras formatas* hic intelliguntur litteræ communionis indices, quibus recentis Episcopi ordinatio approbatur; quamvis hoc vocabulo intelligi soleant litteræ laicis vel clericis peregre abeuntibus datæ, ut eorum fidei vel ordinis sint testes.

Formatæ dicuntur a forma speciali, signo, vel sigillo quo muniuntur, ut constet de earum authenticitate.

nioribus Ordinariis, aut aliis idoneis arbitrio S. Pontificis eligendis, si agatur de ecclesiis ultra montes sitis. Informatione facta, processus inde confectus Romam mittitur.

Quibus absolutis, haud a multo tempore solebat processus informationis examinandus tradi Cardinali relatori seu proponenti; atque tum ab ipso, tum ab aliis tribus Cardinalibus, ordinum capitibus, serio expensus et subscriptione roboratus, ab eodem relatore in consistorio referebatur, et fiebat prima propositio, quæ *præconizatio* dicitur, et vicem electionis tenet.

Dein in eodem consistorio, nisi Pontifici expedire videbatur in alterum rem differre, ut melius Cardinales possent dotes candidati despicere, judicium de ipsius idoneitate Cardinalis relator proferebat, quod *propositionem* appellant.

Tandem Pontifex, consultis Cardinalibus, detecto capite, decretum confirmationis emittebat per solemnem formulam : *Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, providemus præfatæ ecclesiæ de persona N. præficientes eum in Episcopum et Pastorem,* etc.

347. Ab aliquanto tempore praxis illa tantisper immutata est, et fieri solent in Consistorio Episcoporum promotiones ut sequitur :

S. Congregatio *super promovendis,* a Benedicto XIV, const. *Ad apostolicæ* anno 1740 instituta, examinat et expendit processum informationis, ac mentem suam R. Pontifici aperit. Si electi vel præsentati digni reperti fuerint, ac R. Pontifici probentur, propositiones pro consistorio concinnantur a substituto et notario ejusdem consistorii, typis mandantur et toti sacro Cardinalium Collegio distribuuntur.

Dein in consistorio proponitur candidatus, non jam ab aliquo Cardinali, ut antea, sed ab ipso R. Pontifice.

Demum post verba : *Quid vobis videtur?* quæ nunc mere cæremonialia sunt, S. Pontifex statim pronuntiat decretum promotionis seu provisionis, per formulam : *Auctoritate omnipotentis Dei,* etc.

Propositio sic facta cum decreto provisionis vim habet *electionis* et *confirmationis*. Cf. Bouix, *de Episc,* T. I. p. 235.

Quando autem nec præsentatio, nec electio locum habent, sed R. Pontifex immediate per seipsum eligit, nominat et promovet, uti in Belgio, servatur norma a Benedicto XIV præscripta; id est, S. Congregatio *super promovendis,* prælıabito diligenti examine, et informationibus sumptis per Nuntium et Metropolitanum, personam digniorem R. Pontifici indicat.

Nominatus a Pontifice in consistorio promovetur eodem modo ac electus et præsentatus.

Facta provisione conficit Vice-Cancellarius *schedulas,* quibus fidem facit de promotione, quibusque utuntur ad conficiendas provisionis bullas.

Expeditur dein authenticum de facta promotione testimonium ad promotum Episcopum. Postmodum in Cancellaria extenduntur et expediuntur bullæ.

318. Episcopus a R. Pontifice confirmatus et institutus, ipso facto omnem nanciscitur potestatem jurisdictionis; ac proinde gradum hierarchicum conscendit, ejusque jurium et honorum, necnon privilegiorum statim particeps existit. Ne quis tamen pro Episcopo habeatur qui Episcopus non sit, cautum est ne Episcopi confirmati possessionem episcopatus capiant, vel ecclesiæ administrationem suscipiant, antequam bullas apostolicas rite expeditas Capitulo cathedrali ostenderint; non quidem ad effectum petendi licentiam a Capitulo, sed ut ei notificent collationem in sui personam factam.

« Ante consecrationem autem ea exercere non possunt

quæ sunt ordinis... ; quamvis committere et delegare valeant alteri Episcopo consecrato facultatem ea omnia in sua diœcesi peragendi, quoniam sola delegatio ad exercendum ordinem est actus jurisdictionis, et non ordinis. » Ben. XIV, l. c. 5.

Provisus a S. Sede non vocatur *Episcopus,* sed *electus in Episcopum* (*Évêque nommé*), usque dum fuerit consecratus.

C. De consecratione Episcopi.

319. Episcopus electus et canonice confirmatus, seu in consistorio provisus, tenetur intra tres menses, a tempore habitæ notitiæ de sua promotione computandos, consecrationem suscipere; alioquin ad fructuum perceptorum restitutionem tenebitur; et si intra totidem alios menses id facere neglexerit, ecclesia ipso jure privatus erit. *Sess.* XXIII, cap. 2 *de ref.*

320. « *Consecratio,* ait Soglia T. II. § 40, est ritus sacer, quo culmen et complementum sacerdotalis ordinis confertur, ut proinde Episcopus consecratus non solum nomine et dignitate, verum etiam potestate ordinis presbyteris antecellat, multaque efficere possit, quæ presbyteri nequeunt, veluti conferre ordines, chrisma conficere, eoque inaugurare ecclesias, altaria consecrare, et hujusmodi. »

Consecratio Episcopi, quemadmodum et confirmatio, est jam ad R. Pontificem devoluta, qui vel ipse institutum consecrabit, vel ad alium Episcopum remittet; praxis autem est, ut deputetur ille quem consecrandus maluerit. Attamen si consecratio Romæ fiat, debet eligere vel Cardinalem, vel unum e quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, excepto tantum casu, quo nemo ex iis oblatum sibi consecrationis peragendæ munus acceptum habeat.

Ad validam consecrationem sufficit unus Episcopus; ad licitam vero requiruntur tres, nisi interveniat pontificia dispensatio.

Consecratio fieri debet die dominico, vel natalitio Apostolorum, vel etiam, si R. Pontifex specialiter id indulserit, festivo de præcepto. Optat autem Trid. l. c. ut « si extra Curiam Romanam fiat, in ecclesia ad quam promoti fuerunt (Episcopi), aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur. »

Controvertitur autem aliquatenus, an ad *validam* consecrationem requiratur, ut consecrandus sit sacerdos; communius tamen affirmatur; sed certum est eum in Episcopum consecrari non posse, qui presbyter antea non fuerit.

Antequam incipiat consecratio, legendæ sunt tum litteræ apostolicæ, seu bullæ provisionis, tum mandatum pontificium quo consecratio alteri demandatur. Dein intra consecrationem, si Romæ non fiat, electus Episcopus præstat R. Pontifici juramentum fidelitatis et obedientiæ coram Episcopo consecratore, idemque facere tenetur in prima Synodo provinciali cui intererit. Trid. *Sess.* XXV, cap. 2 *de ref.*

Consecratione peracta, absolvitur plenitudo perfectioque episcopatus; et matrimonium spirituale inter Episcopum et ecclesiam viduatam, cui præficitur, jam « in electione initiatum, ratum in confirmatione, in consecratione consummatur, » eaque vinculi firmitate, ut, citra R. Pontificis auctoritatem, nonnisi per mortem dissolvi possit. L. I. *Decr.* tit. 7, cap. *Licet, de transl. Episc.* Cf. R. de M. *de Episc.* T. I. p. 322 ss.

§ 4. *De dotibus in Episcopo requisitis.*

321. Qualitates in promovendo ad episcopatum requisitæ enumerantur a Trid. *Sess.* VII, cap. 1 *de ref.*

1° Requiritur ut sit ortus e parentibus catholicis, et habeat natales legitimos, vel fuerit per subsequens matrimonium, aut expressam dispensationem S. Sedis ad episcopatum legitimatus. Const. *Onus apostolicæ.*

2° Ut habeat triginta annos completos; in Gallia autem sufficiunt anni viginti septem.

3° Ut polleat scientia, quæ muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque ut sit Doctor, aut Licentiatus in theologia vel jure canonico; aut saltem publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos declaretur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat. *Sess.* XXII, cap. 2 *de ref.*

Episcopi Italiæ et insularum adjacentium ante consecrationem Romæ examinantur.

4° Ut commendetur vitæ morumque probitate.

5° Ut jam a sex mensibus sit constitutus in sacris ordinibus (*ibidem*), id est, in sacerdotio, ut videtur, ex const. *Onus apostolicæ.* Cf. insuper I. ad Tim. III, 2-7; Tit. I, 7-9.

6° Tandem ut non sit irregularis, vel censuratus, neque plura incompatibilia beneficia absque pontificia dispensatione possideat.

§ 5. *De insigniis et privilegiis Episcopi.*

Tanta est dignitas episcopalis, tantumque dignitatis onus, ut jure meritoque fuerit ab Ecclesia insigniis, prærogativis et privilegiis exornata.

322. *Insignia* Episcopi sunt : scutum gentilitium; vestis talaris coloris violacei; biretum ejusdem vel nigri coloris; galerus cordulis ac floccis sericis coloris viridis ornatus; mitra; baculus; crux pectoralis; annulus in signum matrimonii spiritualis quod cum ecclesia sua, veluti sponsa, Episcopus contraxit.

323. *Prærogativæ.* Vult Concilium Trid. *Sess.* XXV, cap. 6 *de ref.*, ut « Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro et in Capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. »

324. *Privilegia* sunt præcipue sequentia : 1° Episcopus habet privilegium altaris portatilis et capellam in suo palatio; 2° majores ejus causæ criminales a R. Pontifice, minores a Concilio provinciali, vel a deputatis ab illo cognoscuntur; 3° nisi exprimatur, Episcopus non comprehenditur in sententia suspensionis, vel interdicti ipso facto incurrenda.

§ 6. *De potestate Episcopi.*

Qui Episcopus creatur, gravissimum subit onus, angelicis humeris formidandum; unde *nemo sapiens læto creatur animo.* Ast quo gravius imponitur onus, eo etiam major conceditur potestas, quæ solet apud canonistas dividi in triplicem speciem : *ordinis* nempe, *jurisdictionis* et *legis diœcesanæ.*

A. De potestate ordinis.

325. Potestas ordinis est illa, quæ characteri episcopali annexa est, in ordine ad conficienda et administranda sacramenta, aliasque functiones episcopales obeundas. Acquiritur consecratione, et semel accepta nunquam amittitur. Consistit potissimum in tribus, sc. in potestate *confirmandi, ordinandi* et *consecrandi,* qua Episcopus fungitur tanquam Summus Sacerdos, seu Pontifex.

Episcopum esse ministrum ordinarium *Confirmationis,* eumque, secundum communiorem sententiam, facultatem confirmandi simplici sacerdoti, citra S. Sedis

licentiam, saltem tacitam, committere non posse, probat Theologia Mechl. *de sacr. confirm.* n. 7.

De potestate *ordinandi* ex professo agimus infra Parte II, ubi *de sacris ordinationibus.*

Potestas *consecrandi* explicatur per confectionem chrismatis, oleique infirmorum; benedictionem Regum, abbatum et abbatissarum, sanctimonialium; consecrationem ecclesiarum, altarium, cœmeteriorum, eorumdemque reconciliationem; consecrationem calicum, benedictionem pariter sacrorum vasorum, necnon vestium et paramentorum ad sacrificium, campanarum, ceterorumque hujusmodi, in quibus intervenit sacra unctio.

B. De potestate jurisdictionis.

326. Potestas jurisdictionis episcopalis illa est, quam Episcopus exercet ut doctor, rector et judex, id est, ut verus pastor suæ diœcesis.

327. Jurisdictio Episcopi præsertim duplex distinguenda est: nempe *ordinaria,* quæ muneri episcopali annexa et propria est, et propter quam *ordinarius* dicitur; et *extraordinaria,* quæ muneri episcopali lege aut privilegio adjuncta fuit, quæque a *quasi-ordinaria* et *mere delegata* aliquatenus differt.

328. Nulli dubium esse potest, quin jurisdictio episcopalis ordinaria sit. Quamvis enim Episcopus dici possit *assumptus in partem sollicitudinis pontificiæ,* eo sc. sensu quod limitata jurisdictio in determinata diœcesi ei committatur; quamvis insuper potestas ejus sit subordinata primatui, saltem quoad usum et exercitium, non est tamen Papæ *delegatus* ac *vicarius,* ut effutiebat de Dominis, sed tanquam *verus Pastor* et *Princeps ordinarius* diœcesim *proprio nomine* gubernat ac regit.

a/ Munus episcopale est ab ipso Christo præceptum,

qui voluit ecclesias ita per Episcopos tanquam proprios pastores regi, ut R. Pontifex officia episcopalia abrogare et omnes diœceses per simplices presbyteros regere non valeat.

b/ Illi pastores proprii habentur, qui suo nomine suoque jure, non alieno, ecclesias regunt, et qui non possunt munere adepto privari, nisi sponte loco cedant, vel judicio canonico propter delicta exauctorentur, aut tandem ob urgentem Ecclesiæ necessitatem potestate S. Sedis amoveantur. Atqui procul dubio talis est conditio Episcoporum, ut variis locis vidimus; ergo, etc.

c/ Est certum et essentiale discrimen inter Episcopos et Vicarios Apostolicos; dicit enim Pius IX in litteris *Universalis Ecclesiæ,* quibus hierarchiam in Anglia restituit anno 1850, illos ad formam *ordinarii regiminis episcopalis* constitui, hos vero pro *extraordinario ministerio.* Jam vero aliud inter eos discrimen esse nequit, nisi quod Episcopi sint pastores proprii et ordinarii; Vicarii vero Apostolici delegati et extraordinarii.

d/ Juxta constantem traditionem assuetumque loquendi modum Episcopi dicuntur *Patres, Antistites, Principes* populi christiani, *Vicarii Christi, successores Apostolorum;* quis autem putaverit Præsules his titulis, tantoque ministerio insignitos esse mere delegatos, nuda commissione ad nutum revocabili curæ gregis præpositos?

329. Hæc ordinaria Episcopi potestas se porrigit :

a/ 1° In clericos, quoad ea quæ vitæ honestatem et ecclesiæ servitium respiciunt. De hoc sermo redibit ubi *de clericis generatim, de parochis* et alibi.

b/ 2° Item in moniales et regulares non exemptos (*infra*).

3° In regulares, etiamsi privilegio apostolico exemptos, quoad curam animarum et sacramentorum administrationem. Cf. Ben. XIV, const. *Firmandis.* (*Bull.* vol. II, p. 449) et *infra.*

4° In confraternitates. Remissive ad tr. *de locis sacris.*

De Prælatis exemptis, quasi-episcopalem jurisdictionem habentibus, et de diœcesibus *nullius,* sermo erit inferius.

5° In laicos, quantum ad res sacras atque divinas.

6° An et quatenus Episcopis potestas sit in peregrinos et vagos, dicitur in tr. *de ordine* et de *legibus,* et pauca habentur *infra.*

330. Præter jurisdictionem ordinariam, et quasi-ordinariam, habet Episcopus ex jure potestatem *extraordinariam,* vel pro expediendo negotio, quod ex ordinaria potestate non valet peragere, et tunc designatur clausula : *tanquam Sedis apostolicæ delegatus,* seu *potestate apostolica;* vel pro tractando negotio, quod etiam jure ordinario tractare potest; et tunc adhibetur clausula : *etiam tanquam Sedis apostolicæ delegatus,* seu *etiam auctoritate apostolica.*

Praxis est, ut ultimo hoc casu Episcopus exprimat qua auctoritate procedat; ast dum hoc non observat, et dubium est qua potestate uti voluerit, ex doctrina canonistarum censetur voluisse uti delegata.

Hujusmodi autem potestas Episcopis potissimum concessa est, ut facilius procedere valeant contra regulares ab eorum jurisdictione exemptos,

Ut postulat rei gravitas, ad particularia quædam descendamus oportet; ideo speciali § tractabimus infra de officiis et juribus Episcopi primo ex ordinaria, dein ex delegata potestate.

C. De potestate legis diœcesanæ.

331. Potestas legis diœcesanæ late sumpta est jus Episcopi ad aliquam rem petendam recipiendamque.

Ex communi doctorum sententia illud interest inter

potestatem jurisdictionis et legis diœcesanæ, quod illa in *faciendo,* vel *dando* consistat, id est, quod ad eam pertineant illa quæ Episcopus aliis dare seu conferre debet; ista vero in *recipiendo,* seu *in passione dulci,* ut quidam aiunt.

Jurisdictione episcopali tenentur omnes ecclesiæ, tam sæculares, quam regulares, quæ sitæ sunt in diœcesi, et non sunt specialiter exemptæ. A lege diœcesana vero ipso jure eximuntur ecclesiæ regulares, seu monasteria, etsi alias jurisdictioni Ordinarii subjiciantur.

332. De facto *legis diœcesanæ potestas* tota quanta fere consistit in privilegiis et juribus realibus, quæ a lege diœcesana promanant, quæque debentur Episcopo ad faciliorem muneris sui executionem. Hujusmodi sunt :

1° *Cathedraticum.* Est certa pensio quæ a beneficiatis annuatim Episcopo solvitur in signum subjectionis, et in honorem cathedræ episcopalis. Vocatur etiam *synodaticum,* vel *pensio paschalis,* quia quibusdam in locis exigebatur in Synodo, quæ plerumque post Pascha celebrabatur. Alibi vero solvebatur in visitatione diœceseos. Jus istud, quo nullum ferme antiquius, non sustulit Tridentinum, *Sess.* XXIX, cap. 3 *de ref.;* attamen voluit ut non exigeretur in visitatione, sed vel in Synodo, vel alio tempore. In pluribus regionibus solvitur in congregationibus decanorum. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. V. cap. VII, 1 et 9.

2° *Subsidium charitativum.* Est moderatum auxilium, seu præstatio quam Episcopus charitatis nomine exigit a clericis et ecclesiis sibi subjectis, ad periculum aliquod depellendum, gravemque necessitatem evitandam; ut ad reparandas quasdam expensas necessarias, ad solvendum æs alienum episcopatus, etc.

3° *Procuratio canonica.* Hæc tribuitur Episcopo diœcesim visitanti, et comprehendit decens hospitium, ali-

menta, ceteraque necessaria, aut certam pecuniæ summam, quæ nunc, modo sit sponte data, illorum loco accipi potest. Cf. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 3 *de ref.*

4° *Quarta decimationum, seu decimarum, et quarta mortuaria, seu funeralium,* quæ et *portio canonica* dicitur. Erat certa pars, et communiter quarta pars earum rerum, quæ ecclesiæ aut alii loco pio relinquuntur. Hodie fere ubique hæc portio consuetudine sublata est.

5° *Census.* Hoc loco accipitur pro certa pecuniæ summa, ex redditibus ecclesiæ, monasterii, vel beneficii Episcopo solvenda, in signum subjectionis, exemptionis aut fundationis. Cf. Devoti, L. II. tit. 15.

Tributa sub 1°, 2° et 4° indicata *exactiones* vocantur a jure, eæque vel *ordinariæ* sunt, vel *extraordinariæ.* Exactiones ordinariæ sunt cathedraticum et portio canonica; extraordinaria vero subsidium charitativum.

§ 7. *De officiis et juribus ordinariis Episcopi.*



333. Potestas ordinaria Episcopi referri potest generatim ad doctrinam christianam seminandam et defendendam; ad tuendam disciplinam ecclesiasticam, resque sacras et ecclesiasticas gerendas.

Docet enim Concilium Tridentinum *Sess.* XXIII, cap. 1 *de ref.* « præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre, verbi divini prædicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere. »

Ex his facile deducuntur præcipua Episcoporum officia et jura.

Nomine *Officii* hoc et similibus locis (v. g. ubi de pa-

rochis et clericis generatim) intelligitur actio, seu functio, vel actionis omissio ad quam ex jure quis obligatur, quæque propterea sæpe *obligatio* vocatur.

Officia seu obligationes Episcoporum, præter ea quibus in die consecrationis astringuntur, præcipua sunt : *docere, regere* et consequenter *residere* ac *diœcesim visitare, sacrificium offerre, sacramenta,* potissimum confirmationis et ordinis, *administrare.*

Nomine *Juris* hic venit facultas moralis et legitima aliquid agendi vel exigendi, id est, potestas ad rem aliquam obtinendam, vel ad ejus usum, vel ad aliquam functionem, vel quasi-functionem, vel functionis negationem, in commodum proprium vel bonum subditorum.

Hinc jura Episcoporum distinguuntur in *publica,* seu ad externum ecclesiæ regimen pertinentia, et *privata,* seu personam ipsius Episcopi spectantia. De ultimis diximus statim ubi *de potestate diœcesanæ.*

Publicorum jurium duplex est genus, quorum primum ea jura complectitur quæ ex *contentiosa* jurisdictione fluunt, sc. jus *jubendi, judicandi* et *puniendi.* Alterum vero ex iis juribus constat, quæ ad *voluntariam* jurisdictionem spectant : sc. jus *dispensandi* et jus *administrandi.*

A. De officio et jure docendi.

334. Episcopus titulo *doctoris* et *pastoris* jus et officium habet *docendi et sanam doctrinam tuendi.* Hoc præcipium esse Episcopi munus, declarat post S. Paulum, 1 Cor. 1, 18, Synodus Tridentina *Sess.* v. cap. 2 *de ref.;* et idcirco ecclesia ejus *Cathedralis* vocatur.

Hinc Episcopi est : *a/* prædicare in ecclesia cathedrali per se, vel per alium, *quo frequentius possit;* in aliis vero ecclesiis, per parochos, vel iis impeditis, aut eorum defectu, per alios, diebus dominicis et festis solemnibus.

Cf. Tridentinum l. c.; *Sess.* XXIV, et *Sess.* XXIII, cap. 18 *de ref.* Hanc tamen Tridentini legem quoad Episcopos consuetudo moderata est, ut docet S. Alph. L. IV. n. 269.

b/ Curare ut, saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueri in singulis parochiis doctrinam christianam doceantur. Trid. *Sess.* XXIV, cap. *4 de ref.*

c/ Prædicatores approbare, eosque in suam diœcesim tum mittere, tum admittere. Idcirco præter parochos, quibus jus est et officium gregem sibi commissum pascendi verbo Dei, nulli sæculari fas est sine venia Episcopi prædicare. Ipsimet regulares in ecclesiis suorum ordinum ultra licentiam superiorum suorum, petere tenentur Episcopi benedictionem; extra eas vero indigent licentia, et superiorum, et Episcopi. Nullus autem sive sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat. Trid. ll. cc.; Stat. diœc. p. 111 s.

d/ In seminariis et collegiis clericorum magistros designare, aut approbare, eaque præscribere, quæ ab ipsis doceri debeant. Hi enim professores vices ejus gerunt, et sub ejus regimine et inspectione alumnos docent.

335. Sed quodnam est jus Episcopi quoad doctrinam christianam in athenæis, gymnasiis, scholis mediis et primariis tradendam? An ibidem tradi potest a laicis absque delegatione episcopali?

Ut quæstio rite solvatur distinguendum est inter magisterium doctrinæ christianæ *privatum* et *publicum*.

Privatum illud est, quod exercetur absque missione ecclesiastica, et ad privatas personas restringitur. Istud omnibus christianis competit, et quibusdam, ut parentibus, injungitur. Unica hic servanda occurrit regula, nimirum ut rite exerceatur.

Publicum vero illud est, quod ex missione superioris ecclesiastici, vel saltem de ejus consensu, exercetur a

magistro, tanquam auctoritatem habente in alumnos. Istud a Christo solis commissum fuit Apostolis eorumque successoribus; competit itaque solis ministris Ecclesiæ eorumque delegatis.

1 Hinc magistri laici, quamvis in prædictis scholis catechismos etc. prælegere valeant, doctrinam tamen christianam ipsi tradere nequeunt absque Episcopi delegatione; magisterium enim quod exercent ad publicum referendum est, siquidem alumni ibi in unum congregentur sub magistri regimine et auctoritate, isque tanquam auctoritatem habens eos doceat.

2 Utrum vero regulariter jus habeat Episcopus cavendi, seu exigendi, ut nullus professor assumatur absque ejus approbatione quoad fidei professionem et mores, ut nulli adhibeantur libri nisi approbati, ut regulæ disciplinares prius approbentur, tanquam idoneæ et conformes religiosæ institutioni, dubitarunt quidam; sed jus istud Episcopo recognoscendum est. Fides enim et mores professorum, eorum idoneitas ad veritates fidei et morum animis alumnorum verbo et exemplo inculcandas, librorum et regularum conformitas cum religiosa institutione, recte dijudicari non possunt nisi a ministris Ecclesiæ. Hæc autem requiruntur ad debitam scholarum constitutionem et consequenter in his quoque requiritur prævia Episcopi approbatio.

Hæc ratio est cur Pius IV, const. *In sacrosancta* anni 1564 statuerit ut « deinceps nullus doctor, magister, regens, vel alius *cujuscumque artis ac facultatis* professor, *sive clericus, sive laicus,* ..... in quibusvis studiorum generalium universitatibus, aut *gymnasiis publicis,* aut *alibi,* ..... publice, aut privatim quoquo modo profiteri, seu lectiones aliquas ..... habere vel exercere ..... valeant, nisi ..... fidem catholicam verbis ..... palam et solemniter profiteri teneantur. »

Quam longe hæc distant a praxi hodierna! Optandum certe foret, ut ubique locorum institutio juventutis Concordato ordinaretur. Cf. Daris, vol. I. n. 262 s.

Apud nos fidei professio emittitur a professoribus majoris seminarii;

e/ Approbare vel prohibere libros de rebus sacris; ut dicetur in tr. *de libris prohibitis*.

f/ Vigilare ne per magistros in scholis privatis, vel publicis, doctrina fidei morumque corrumpatur, et pravas opiniones condemnare.

Abstinere autem debet Episcopus a definiendis quæstionibus circa fidem et mores, quæ inter probatos auctores controvertuntur; quia ejusmodi definitio S. Sedi reservata est. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. VII. cap. I ss.

Nihilominus potest circa quasdam controversias silentium imponere diœcesanis, donec saltem causam detulerit ad S. Sedem, si prævideantur scandala oritura cum periculo caritatis et fidei. Potest etiam opiniones proponere et commendare, necnon docere alias præ aliis esse magis salutares, et professoribus seminarii injungere ut tales præ aliis doceant; sed ita tamen ut, quod dubium est, neque ut doctrina certa vel catholica tradatur, neque censura theologica notetur.

B. De officio et jure regendi.

336. Episcopus qua *rector* et *judex* jus habet et officium *tuendi in diœcesi sua disciplinam ecclesiasticam*. Incumbit Episcopo legum ecclesiasticarum observantiam procurare; dignitati cultus publici providere, et invigilare potissimum ut clerici præscriptos ab Ecclesia ritus in celebratione mysteriorum et sacramentorum administratione rite observent; bonos mores promovere; vitia, sive cleri, sive populi, corrigere; abusus tollere; verbo

quidquid ad cultum divinum et bonum spirituale gregis sibi commissi confert, diligenter curare, atque iis, uti oportet, providere.

Cum vero Episcopi istis sui officii muneribus rite fungi non possint, nisi gregi suo invigilent atque assistant, debent

337. *a| In diœcesi sua residere;* id est, apud suam ecclesiam cathedralem, vel saltem in diœcesi commorari. Potest tamen quotannis Episcopus, modo id fiat ex æqua causa, et absque ullo gregis detrimento, et non tempore majorum solemnitatum, per duos, vel ad summum tres menses, sive continuos, sive interruptos, a diœcesi abesse.

Præterea aliæ dantur legitimæ absentiæ causæ : sc. *convocatio Concilii provincialis; visitatio SS. Liminum; christiana charitas,* v. g. si qua ecclesia in magno hæreseos discrimine versaretur et opem illi ferre posset, vel si ipsius mediatio esset necessaria ad componendam pacem, etc.; *urgens necessitas,* v. g. si Episcopus vita periclitaretur ob morbum, aeris inclementiam, persecutionem personalem, etc.; non vero propter generale periculum, ut tempore contagii, etc.; *debita obedientia,* scilicet cum R. Pontifex Episcopum aliquem advocat, ut ei negotii alicujus curam demandet; *evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas,* ad jura ejus defendenda. S. Lig. L. V. cap. II, n. 125. Requiritur autem ut ultimæ hæ causæ sint approbatæ a R. Pontifice. Ben. XIV, const. *Ad universæ* anni 1746.

Si Episcopus contra legem residentiæ graviter delinquerit, præter mortalis peccati reatum, graves incurrit pœnas canonicas, quas indicat Trid. *Sess.* XXIV, cap. 1, *de ref.* Cf. etiam *Sess.* VI, cap. 1.

Quo vero jure, divinone, an ecclesiastico tantum, Episcopus residere teneatur, dicetur in tr. *de beneficiis.*

338. *b| Visitare diœcesim.* Cum sollicitudo Episcopi

non tantum ad partem, sed ad totam diœcesim sese extendere debeat, mandat Trid. *Sess.* XXIV, cap. 3 *de ref.*, « ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani et Episcopi propriam diœcesim *per seipsos*, aut si legitime impediti fuerint, *per suum Vicarium Generalem*, aut *visitatorem*, si *quotannis* totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota *biennio* per se, vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. » Concilii verba satis indicant agi de obligatione personali, cui Episcopi non possunt tuta conscientia satisfacere per delegatum, nisi fuerint legitime impediti. Apud nos propter diœcesis amplitudinem difficillimum foret totam diœcesim biennio visitare; quapropter a mente Tridentini non recedunt Episcopi, qui singulis quadrienniis visitationem totius diœcesis complent; eo vel magis quod provide in diœcesi Brugensi statutum sit, ut decani semel saltem singulis quadrienniis omnes parochias sui districtus solemniter, et quoties id ipsis expedire visum fuerit absque solemnitate, visitare teneantur. Cf. Stat. diœc. p. 42.

Scopus visitationis eamque instituendi modus indicantur a Tridentino, *Sess.* XXIV, cap. 3 *de ref.* « Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus et admonitionibus ad Religionem, pacem innocentiamque accendere; cetera prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.

« Quæ ut facilius feliciusque succedant, monentur prædicti omnes et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere, etc. »

Visitantur autem ab Episcopo jure proprio omnes ecclesiæ quibus cura pastoralis annectitur, modo visitatio non se extendat ad observantiam regularem, sed tantum ad ea quæ sunt muneris pastoralis; dein jure delegationis, seu tanquam a S. Sedis delegato visitantur ecclesiæ exemptæ, monasteria quoque commendata, abbatiæ, prioratus, præposituræ, hospitalia, collegia et sodalitia etiam laicorum, exceptis illis quæ sub immediata Regum protectione sunt; imo ecclesiæ *nullius* diœcesis, quas Episcopo viciniori commisit Tridentinum *Sess.* XXIV, cap. 9 *de ref.*

Quando in visitatione Episcopus, ut regulariter facere debet, procedit adversus aliquem ad ipsius correctionem, absque strepitu judicii, non datur appellatio ad S. Sedem cum effectu *suspensivo,* sed cum *devolutivo* tantum; quia non procedit ut judex, sed ut pater et medicus. Secus si servet formam judicialem; quod per exceptionem locum habere potest, cum gravis est orta contra visitatos infamia et scandalum, vel adest præjudicium tertii.

C. De reliquis Episcoporum officiis.

339. Non postremum Episcopi officium est *orare et sacrificium Missæ offerre* pro populo; ad hoc docente Tridentino ex præcepto divino tenetur.

Quibus diebus, vel quoties in anno Episcopus offerre Sacrificium pro ovibus suis debeat, nec divino, nec humano jure definitum est. Moralistarum et canonistarum non una est hac de re sententia. « Si autem parochi, ait S. Alph. L. VI. n. 326, tenentur in dominicis et festis de præcepto missam celebrare, et applicare pro populo, tanto magis ad id tenentur Episcopi, tanquam principaliores animarum pastores. »

340. Debet etiam Episcopus *ordines conferre* (infra),

et sacramentum *confirmationis* ministrare tempore congruo; id est, non singulis quidem annis tenetur confirmare; sed graviter peccat, si longo tempore differat. Longum autem tempus efficiunt octo vel decem anni, ut tenet Croix apud S. Alph. L. VI. n. 175. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. XIX, 6 ss.

341. Insuper *administrare sacramenta* baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ-unctionis diœcesanis suis tenetur Episcopus, tanquam pastor primarius diœcesis, in casu necessitatis, dum non adest sacerdos qui ea ministret. Cf. Ben. XIV, *ibidem.*

342. Debet quoque Episcopus olea sacra conficere in Cœna Domini; curam suscipere pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum; monialium regimini et clausuræ sedulo invigilare; sontes clericos punire; pacem fovere; Religionem quam maximo possunt zelo et alacritate defendere, et divinis officiis interesse.

343. Tenetur quotannis *Synodum celebrare.* Vide infra.

344. Tandem tenetur *visitare Limina Apostolorum.* Sixtus V in const. *R. Pontifex* anni 1585 jubet, ut Episcopi et alii majores ecclesiarum Prælati ..... jurent se BB. Apostolorum Limina, præscriptis in ea constitutione temporibus, personaliter visitaturos, aut si legitime impediti fuerint, per nuntium ad id specialiter ablegandum; dein definit stata annorum intervalla, regionum distantiæ accommodata, ad Romanum iter instituendum: Itali, vel qui sunt ex italicis insulis, ut Sardi, Siculi, Corsi, *tertio* quovis anno; Galli, Germani, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, *quarto;* ceteri Europæi et Africani *quinto;* Asiatici (ab an. 1631 etiam Hiberni), et si qui remotiores, *decimo* quoque anno Romam pergent, suam visitationem decenter peracturi; tandem præscribit modum quo hæc visitatio est peragenda.

Tres autem potissimum actus complectitur hæc visita-

tio : nempe *a/* materialem SS. Liminum visitationem, pro qua debet Episcopus adire Basilicas SS. Petri et Pauli de Urbe, ibique eorum reliquias venerari; *b/* exhibitionem debitæ obedientiæ ac reverentiæ S. Pontifici, tanquam supremo orbis catholici Capiti et Pastori; *c/* relationem status ecclesiæ suæ, quam facit Episcopus oretenus S. Pontifici, et scripto S. Congregationi *de residentia Episcoporum.*

Referunt autem Episcopi de statu tum *materiali,* tum *formali* ecclesiæ suæ. Juxta instructionem sacræ Congregationi Concilii a Benedicto XIII præscriptam, relationis capita sunt sequentia : 1m respicit statum ecclesiæ materialem; 2m personam referentem; 3m clerum sæcularem; 4m clerum regularem; 5m moniales; 6m seminarium; 7m ecclesias, confraternitates et loca pia; 8m populum; 9m et ultimum postulata, quæ a referente sacræ Congregationi proponuntur.

Ad visitationem SS. Liminum absolvendam Episcopis Italis quatuor, ultramontanis septem menses regulariter concessit Urbanus VIII, const. *Sancta Synodus,* an. 1634.

Episcopi, qui legitimo detinentur impedimento, Romam virum ecclesiasticum debito mandato instructum mittere compelluntur, qui ipsorum vices gerat.

D. De jure jubendi.

345. Episcopus est *legislator* in sua diœcesi; potest igitur *jubere et condere decreta quæ vim legis habeant.*

Probatur *a/ ex S. Scriptura.* Matth. XVIII, 18, dicit Christus Apostolis et successoribus eorum Episcopis : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo;* et Act. Apost. XX, 28 : *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* jam vero leges sunt vincula illa moralia et media, quibus regere debent Episcopi po-

pulum sibi commissum; ergo ex divina institutione jus habent leges ferendi.

b/ Ex necessitate ecclesiarum. Præter leges generales, quibus universæ Ecclesiæ providetur, requiruntur in singulis ecclesiis statuta particularia, quibus morum diversitati debite consulatur; jam vero nemo melius ac Episcopus novit quid mores incolarum, temporum opportunitas, et peculiares loci circumstantias exposcant; ergo, etc.

c/ Ex traditione. Constans est praxis ecclesiarum, ut Episcopi jure proprio præscribant, quæ ad utilitatem et necessitatem diœcesis referre videntur.

d/ Ex sensu communi catholicorum. « Nemo catholicorum negat, ait Soglia, *jus publ.* § 55, et Episcopis jus esse jubendi seu ferendi leges, et unumquemque debere sui Episcopi legibus obtemperare. Quocirca Apostolus fidelem populum monuit : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

346. Potest autem Episcopus leges condere; mandata edere et statuta ad mores reformandos, sive cleri, sive populi; ad disciplinam restaurandam; ad cultum divinum promovendum; ad preces publicas aut privatas indicendas, et generatim ad bonum regimen diœcesis procurandum; sed in iis nec jus commune in Ecclesia vigens, nec jus provinciale offendere, vel ei quomodocumque derogare potest; inferior enim subjacet legi superioris. Quinimo fas non est Episcopo confirmare statuto consuetudinem, etiam legitimam, juri communi contrariam, ut docet Ben. XIV *de Syn.* L. XII. cap. VIII, 8.

Unde in usu potestatis episcopalis regulæ et modi servandi sunt, quos sacri canones posuerunt. His servatis, potest Episcopus ferre leges, sive intra, sive extra Synodum.

347. Apud canonistas certum est synodales constitutiones perpetuas esse, hoc sc. sensu, quod sint regulæ stabiles, præpositæ communitati, quæ moraliter eadem perseverat; ideoque in suo robore permanere, quamvis Episcopus, a quo editæ sunt, e vita decesserit, aut se episcopatu abdicaverit, aut ad aliam fuerit translatus ecclesiam. *Perpetuas,* inquam, non *immutabiles,* quia ab ipso legislatore, aut ejus successore, vel legitima consuetudine deleri, abrogari aut immutari possunt.

Si autem leges ab Episcopo latæ fuerint extra Synodum, eas expirare morte ejus volunt non pauci. Verum, cum hujus sententiæ auctores nullum textum juris allegent, assentimur iis qui etiam has perpetuas esse affirmant; tum quia de essentia legis est perpetuitas in eo scilicet sensu, quod semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu communitas cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiæ pro quibus lata est, ut fuse explicat Suarez, L. I. *de leg.* cap. 10; tum quia Episcopus habet curam ordinariam, in qua manifeste potestas legislativa includitur, et quia omnes leges, eæ quoque quæ intra Synodum feruntur, ab eodem Episcopo vim omnem accipiunt.

§ E. De jure judicandi et puniendi.

348. Catholicorum nemo dubitat, quin Episcopus debeat in sua diœcesi promovere observantiam legum juris communis et particularis sui territorii; ei itaque necessario competit potestas judicandi et coercendi. Cf. *supra* n. 121 ss. 124 ss.

Cognoscit autem et definit in prima instantia causas ordinarias ad forum ecclesiasticum quoquo modo pertinentes, etiamsi beneficiales sint, itemque matrimoniales et criminales. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 20 *de ref.*

Quod ad potestatem punitivam spectat, Episcoporum est non modo monitionibus, verum etiam, ubi hæ non prosunt, censuris, pœnis canonicis, mulctis, pœnitentiis criminosos et contumaces coercere. Ast in usu suæ potestatis, præsertim in pœnis infligendis, servet regulas prudentiæ propositas a Ben. XIV, *de Syn.* L. V. cap. III, 7; L. VII. cap. XI, 9; L. X. cap. I ad IV, et aliis in locis.

F. De jure dispensandi.

349. Incidunt sæpe justæ causæ propter quas privati homines aliqua lege solvuntur; « quia, ut scribit *Symmachus Papa ad Avitum Viennensem,* quod fit præter regulam, modo sit *ex justa causa,* non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione et observanti diligentia sunt custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset si prævidisset; et sæpe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videtur; quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant. » Cf. Dens, *de leg.* n. 63.

350. Itaque potestate *pure ordinaria,* seu ex sola vi officii, semper valide, et justa interveniente causa, etiam licite, Episcopi dispensant vel cum seipsis, vel cum suis subditis, in legibus sive a se, sive ab eorum prædecessoribus, vel in Synodo diœcesana, vel extra Synodum latis.

Minime vero valent Episcopi, ut vidimus supra n. 155, leges juris seu disciplinæ universalis relaxare; « et hæc restrictio, ait *Arch. Trev. ad Imp. Josephum II,* non a quadam humana reservatione profluit, sed a lege naturali, quæ leges superioris ab inferiorum potestate eximit. »

551. Quia tamen tales occurrunt circumstantiæ, ut sine detrimento tum privatorum, tum Ecclesiæ ipsius, pontificia dispensatio exspectari non possit, ideo Episcopi non totius diœcesis, vel alicujus communitatis gratia, sed pro privatis personis tantum, jus commune relaxandi quandoque habent potestatem *quasi-ordinariam,* seu quæ ordinariæ æquiparatur. Ista autem potestas, quam Episcopi subdelegare possunt, non tantum in casu particulari, sed etiam universaliter (S. Alph. L. I. n 193), vario ex fonte profluit; nempe :

1° *Ex dispositione juris.* Sic ex legitima causa « dispensant in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum; » eximunt a lege bannorum; dispensant ab interstitiis initiandos tum minoribus, tum majoribus ordinibus; dispensant illum qui per saltum promotus fuit, modo in eo ordine non ministraverit. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 6 *de ref.* et 1 *de ref. matr.; Sess.* XXIII, cap. 11 et 13 *de ref.* Dispensant in bigamia similitudinaria, L. III. *Decr.* tit. 3, cap. 4 *Sane, de cler. conj.;* dant veniam filiis illegitimis ad minores ordines et ad beneficium simplex, L. I. tit. 11, cap. 1, *de filiis presb. in 6.* Relaxant vota simplicia, exceptis quinque majoribus, nempe : castitatis perpetuæ, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ ad limina Apostolorum et Compostellanæ. Tandem solvunt omnia juramenta in quibus non intervenit ratio justitiæ. Cf. Dens, *de voto,* n. 112, 118, 121; *de juram.* n. 177.

2° *Ex consuetudine.* Consuetudo cum valeat legem ipsam abrogare, a fortiori potest tribuere potestatem eam paulisper per dispensationem moderandi.

Hoc titulo Episcopi dispensant in legibus Concilii provincialis. Cf. supra n. 303.

Dispensant in jejuniis, abstinentiis, recitatione divini officii cum personis particularibus, vel ad breve tempus; festorum observantia et ceteris hujusmodi frequenter occurrentibus, vel pro quibus viget legitima consuetudo.

Relaxant quoque impedimenta mere prohibentia matrimonium, si excipiamus impedimentum ortum *a*/ ex sponsalibus; *b*/ ex voto aut religionis seu ordinis (non excipitur votum ingrediendi congregationem), aut perpetuæ, perfectæ et absolutæ castitatis; *c*/ ex hæresi. Ben. XIV. *Ibid.*

Item omnia impedimenta supervenientia matrimonio, puta affinitatis cum comparte, voti castitatis sive temporalis, sive perpetuæ.

Quinimo contractis nuptiis dispensare queunt in voto perpetuæ castitatis, emisso ante matrimonium.

Animadvertendum autem est ex consuetudine Episcopis potestatem dispensandi in jure communi ampliorem esse in uno loco, quam in alio. Quapropter singulorum locorum consuetudinibus standum est, dummodo debitis sint stipatæ conditionibus. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. cap. II.

3° *Ex delegatione pontificia præsumpta* et *interpretativa,* dispensant in casu urgentis necessitatis, quando periculum est in mora, nec facile potest Pontifex adiri. Officium enim pastorale Episcoporum hoc exigit, ne alioquin oves ipsis concreditæ auxiliis necessariis destituantur. Sic Episcopus,positis ponendis, dispensat in impedimento dirimenti *occulto,* quo laborat matrimonium contractum, aut etiam contrahendum. Cf. Theol. Mechl. *de matr.* n. 101.

Item in legibus latis a Papa pro illa particulari diœcesi, ut tenet S. Alph. L. I. n. 190 contra Suarez L. VI. *de leg.* cap. XIV, n. 10.

4° *Ex natura reservationis,* et *jurisdictionis episcopalis,*

in casu dubii sive juris, sive facti. Quando igitur adest dubium an dispensatio aut absolutio in casu sit reservata S. Sedi; vel an factum hujusmodi sit, ut lex generalis debeat applicari, doctores plurimi tenent licitum esse Episcopis dispensare. Hoc deducunt tum ex natura reservationis quæ odiosa est, adeoque restringenda; tum ex natura jurisdictionis episcopalis, cui in rebus dubiis favendum est; tum denique ex utilitate fidelium, quibus onus S. Sedem adeundi imponendum non est, nisi certis et exploratis de causis. Cf. Soglia, T. I. § 57.

Quinimo probabilistæ docent ne Episcopi quidem dispensationem in dubio requiri, excepto dubio de existentia impedimenti matrimonii. Addunt tamen semper melius esse, ut dubium deferatur ad Episcopum, qui tunc dispenset, vel declaret opus non esse dispensatione.

Verum si constet de reservatione, et dubitetur solum an Episcopus ex peculiari ecclesiæ suæ consuetudine, vel ex indulto habeat potestatem dispensandi, abstinere debet; nam standum est regulæ generali quamdiu non constat de derogatione, et aliunde non convenit ut Prælatus inferior se constituat judicem in propria causa.

Hic per transennam nota Episcopos absolvere posse 1° a quibuscumque casibus papalibus *occultis,* ante Tridentinum reservatis, demptis casibus Bullæ Cœnæ; 2° a levi percussione clerici, ab abortu, effectu secuto, et quibusdam aliis quos vide apud Gury T. II. n. 126.

ut enumerato sit completa . . .

5° *Ex speciali delegatione.* Facultas dispensandi in casibus memoratis est quasi-ordinaria, et omnibus Episcopis communis. Possunt præterea habere potestatem *pure delegatam,* seu ex speciali indulto, quæ, ut plurimum, erit personalis. Sic recipere solent Episcopi facultates quinquennales, quandoque etiam triennales et annales, vi quarum in pluribus dispensare possunt, aut pro foro interno, aut pro utroque. Cf. Dens, *de pœnit.* n. 222.

G. De jure administrandi.

352. Jurisdictio episcopalis ultimo sese explicat per administrationem bonorum ecclesiasticorum; beneficiorum dispensationem et collationem; institutionem et regimen cleri; curam omnium illorum quæ cultum Dei et salutem subditorum promovere possunt.

Itaque Episcopus ex officio et jure invigilat *a/* rectæ administrationi bonorum temporalium ecclesiarum et locorum piorum; *b/* curat piarum voluntatum executionem; *c/* ecclesias et beneficia erigit, supprimit, dividit, unit, servatis sacrorum canonum regulis; *d/* ecclesias parochiales et beneficia suæ diœcesis, nisi fuerint reservata, vel affecta, confert; *e/* eligit eos, qui clericali militiæ adscribi, et ordinibus initiari postulant; *f/* munera et officia ecclesiastica iis defert, quos idoneos comperit, salvis semper juribus S. Sedis, vel alterius legitimi collatoris; *g/* nullum clericum peregrinum sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ad divina celebranda et sacramenta ministranda admittit (Rev. cath. anni 1864, p. 388); multaque hujusmodi præstat quæ alibi dicenda occurrent.

§ 8. *De officiis et juribus Episcopi extraordinariis.*

Potestas extraordinaria ab Episcopis exercetur in omnibus illis causis in quibus a jure, præsertim autem a Concilio Tridentino S. Sedis delegati constituuntur.

353. Hac potestate 1° etiam summarie cognoscunt de subreptione et obreptione gratiæ, qua publici delicti reus absolutionem aut remissionem pœnæ obtinuit. *Sess.* XIII, cap. 5.

2° Justa de causa in casu speciali interdicunt clericis, ne brevibus privilegiorum quorumdam a S. Sede obten-

torum utantur. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. X, 12.

3° Tertiam redituum partem a beneficiis canonicorum separant, ut eam in distributiones quotidianas convertant, si ecclesia eis careat. *Sess.* XXI, cap. 3.

4° Visitant ecclesias sæculares exemptas diœcesis *nullius*. *Sess.* XXIV, cap. 9.

5° Procedunt adversus clericos concubinarios ad suspensionem a fructibus et administratione beneficiorum. *Sess.* XXV, cap. 14.

6° Eadem instruuntur potestate adversus sæculares in variis casibus, in quibus ea uti possunt adversus exemptos, modo materia ipsis sit adaptabilis.

354. Jam vero Synodus Tridentina a *Sess.* IV ad VII, et a XXI ad XXIV *de ref.*, sed præcipue *Sess.* XXV *de reg.* varios indicat casus, in quibus potest Episcopus contra exemptos procedere tanquam Sedis apostolicæ delegatus. Ita delegatur :

1° Quoad visitationem et correctionem regularium extra claustra degentium. Quoad punitionem a superiore urgendam adversus eos, qui notorie et cum scandalo delinquunt extra claustra. *Sess.* VI, cap. 3.

2° Quoad prædicationem verbi divini, ad quam eos cogere potest in ecclesiis curatis, si quas obtinuerint; quamque interdicere debet illis, qui errores aut scandala disseminaverint in populum, et quidem adjectis pœnis, si hæreses prædicaverint. *Sess.* V, cap. 2.

3° Quoad punitionem eorum, qui in munere pastorali negligentes reperti fuerint.

4° Quoad observanda et evitanda in celebratione Missæ. *Sess.* XXII. *Decr.*

5° Quoad ordinationem et prævium examen ordinandorum, nisi speciale habeant privilegium.

6° Quoad approbationem in ordine ad confessiones sæcularium et monialium excipiendas. Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. cap. XV, 9.

7° Quoad publicationem censurarum, quas tulit et publicari petit Episcopus, promulgationem indulgentiarum, observationem festorum diœcesis, vocationem ad processiones publicas, nisi specialiter sint privilegiati.

8° Quoad erectionem novorum monasteriorum, ad quam requiritur consensus Episcopi. Infra *de locis*.

355. Spectato autem jure antiquiori exempti Episcopis præterea subsunt in sequentibus :

1° In iis quæ contra hæreticos sunt instituta.

2° In executione ultimarum voluntatum exemptis commissa.

3° Quoad excommunicationem in eos ferendam, qui sacramentum extremæ-unctionis, vel Eucharistiæ, sine extrema necessitate administrant, vel matrimonia solemnizant, absque licentia parochi.

4° Quoad electionem Abbatissæ, vel Præpositæ, cui per se, vel per alium præesse potest Episcopus cum superioribus regularibus.

5° In petitione S. chrismatis, consecratione ecclesiarum, et in omnibus, quæ sunt ordinis episcopalis.

6° Quoad denuntiationem excommunicationis, si sint notorie excommunicati.

7° Quoad collationem beneficiorum, quæ a Prælatis regularibus idoneo tempore non conferuntur. Cf. Pichler, *Sum. jur.* L. I. tit. 31 § 2.

§ 9. *De transitu auctoritatis episcopalis ad alios.*

Quandoquidem per episcopalem auctoritatem regimini diœcesis providetur, huic alio modo est providendum, quando Episcopus vel negligens est, vel censura ligatus, vel impeditus, vel sedem amisit.

356. In casu *negligentiæ* Episcopi jurisdictio devolvitur interdum ad Capitulum, de quo *infra;* interdum ad

Archiepiscopum, sed tantum in casibus a jure expressis. Potest autem Archiepiscopus : *a/* constituere œconomum in ecclesia vacante, si Episcopus id facere neglexerit; *b/* aliquando conferre beneficia quæ intra tempus a jure præfixum non fuerunt collata; *c/* exequi ultimas voluntates ad pias causas; *d/* dispensare vel ordinare saltem quando a negligentia Suffraganei ad ipsum appellatur; *e/* corrigere et punire crimina notoria subditorum Suffraganei, sed in casu visitationis tantum. Cf. Reiff. L. I. tit. 10. § 2, et supra n. 291.

In reliquis vero casibus jurisdictio episcopalis devolvitur ad R. Pontificem.

357. Quando propter *censuram* denuntiatam Episcopus jurisdictionem suam exercere nequit, recurrendum est ad S. Pontificem; in hac enim hypothesi nulli quidquam a jure concessum est : nec Metropolitano, nec Capitulo, nec ipsi Concilio provinciali, quod tamen sententiam suspensionis ad tempus contra Episcopum ferre valet, ut vidimus supra n. 176.

358. Quando propter *impedimentum* auctoritatem suam exercere nequit Episcopus, distinguendi sunt casus.

a/ Si Episcopus a paganis, aut schismaticis capiatur, nec per litteras possit diœcesim regere, ejus jurisdictio, sicut et jurisdictio Vicarii Generalis, non expirat, sed suspensa manet, et devolvitur ad Capitulum, quod servare debet decretum Tridentini de constituendo Vicario Capitulari. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. XVI, 11.

b/ Si Episcopus ob ætatem, infirmitatem aliamque causam ope aliorum indigeat, potest, saltem in remotis regionibus, unum vel plures sibi coadjutores de consilio et assensu Capituli *ad tempus* constituere. Sic plures contra Devoti, L. I. tit. 3. § 47; R. de M. T. I. p. 357.

In casu Episcopi sui compotis difficultas non est; potest enim assumere Vicarium Generalem, idque absque consilio vel assensu Capituli.

Si vero Episcopus sit demens, nec habeat Vicarium Generalem, tum eidem per ejus Capitulum, aut duas Capituli partes, unus aut alter coadjutor recte datur. Sin autem Vicarium Generalem habeat, huic est obtemperandum et tota res devolvenda ad Sedem apostolicam, sicut in casu quo Episcopus perpetuo impedimento detentus, et a Capitulo requisitus, coadjutorem sibi assumere nequit.

Quod si agatur de regionibus haud longe dissitis, vel de constituendo coadjutore, aut in Episcopum consecrando, aut cum futura successione, sola Sedes apostolica de coadjutore providebit. Cf. supra n. 175.

Hinc concludimus, Episcopum per dementiam, etiam perpetuam, non amittere suam sedem, et consequenter perdurare jurisdictionem ejus Vicarii Generalis, donec S. Sedes aliter disposuerit.

Quidam tamen contrarium deducunt ex jure naturali; quid proderit bono publico, aiunt, jurisdictio in illo, qui usque ad finem vitæ ea uti non poterit? Ast hoc non convincit; tum quia jura semel legitime acquisita conservantur, etiam ab illo, qui ea non potest exercere per seipsum, modo exerceri possint ipsius nomine; tum quia plerumque ignoratur an dementia sit perpetua.

c/ Si Episcopus abierit in partes longinquas, nullo constituto Vicario, vel si Vicarius ab Episcopo constitutus moriatur, et huic casui non fuerit ab Episcopo provisum, administratio interim ad Capitulum spectat.

359. *Sede vacante* quacumque de causa, jurisdictio Episcopi ordinaria transit in Capitulum. *Remissive.*

§ 10. *De amissione dignitatis et muneris episcopalis.*

360. Potestas *ordinis* episcopalis, quoad suum *esse*, non extinguitur nisi per mortem naturalem; quoad *usum*

vero et *exercitium*, amittitur cum potestate jurisdictionali, nisi specialiter conservetur; nam extunc indiget Episcopus consensu vel delegatione Ordinarii loci ad functiones ordinis exercendas.

Potestas *jurisdictionis* variis modis aufertur; sed excepto casu mortis, semper ad arbitrium Papæ, ejus immediati auctoris, vel saltem immediati moderatoris, ut propugnant alterius opinionis defensores. Requiritur autem justa causa, ut licite tollatur.

Cessat autem jurisdictio episcopalis morte naturali, ut patet, renuntiatione, translatione, permutatione et depositione.

361. *Renuntiatione*, seu libera resignatione facta in manus S. Pontificis, qui dimissionem acceptat. Hæc abdicatio potest fieri dupliciter : sc. vel renuntiando loco tantum, seu jurisdictioni, retento titulo et dignitate episcopali; vel renuntiando loco et dignitati simul, seu jurisdictioni et ordini, aut potius usui ordinis respectu cujuscumque loci, retentis solum iis quæ sunt characteris episcopalis. Hoc rarissimo casu functiones sui ordinis, etiam assentiente ordinario loci, peragere nequit.

Episcopus sponte cedere potest loco et dignitati renuntiare, modo tres conditiones serventur :

1° Ut cessio fiat rationabili de causa; nam charitas, qua affici debet erga ecclesiam suam et fideles, excludit omnem animi levitatem, et oneris laborisque timorem.

Innocentius III recenset sex justas causas resignandi episcopatum; quæ sex causæ his versibus comprehendi possunt :

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Debilitas corporis ex senio vel morbo diuturno, per quam Episcopus impotens redditur ad suam ecclesiam regendam.

Defectus scientiæ ad munus episcopale requisitæ.

Conscientia criminis, gravioris tamen, propter quod officii executio etiam post peractam pœnitentiam impeditur; tale est simonia.

Irregularitas orta ex eo quod sit bigamus, vel maritus viduæ.

Malitia plebis, ita ut ipsi utilis amplius esse nequeat.

Grave scandalum, quod alio modo sedari nequit. L. I. *Decr.* tit. 9. cap. 10 *Nisi, de renunt.*

In præfatis casibus renuntiatio erit licita vel necessaria juxta exigentiam causæ.

2° Ut fiat libere; id est, nulla vi aut metu aut fraude extorta sit.

3° Ut acceptetur a R. Pontifice; est enim causa major Papæ reservata.

362. *Translatione* et *permutatione.* Translatio est actus quo Episcopus a sua ecclesia ad aliam viduatam transit.

Translationi non valde dissimilis est *permutatio,* quæ est mutua resignatio ecclesiæ sub ea conditione, ut alter alterius dimittentis ecclesiam consequatur. In hoc differt a translatione quod neutra ecclesia sit vidua.

Ad utramque requiritur : *a/ justa causa*, scilicet utilitas vel necessitas Ecclesia; *b/ auctoritas R. Pontificis,* qui non solet generaliter concedere translationem, nisi a minori ecclesia ad majorem. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua ecclesia ad aliam, carere debet utraque.

Effectus tum translationis, tum permutationis sunt sequentes : 1° vacat prior ecclesia eo ipso momento, quo S. Pontifex in consistorio solvit vinculum, quod Episcopum priori ecclesiæ alligabat, seu comprobat translationem, licet nondum expeditæ fuerint litteræ provisionis de ecclesia ad quam transfertur, ideoque hujus possessionem nondum capere potuerit; imo licet ad eum nondum pervenerit pronuntiatæ translationis notitia.

2° Translatus et permutatus, soluto vinculo, priorem dignitatem una cum jurisdictione et administratione, prærogativis et emolumentis ex ea sequentibus amittit; sed simul novum contrahit vinculum cum ea, ad quam translatus est, et novæ ecclesiæ jura, prærogativas et fructus acquirit.

3° In temporis spatio, quod intercedere potest inter vinculi solutionem et certum de solutione nuntium, beneficia vacantia conferre non potest Episcopus, sed ob necessitates diœceseos prorogatur ejus jurisdictio, donec certus nuntius afferatur; tunc illico in Capitulum transfertur.

Effectus autem illi supponunt Episcopi consensum; donec is accesserit, eis locus non est, nec vacatio inducitur. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. XVI, 7 ad 14.

De translatione et destitutione Episcopi inviti, et nullius delicti rei, dictum est supra n. 168 ss.

363. *Depositione,* seu *exauctoratione,* quæ est actus, quo in pœnam atrocioris alicujus criminis delinquens a gradu suo dimovetur, atque omni munere et dignitate per judicialem sententiam destituitur. De depositione ex professo tractabimus ubi *de pœnis eccl.* agetur.

Articulus VI.

DE EPISCOPIS TITULARIBUS, SUFFRAGANEIS, COADJUTORIBUS, REGULARIBUS; CHOREFISCOPIS ET PRÆLATIS INFERIORIBUS.

§ 1. *De Episcopis titularibus.*

364. « Non desunt in ecclesiasticis historiis, ait Benedictus XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. VIII, 12, aliquorum exempla, qui consecrati Episcopi sunt honoris causa, et ut magnis eorum meritis præmium aliquod rependeretur, nullo peculiari ecclesiæ titulo ipsis tributo, ... Hæc hodie immutata est disciplina; neque ullus consecratur

Episcopus, nisi ut certæ præficiatur ecclesiæ, vel actualiter ab eo regendæ, si pateat ad eam accessus, vel saltem habitualiter, si ad eam sub infidelium jugo gementem accedere prohibeatur : cujus generis ii sunt Episcopatus, qui *in partibus* dicuntur. »

Episcopi *titulares*, seu *in partibus infidelium*, veluti inertes inutilesque contemnendi non sunt; eorum enim opera sæpius utitur R. Pontifex in iis, quæ nonnisi Episcopis decet committere; deputantur ad nuntiaturas, aut missiones longinquas; quandoque constituuntur coadjutores Episcoporum, sive pro solo ordinis, sive pro jurisdictionis quoque exercitio; assumuntur etiam in SS. Congregationum secretarios et magnos Eleemosynarios, seu majores Capellanos Regum.

365. Episcopus titularis ordinem episcopalem, seu pontificalia exercere non potest, nisi de licentia Ordinarii loci et pro subditis hujus Ordinarii tantum. Trid. *Sess.* XIV, cap. 2, et *Sess.* VI, cap. 5 *de ref.*

Caret quoque per se jurisdictionis actu et exercitio, cum subditos non habeat. Sed cum habeat jurisdictionem radicalem in suam ecclesiam, si quidam ejus diœcesis infideles ad fidem christianam converterentur, vel fideles aliqui in eam migrarent, in eos jurisdictionem exercere posset; modo R. Pontifex in ea non constituerit Vicarium Apostolicum. Cf. Ben. XIV, const. *Cum a nobis.* (*Bull.* vol. V, p. 246). Non potest Synodum diœcesanam celebrare, nisi expulsus sit ab ecclesia in partibus infidelium quam actu administravit, vel in terris christianorum actu jurisdictionem episcopalem exerceat. Vocari potest, ut vidimus supra n. 265, ad Concilium generale. Invitari etiam potest, sed non debet, ad Concilium provinciæ, in qua habitat, neque in eo votum decisivum habet; nec tenetur ad visitationem sacrorum Liminum, quamvis laude dignus sit, si illam instituat. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. II. cap. VII, 2.

§ 2. *De Episcopis suffraganeis et coadjutoribus.*

366. Denominatio *suffraganei* triplici diverso sensu in jure adhibetur.

1° Suffraganeus, juxta strictiorem nominis significationem, est ille Episcopus diœcesanus, qui alicui Metropolitæ subjectus est; de eo diximus supra n. 309.

2° Juxta vigentem hisce temporibus loquendi morem, suffraganeus etiam dicitur auxiliator Episcopi in ministeriis ordinis episcopalis, et in Germania vocatur *Weihbischof*. Quamvis autem ille assumatur ad sacri ordinis munera tantum, et nequeat quæ jurisdictionis sunt ulla ratione attingere, nihil tamen obstat, quominus ab Episcopo adjuto in Vicarium Generalem constituatur.

3° Denique suffraganeus appellatur coadjutor Episcopi, qui scilicet alterius diœcesim administrat, in eaque præstat quæ ordinis sunt et jurisdictionis. Stricto quidem jure eo nomine solus vocatur coadjutor Episcopi Cardinalis; nam verum datur discrimen inter suffraganeum et coadjutorem, seu auxiliatorem Episcopi non Cardinalis; practice tamen a quibusdam hæc vocabula promiscue usurpantur.

367. Coadjutor Episcopi ille est, qui a potestate legitima constituitur cum officio et facultate eum adjuvandi in diœcesis regimine.

Senio aut mala valetudine confectos Episcopos de gradu dimovere, injustum atque inhumanum visum est. Ideo ab antiquis temporibus instituti sunt coadjutores. Illustre præ ceteris exemplum est S. Augustini, qui Valerio, Episcopo Hipponensi, malæ valetudinis seniique causa, coadjutor accessit.

De potestate et modo constituendi Episcoporum coadjutores, sive temporaneos, sive perpetuos, egimus supra

n. 175 et 358; nunc breviter dicimus de eorum dotibus, juribus et officiis.

Dum examine facto constiterit, quod coadjutor habeat qualitates ad munus episcopale requisitas, promovetur ad titulum alicujus ecclesiæ *in partibus infidelium,* ne duo simul unam eamdemque Sedem tenere, neve duo esse unius ecclesiæ sponsi videantur.

In statuendis coadjutoris juribus et obligationibus non tantum finis, seu causæ cur datus sit, sed etiam litterarum apostolicarum præcipua ratio habenda est. Universim potestas ejus ad omnia illa sese extendit, quibus coadjutus est impar.

Quamobrem si coadjutor Episcopo amenti, aut plane inhabili datur, plenam potestatem habet administrandæ diœcesis, etiam conferendi beneficia; excipitur tamen alienatio bonorum, cap. unic. *de cler. ægrot. in 6.*

At si Episcopus ratione præditus sit, id ipsi licet quod libeat et possit facere, nullo coadjutoris consilio, vel consensu adhibito. Privatur tamen potestate delegandi, nam quæ ipse efficere nolit aut nequeat, ea coadjutor explere suo jure debet. Cf. Soglia, *Jus priv.* § 17.

Potestas coadjutoris, si constituatur ad tempus, expirat per mortem, resignationem, vel depositionem coadjuti; sin vero cum futura successione, expirat pariter in dictis casibus potestas ejus *quatenus coadjutoralis;* sed statim ac vacat Sedes, absque nova collatione, propter verba *ex nunc prout ex tunc,* quæ in talis coadjutoriæ bulla occurrunt, proprius evadit diœcesis Episcopus, titulum episcopatus *in partibus infidelium* dimittit, et accipit titulum ecclesiæ, cujus fit Pastor ordinarius.

Præterea coadjutor temporalis est ad nutum S. Pontificis revocabilis; coadjutor vero perpetuus revocari nequit, nisi propter causas canonicas; quia ipse vi sui tituli acquisivit jus ad beneficium et officium.

§ 3. *De Episcopis regularibus.*

368. Apud omnes certum est posse regularem ad episcopatum, cardinalatum et summum pontificatum promoveri. Ut autem valeat religiosus ad episcopatum assumi, requiritur licentia ipsius superioris, quam is dare potest absque consensu sui capituli.

Factus Episcopus non desinit regularis esse religiosus et ideo remanet obstrictus triplici substantiali voto, et aliis votis essentialibus, si quæ in ordine emittantur, in quantum scilicet ipsorum observantia non repugnat muneri episcopali. Ratio est quod vota personalia comitentur personam, in quantum sunt compatibilia cum ejus statu.

Quoad castitatem, patet; ei enim remanet obstrictus ratione ordinis. Quoad obedientiam, non tenetur Prælato religionis suæ obedire, sed S. Pontifici, et qua Episcopus, et qua religiosus. Quoad paupertatem, non magis quam antea potest ullius rei dominium acquirere. Post promotionem tamen non acquirit monasterio, sed propriæ mensæ, seu ecclesiæ suæ, et quidem ad proprium usum, juxta status episcopalis exigentiam ac convenientiam.

Tenetur insuper religionis suæ habitum retinere quoad colorem, non quoad formam seu figuram. Excipiuntur canonici regulares S. Augustini, qui indui possunt sicut Episcopi sæculares.

A die autem confirmationis solutus est ab obligatione et observantiis suæ regulæ; verumtamen si episcopatum, concedente Papa, dimiserit, aut ab eo dejectus fuerit, tenetur ad claustra redire, nisi aliter S. Sedes disposuerit; sed officia et dignitates suæ religionis deinceps obtinere nequit.

§ 4. *De Chorepiscopis.*

369. Cum diœceses nimis late patebant, Episcopi in pagis et oppidis longe dissitis habebant Chorepiscopos, seu *ruris Episcopos,* adjutores et administros laborum suorum.

Inter eruditos quæri solet num Episcopi, an tantum presbyteri fuerint; sed longe probabilior, et inter canonistas communis est sententia, eos meros fuisse presbyteros. In hoc autem omnes conveniunt eos Episcopo diœcesano fuisse subjectos.

Varia erat eorum potestas pro varietate regionum et temporum. Præerant ruris presbyteris et ecclesiis, easque visitabant, dabant litteras dimissorias clericis ruralibus in aliam ecclesiam abeuntibus, et minores ordines conferebant.

Cum vero intra potestatis suæ limites se non continerent, et hanc ambitionem frustra coercere tentarent Synodi et Pontifices, medio ævo eorum ordo penitus exstinctus est. Ab hoc tempore vices Episcopi ruri gesserunt archidiaconi, archipresbyteri, et nunc decani rurales, seu foranei, qui tamen non omnibus Chorepiscoporum prærogativis gaudent. Aliqui etiam originem Vicariorum Generalium partim ex suppressione Chorepiscoporum repetunt.

§ 5. *De Prælatis inferioribus.*

Nomine Prælati late sumpto venit quilibet clericus habens curam animarum, utpote aliis superior; minus late, intelliguntur etiam alii habentes majorem prærogativam sine jurisdictione, ut Plebani, Decani et consimiles; stricte inferiores Episcopo non dicuntur Prælati, nisi habeant jurisdictionem ordinariam fori externi. Hi

proprie vocantur Prælati et dicuntur *inferiores,* seu *minores,* respectu *majorum,* qui sunt Episcopi et Cardinales. Ita communiter.

370. Prælati isti inferiores, de quibus hic sermo, medium veluti locum tenent presbyteros inter et Episcopos, suntque antistites, qui expertes ordinis episcopalis, in sibi subjectas ecclesias atque personas quasi-episcopalem jurisdictionem exercent.

Horum triplex est species : sc. infima, media, suprema.

Infima est eorum, qui certo præsunt generi personarum intra septa alicujus ecclesiæ, conventus, vel monasterii. Eximuntur a jurisdictione Episcopi, sed præter dictas personas nullum populum clerumve sibi subjectum habent. Tales sunt moderatores Generales ordinum, Provinciales et Abbates, sive regulares, sive sæculares, R. Pontifici immediate subjecti, una cum ecclesia ejusque clericis atque ministris, quibus præfecti sunt.

Media est eorum, qui habent jurisdictionem etiam activam in clerum et populum certi loci, qui in diœcesi alicujus Episcopi continetur. Ideo improprie vocantur *nullius;* nam sunt *in diœcesi* et eorum jurisdictio videtur magis esse personalis, quam localis.

371. *Suprema* tandem species omniumque nobilissima est eorum Prælatorum, qui *nullius* dicuntur. Habent jurisdictionem in clerum et populum alicujus loci, vel oppidi, aut etiam plurium locorum et oppidorum, quæ loca et oppida privilegio apostolico vel legitima præscriptione fuerunt omnino avulsa et separata a diœcesi Episcopi, et ideo constituunt quamdam quasi-diœcesim. Hi dicuntur *Ordinarii nullius,* et eorum jurisdictio *quasi-episcopalis,* eo quod, exceptis iis quæ ordinis episcopalis sunt, reliqua fere omnia suo jure exercent.

Dicimus *fere omnia,* nam non possunt a/ Synodum ce-

lebrare, nisi privilegio apostolico hanc facultatem obtinuerint. Quo casu poterunt etiam indicere examen et concursum ad parochiales ecclesias, eaque omnia præstare quæ sancita sunt a Trid. *Sess.* XXIV, cap. 18 *de ref.; b/* subditis suis sæcularibus dimissorias ad ordines concedere, cum id spectet ad Episcopum viciniorem, *Sess.* XXIII, cap. 10; *c/* indulgentias elargiri; *d/* uti facultate quoad irregularitates, suspensiones et casus pontificios Episcopis concessa Trid. *Sess.* XXIV, cap. 6 *de ref.*

372. Quæ non subsunt jurisdictioni Prælatorum, reservantur vel Episcopo diœcesis intra cujus fines prælatura exercetur, vel Episcopo viciniori, si agatur de prælatura *nullius*. Vicinior autem ille intelligitur, cujus ecclesia cathedralis proximior est abbatiali, seu collegiatæ, quæ est *nullius,* a viis ordinariis distantiam locorum dimetiendo.

Nota. Sunt alii clerici, qui vel officii, vel honoris causa titulo Prælatorum decorantur, et in varias classes distinguuntur. Diximus supra n. 249 et 259 de auditoribus S. Rotæ et de Protonotariis; de ceteris Prælatis, qui *de familia S. Pontificis* dicuntur, quales sunt Camerarii, sive participantes, sive supranumerarii, Prælati domestici, etc. nihil nobis notandum, quia nulla jurisdictione, qua tales, in Ecclesia potiuntur. Qui desiderat cognoscere eorum insignia et prærogativas, adeat Moroni, *Dizionario di erudizione;* Haine, *de la Cour Rom.* T. II. chap. V, et decreta S. C. R.; attendat autem ad Decretum 27 sept. anni 1659.

Articulus VII.

DE SYNODO DIŒCESANA.

§ 1. *De ejus notione et indictionis tempore.*

373. Synodus diœcesana, quæ etiam vocatur *Concilium episcopale, Concilium Episcopi, Capitulum* aut *Concilium synodale, Congregatio synodalis,* etc., est legitima congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis sibi subditis, aliisve qui ad eam accedere tenentur, in ordine ad res ecclesiasticas suæ diœcesis definiendas.

374. Antiquitus Synodus diœcesana bis in anno celebranda erat. Deinde semel duntaxat cogi cœpit, idque probavit Concilium Lateranense IV, sub Innocentio III. Hanc eamdem disciplinam sanxit Trid. *Sess.* XXIV, cap. 2 *de ref.* « *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur : ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris canonibus sancitas incurrant.* »

Convocari itaque debet Synodus diœcesana singulis annis; et Episcopi qui absque legitimo impedimento eam habere negligunt, « præter reatum inobedientiæ, incurrunt suspensionum ab officio ferendæ sententiæ. » Ita Ben. XIV, *de Syn.* L. I. cap. VI, 5, qui tamen admittit, decretum Tridentinum posse contraria consuetudine nonnihil emolliri et temperari. Variis de causis a longo jam tempore in Belgio habitæ non fuerunt Synodi diœcesanæ, excepta Synodo Leodiensi an. 1851; iis aliquo modo suppletur per annuas *congregationes decanorum.*

§ 2. *De convocatione et præsidentia Synodi diœcesanæ.*

Ex ipsa Synodi natura liquet utrumque Episcopo competere; celebratio enim Synodi intrinsece pertinet ad curam pastoralem diœcesis, quæ apud Episcopum residet.

375. « Jus cogendi Synodum diœcesanam, ait Ben. XIV, *de Syn.* L. II. cap. V, 1, est adeo proprium Episcopi, ut ad eam cogendam non sit ei necessarius cujusquam alterius consensus, puta Archiepiscopi seu Metropolitani, cui forte subjiciatur. » Sin vero Episcopus personaliter impediatur Synodum celebrare, potest et debet id præstare per procuratorem, aut Vicarium suum, ad hoc speciali mandato instructum; nam Concilium Tridentinum loquitur *impersonaliter* : « Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur. »

Q. I. Quinam itaque Synodum cogere possint?

R. 1° Episcopus diœcesanus; Episcopus confirmatus, obtentis et exhibitis, si non sit Cardinalis, Bullis provisionis. Episcopus vero titularis casibus indicatis supra n. 365.

2° Vicarius Generalis, si speciale ad hoc mandatum ab Episcopo receperit.

3° Vicarius Capitularis, modo annus effluxerit a die ultimæ Synodi habitæ ab Episcopo.

4° Vicarius Apostolicus *a/* constitutus in regione in qua non exstat hierarchia; *b/* missus in aliquam diœcesim, Sede vacante, modo ab anno non fuerit in ea Synodus celebrata; Sede plena, si facultas illa expresse ei concedatur. Vide supra n. 258.

5° Prælati inferiores, seu Ordinarii nullius, posita conditione allegata supra n. 371. Cf. Ben. XIV, l. c. cap. V et VI, 4; cap. VIII, 3; cap. IX, 6; L. I. cap. XI.

376. Q. II. Ubinam sit convocanda Synodus diœcesana?

R. Indubitatum est, Episcopum non solum in civitate, verum etiam in qualibet suæ diœcesis parte posse Synodum cogere; quinimo in necessitate idem ei liceret extra diœcesim de consensu Ordinarii loci. Expedit tamen, cum nihil obstat, ut illam apud suam Cathedralem celebret. Ben. XIV, *de Syn.* L. I. cap. IV, 2 et 3.

377. Q. III. Quinam ad Synodum diœcesanam vocandi sint?

R. Debent ad Synodum vocari eique interesse *a/* Abbates, seu Prælati inferiores sæculares intra diœcesim existentes, quantumvis exempti; nam Tridentinum illos solos exemptos excipit, qui subduntur capitulis generalibus, quod profecto de Abbatibus sæcularibus nunquam dici poterit; *b/* Abbates, seu Prælati inferiores regulares non exempti; *c/* Abbates regulares etiam exempti, qui præsunt monasteriis, quorum nullum habeat cum aliis monasteriis ordinis vinculum commune, quo eorum Prælati generalem aliquem superiorem agnoscunt, cujus capitulo subdantur; *d/* regulares omnes curati, sive capitulis generalibus subdantur, sive non (Trid. l. c. et Ben. XIV, *de Syn.* L. III. cap. I, 11); *e/* dignitates, personatus et officia, si sint de clero sæculari, nec privilegio post Tridentinum impetrato excusentur; *f/* parochi et omnes animarum curam gerentes.

Vocari potest Vicarius Generalis, seu Officialis Episcopi, quem etiam maxime expedit, ut Episcopus Synodo adesse velit; si vero vocetur, interesse tenetur. Idem dicito de Vicariis *foraneis,* quos in his regionibus *decanos districtuum,* seu christianitatum appellamus; de canonicis ecclesiæ cathedralis, de coadjutoribus canonicorum, de canonicis ecclesiæ collegiatæ, qui vocati saltem per aliquos deputatos accedere coguntur. Alii ecclesiæ cathedralis beneficiarii et canonici jubilati vocari possunt, et vocati interesse debent.

Regulariter ad Synodum cogi nequeunt simplices beneficiarii, multo minus simplices presbyteri, aliive clerici nullo beneficio instructi. Per accidens tamen accedere tenentur, si vel ex consuetudine id fuerit observatum; vel in Synodo agendum sit de reformatione morum, aut de aliqua re concernenti totum clerum, aut de intimandis decretis factis in Synodo provinciali. Hoc autem casu in ipsa Synodi convocatione notificandum est, quod de prædictis erit tractandum. S. Congr. Conc. 15 Dec. 1629.

Procuratoribus absentium nullus ad Synodum patet aditus, nisi illum iisdem aperiat, quæ jamdiu ita in diœcesi inoleverit, consuetudo. Ex hoc innotescit præcipuum discrimen inter Synodum diœcesanam et Concilium provinciale, in quo admittuntur procuratores Episcoporum absentium cum voto consultivo, quinimo annuente Concilio cum voto decisivo.

Utrum tandem laici ad Synodum sint invitandi, docet Ben. XIV, *de Syn.* L. III. cap. IX, 8 : « Nos vero, ait, cohærenter ad ea quæ de Synodo provinciali diximus, hæc statuimus : 1° Jus commune obsistere laicis, ne Synodo se interesse debere contendant; 2° non obstante hac juris severitate, aliquid nihilominus esse deferendum contrariæ consuetudini, si alicubi jam invaluerit; 3° etiamsi ejusmodi consuetudo nondum sit inducta, posse Episcopum ex aliqua gravi urgentique causa ad suam Synodum laicos admittere, dummodo tamen suffragium non ferant; 4° inter sufficientes causas illos admittendi, non posse eam annumerari, quam S. Congregatio jam rejecit, quod sc. Episcopus laicorum consilio indigeat; commode quippe potest eos extra Synodum consulere; 5° demum cavendum esse Episcopis, ne sine vera et gravi necessitate laicos ad Synodum arcessant; paulatim enim possent illi consuetudinis obtentu jus interveniendi sibi deinceps arrogare, quod jam nuper de Synodo provinciali cum Pignatelli animadvertimus. »

378. Q. IV. Quo jure gaudeant qui Synodo intersunt?

R. Præter canonicos ecclesiæ cathedralis, nullus stricto jure voti in Synodo potitur, nisi jure dandi consensum in electione examinatorum synodalium et consilium in nominatione judicum synodalium.

« Etenim in Synodo diœcesana solus Episcopus est judex et legislator; ipse suo nomine decreta facit et promulgat, et quamvis astantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi. — *Attamen si,* inconsulto Capitulo, novas constitutiones ediderit, atque in Synodo promulgaverit, illæ profecto, utpote deficientes a norma a jure præscripta, firmitate carebunt; quamvis si justæ et rationabiles deprehendantur, sanari queant a S. Congr. Conc. » Ben. XIV, l. c. cap. XII, 6 et 7, et L. XIII. cap. I, 16.

Cum itaque hodie Episcopi senatus seu consilium ex solis constituatur canonicis ecclesiæ cathedralis, necesse utique non est, extra casum indicatum, ut Episcopus totius cleri sententiam efflagitet; sufficit autem ut sui Capituli consilium exposcat, etsi illud sequi non teneatur; nisi statuat de iis materiis, pro quibus Capituli consensus a jure requiritur (infra); vel exstet consuetudo legitime præscripta, ut non possint ullæ synodales constitutiones edi, absque prævio Capituli consensu. Et siquidem contrariorum eadem est disciplina, ab ea ipsa obligatione petendi Capituli et a fortiori aliorum consilium solutus erit Episcopus, qui per legitime præscriptam consuetudinem jus sibi acquisierit, novas leges edendi et publicandi, inconsulto Capitulo. *Ibidem,* n. 9.

Consequenter graviter errant 1° Gibert et alii qui affirmant, clericis quoque in Synodo diœcesana suffragium decisivum competere.

2° Pseudo-Synodus Pistoriensis an. 1786, quæ similem errorem propugnat prop. IX et X.

3° Hirscher, in op. proh. *Die kirchlichen zustände* etc., Haiz, in op. proh. *Das kirchliche Synodal Institut,* aliique plures in Germania, et nonnulli in Gallia, qui clericis, præsertim parochis, nimiam tribuebant potestatem, tum intra, tum extra Synodum, in detrimentum auctoritatis episcopalis. Cf. Ill. Sibour, *Instit. diocésaines,* T. II. p. 324-338; *Mél. théol.* 6e série, p. 238 ss.

379. Q. V. Quas pœnas incurrant qui accedere negligunt?

R. Leges eædem, quæ suprascriptos ad Synodum accedere jubent, pœnas intentant in negligentes. Sic ex L. I. *Decr.* tit. 33, cap. *Quod super his, de maj. et obed.,* potest Episcopus eos omnes, etiam exemptos, plectere censuris; potest insuper eos pecunia mulctare, quæ tamen pœna erga regulares adhibenda non est.

« Verum, quia omnes leges, sed præcipue ecclesiasticæ, sanctissimæ sunt, et ne latum quidem unguem a justitia et æquitate deflectunt, propterea a culpa et pœna eum absolvunt, qui ex rationali causa ad Synodum non venit. Ideo, sicut ab accessu ad Concilium provinciale (supra n. 296), ita et a Synodo diœcesana sunt excusandi, qui illam aut omnino, aut sine gravi periculo, adire nequeunt, sive ejusmodi periculum ipsis immineat ab extrinseca causa, puta a flumine quod sit trajiciendum, aut a latronibus viam obsidentibus, sive a causa intrinseca, puta a senio, aut adversa valetudine.

Multoque magis excusandi sunt parochi, quos non propria, sed suarum ovium necessitas remoratur; etenim non solum non reprehendendi, sed plurimum commendandi sunt, si ideo dumtaxat ad Synodum non accedant, quia alium non habent sacerdotem, quem sibi in animarum cura substituant; idque præsertim, cum in parochia reperiuntur infirmi tam gravi morbo laborantes, ut prudenter timeatur ne sint cito decessuri...

« Non idcirco tamen, quod quispiam legitimo detineatur impedimento, potest sua auctoritate se ab accedendi obligatione absolvere; sed causam cur non accedit debet Episcopo significare, a judicibus ad id deputatis, absoluta Synodo examinandam. » Id facere potest per procuratorem, qui tamen ejus locum in Synodo occupare nequit, ut supra diximus. Ben. XIV, *de Syn.* L. III. cap. XII, 1-4.

§ 3. *De negotiis in Synodo tractandis.*

380. Cum omnes leges cuicumque loco et tempori congruere nequeant, « rem nedum difficilem, ait Ben. XIV, *de Syn.* L. VI. cap. I, 1, sed plane impossibilem aggrederemur, si in animo nobis esset, cuncta sigillatim exponere, quæ in diœcesanis Synodis constitui possunt... Solum itaque generatim asserimus, debere Episcopum in sua Synodo constituere, quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam, aut restituendam, aut fovendam, necessaria et utilia esse judicaverit. » Et verbis utens E. Chokier : « Episcopalis Synodus instituta est, inquit, quatuor ex causis : 1° ut depravata corrigantur; 2° ut ignorantes instruantur; 3° ut regulæ morum statutaque formentur; 4° ut quæ in provinciali Synodo decreta sunt, in episcopali publicentur. » *Ibidem,* n. 4.

Præterea plures causas in Synodo tractandas speciatim indicat Ben. XIV, in variis locis operis *de Syn.;* nimirum : *a/* generale cleri scrutinium; *b/* casuum reservationem (Trid. *Sess.* XIV. cap. 7); *c/* solutionem cathedratici; *d/* taxationem stipendii missarum; *e/* acceptionem rationum administrationis seminarii, si hæc in Synodo fieri consuevit; *f/* monitiones aliquas circa specialia capita; *g/* statuta de regularibus, debito tamen observato

modo; *h/* approbationem examinatorum synodalium; examinatores enim ad beneficium parochiale eliguntur ab Episcopo cum Synodi *consensu* (inferius *de concursu*); *i/* nominationem judicum synodalium; erant illi quos, ad præscriptum Tridentini, Episcopus *de consilio* Synodi olim designabat, ut S. Sedes illis causas levioris momenti extra Urbem judicandas committeret; *k/* designationem judicum querelarum et excusationum quæ in Synodo oriuntur; *l/* deputationem testium synodalium, quorum officium est diœcesim subinde perlustrare, atque animadvertere an quidquam alicubi contra Synodi decreta fiat, et omnia in futura Synodo Episcopo referre, etc.

Quamvis hæc fere omnia etiam extra Synodum facere possit Episcopus, melius tamen est ut in Synodo fiant; tum ut libentius suscipiantur; tum ut plenius innotescant; tum denique ut vitetur difficultas, quæ oritur ex supra indicata controversia de perpetuitate legum, ab Episcopo extra Synodum latarum (n. 347).

§ 4. *De modo Synodum celebrandi.*

381. Modus celebrandi Synodum diœcesanam describitur in Pontificali Romano et respicit :

1° Facienda ante Synodum, de quibus agit Ben. XIV, *de Syn.* L. V et VI. cap. I.

2° Ordinem sedendi; *ibidem* L. III. cap. X. Singulis sua Sedes assignatur juxta uniuscujusque dignitatem, vel si æqualis officii sint, juxta antiquitatem. Notetur autem, capitulum, si collegialiter adsit, omnes alios præcedere; si per deputatos tantum venerit et adsint Abbates, hos Prælatos regulares primam sedem occupare post Vicarios Generales.

3° Indumenta eorum qui intersunt; *ibidem* cap. XI.

4° Publicas supplicationes, missas, allocutiones, sermones; *ibidem* L. V. cap. I.

5° Legenda in Synodo et fidei professionem; *ibidem* cap. II.

6° Officiales Synodi, quorum præcipui sunt : *a/ promotor* unus, vel duplex arbitrio Episcopi, cujus munus est urgere actiones synodales, seu insistere, ut omnia quæ in Synodo facienda sunt, celeriter et fructuose perficiantur; *b/ secretarius; c/ notarius; d/* duo saltem *magistri cæremoniarum,* quorum alter Episcopo inserviat, alter promotoribus et secretario, uterque toti actioni synodali; *e/* tandem *confessarii* cleri, vel etiam *concionatores,* nisi forte Episcopus velit id muneris (concionandi) in se suscipere; *ibidem* L. IV. cap. I et II.

7° Durationem, quæ arbitrio Episcopi relicta est, ita ut vel una dies sufficiat. Juxta Pontificale solet Synodus celebrari tribus sessionibus et totidem diebus.

His solemnibus sessionibus possunt addi congregationes, seu coadunationes, sive generales, seu totius Synodi, sive particulares, quæ et commissiones vocantur, et aliquibus duntaxat constant membris. Unaquæque commissio deliberat de aliqua quæstione speciali, sensumque suum aperit. In congregationibus generalibus exquirit Episcopus, si ita ipsi placeat, sensum totius Synodi, salutaria monita et exhortationes ad universum clerum dirigit, etc.

§ 5. *De subscriptione, promulgatione et auctoritate statutorum synodalium.*

382. « Quoniam in diœcesana Synodo nullus est, præter Episcopum, qui jurisdictionem habeat et potestatem ferendi leges...; manifeste exinde conficitur, solius Episcopi, alteriusve qui ejus loco Synodo præsit, esse, synodales constitutiones sua firmare subscriptione. » Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. II, 1.

383. « Modus, quo promulgatio constitutionum synodalium sit facienda, non est speciatim a jure definitus : quare merito Suarez asserit, leges ab Episcopis latas, sufficienter promulgari, si aut publice legantur in ecclesia cathedrali, aut voce præconis in platea civitatis adstantibus significentur, aut scriptæ affigantur in loco publico ad hoc designato. Quinimo si statuta synodalia, non populum, sed solum respiciant diœcesis clerum, alia non indigent publicatione, ab ea distincta, quæ fit in ipsa Synodo, cui interest præcipua pars ejusdem cleri. » *Ibid.* cap. IV, 1.

Non est itaque necesse, quemadmodum pro Concilio provinciali requisitum comperimus, ut constitutiones prævie Romæ recognoscantur; nulla enim juris, sive scripti, sive non scripti, dispositio talem recognitionem imperat.

384. Facta porro synodalium constitutionum promulgatione, statim ligant quotquot incolunt Episcopi diœcesim, qui earum notitiam quoquo modo habuerint, nisi speciali privilegio ab ejusdem subtrahantur jurisdictione. Quin etiam regulares, eorum exemptione non obstante, parere coguntur diœcesanæ Synodi sanctionibus, in iis quæ respiciunt curam animarum, sacramentorum administrationem, aliaque omnia in quibus subsunt jurisdictioni delegatæ Episcopi. Vide supra n. 354 s. Ben. XIV, l. c.

Appellatio autem contra eas interposita non est admittenda in suspensivo, sed in devolutivo tantum; quia ad unum plerumque collineant scopum, correctionis nimirum et reformationis morum, in qua materia sacri canones non admittunt appellationem, nisi in devolutivo. Ben. XIV, l. c. cap. V, 12.

Per se autem perseverat obligatio constitutionum synodalium, donec revocentur ab Episcopo legislatore, vel ejus successore. Cf. supra n. 347.

Præter revocationem illam, alii duo sunt modi, quibus diœcesecos incolæ synodalium constitutionum jugum excutere possunt : primo, si nunquam illas earumve aliquam recipiant, vel observare incipiant; secundo, si postquam receptæ fuerant, per contrariam consuetudinem saltem decem annorum ab earumdem vinculo se solvant.

Tandem manente obligatione in communi, potest quis a constitutionis synodalis vinculo subduci per dispensationem impetratam ab Episcopo, vel ejus successore. Ben. XIV, *ibidem* n. 1-8.

De dispensatione et abrogatione constitutionum synodalium auctoritate S. Pontificis confirmatarum, decidendum est ut supra n. 304, de decretis Concilii provincialis sic confirmatis.

Articulus VIII.

DE ADJUTORIBUS EPISCOPI.

Graviora sunt et ampliora Episcopi munera, ut valeat per se ipsum omnia explere. Hinc omni tempore in Ecclesia fuerunt officiales, qui ope, vel consilio in regenda diœcesi Episcopo præsto essent. Huc pertinent Chorepiscopi, Episcopi suffraganei et coadjutores, de quibus egimus supra n. 366 s. et 369; Archidiaconi et Vicarii Generales, Archipresbyteri et Vicarii foranei, seu decani, Capitula canonicorum de quibus, necnon de Vicario Capitulari jam breviter dicendum est.

§ 1. *De Archidiacono.*

385. Inter officiales Episcopi primum locum, olim saltem et jure Decretalium, obtinebat Archidiaconus. Ex ordine diaconorum electus, et quasi eorum princeps, in

externa jurisdictione et administratione Episcopo tanto erat subsidio, ut *manus* et *oculus* Episcopi appellaretur. Amplissima ejus potestas, quæ initio pendebat a mandato et arbitrio Episcopi, et consequenter erat delegata, paulatim in ordinariam transiit; ita ut Archidiaconi non amplius essent ad nutum Episcopi revocabiles, sed tanquam Vicarii *nati,* sive dati a jure, jurisdictionem propriæ dignitati annexam consecuti sint, eamque inferiorem quidem, distinctam tamen ab Episcopi jurisdictione. Idcirco a sententiis Archidiaconi ad Episcopum appellari poterat, et suspensa, vel exstincta jurisdictione Episcopi, non suspendebatur, nec cessabat jurisdictio Archidiaconi.

Tanta sua auctoritate labentibus sæculis abusi sunt Archidiaconi, et ideo Episcopi eorum potestatem paulatim ad se revocarunt. Remanserunt tamen ut Capitulorum dignitates; sed nunc temporis omne ipsorum munus eo redactum est, ut provideant recto ordini chori cathedralis, ut adsint Episcopo generales ordinationes habenti, vocentque clericos qui ad ordines promovendi sunt. Est igitur hodie dignitas archidiaconalis titulus honorificus annexus præbendæ canoniali, qui tribuit aliquam præeminentiam sine jurisdictione.

§ 2. *De Vicario Generali.*

386. « Vicarius est ille, qui in alterius locum suffectus, ejus vices gerit. Hæc gestio vel ad divina celebranda officia, vel ad jurisdictionem exercendam committitur.

In prima specie habemus Vicarios beneficiales, seu, ut alii dicunt, in divinis, de quibus agitur toto fere titulo 28 L. I. Decretalium Gregorii IX *de officio Vicarii.* Hi ad regendum beneficium loco beneficiati principalis, vel parœciam loco rectoris, ad tempus aut in perpetuum constituuntur; et si in perpetuum sint constituti, veri sunt beneficiati.

« In secunda autem specie habemus vicarios jurisdictionis, qui alterius jurisdictionem voluntariam et contentiosam in foro externo exercent; cujusmodi sunt Metropolitarum et Episcoporum Vicarii, qui non beneficium, sed tantum officium cum dignitate conjunctum habere dicuntur.

« Ex canonum sententia Episcoporum Vicarii alii sunt *nati*, et alii sunt *dati*. Vicarii nati erant Archidiaconi (*supra*) et Archipresbyteri (*infra*), ita ut hi ab illis dependerent. » Ferrari T. I. tit. 17.

Distinguebantur in *civitatenses* et *rurales* : civitatenses erant Vicarii nati Episcoporum in urbe; rurales, in pagis et oppidis, in quibus tanquam in parvis episcopatibus jurisdictionem exercebant.

Iisdem substituti sunt Vicarii ab Episcopis dati seu electi, qui propterea dividuntur in *Generales* et *Foraneos*.

Archidiaconis et Archipresbyteris civitatensibus suffecti sunt Vicarii Generales. Usus eos constituendi fere ubique invaluit paulo post Gregorium IX, sæculo nempe XIII, cum de iis solis peculiarem titulum, sc. *de officio Vicarii*, contineat Liber VI Decretalium.

A. De nomine Vicarii Generalis et Officialis.

387. *Vicarius Generalis* intelligitur ille, qui generalem, seu universam jurisdictionem auctoritate et nomine Episcopi exercet; qui nempe in eadem civitate regulaliter residens, et in eodem sedens tribunali jurisdictionem ejus explicat in spiritualibus et temporalibus; id est, circa res ecclesiasticas spirituales et temporales.

In jure et stylo Curiæ nomen illud passim confunditur cum *Officiali;* ast in Gallia aliisque ecclesiis Transalpinis Officialis dicitur, qui jurisdictionem contentiosam exercet; Vicarius autem Generalis, cui voluntariæ

jurisdictionis administratio tribuitur. Hodie in pluribus diœcesibus, ut in nostra Brugensi, Officialis dicitur ille, qui specialiter ab Episcopo constituitur ad tractandas causas matrimoniales.

Consuetudo invaluit in plerisque diœcesibus Galliæ, ut Vicarii Generales dicantur *Archidiaconi*, quo titulo etiam donantur in Conciliis provincialibus recens habitis; ast hoc nomine tantum vocantur ob analogiam officiorum, et in memoriam pristinæ institutionis Archidiaconorum.

B. De constitutione et dotibus Vicarii Generalis.

388. Jure novo, ex consuetudine legitime præscripta constitutio Vicarii Generalis pertinet ad solum Episcopum, absque consensu aut consilio Capituli, vel ad administratorem diœcesis viduæ. Ita decisiones S. Congregationis Concilii et unanimes doctorum sententiæ.

Episcopus autem, quidquid in contrarium dicatur, tuto potest plures sibi assumere Vicarios Generales, sive ita ut semper conjunctim agere debeant, sive ut in solidum procedere possint, id est, ut unusquisque absque alio causas cognoscere valeat; quo casu ille causam tractabit, qui eam prior aggressus est.

Quando autem plures assumit, debet eos vero sensu *generales* constituere. Necesse tamen non est, ut potestas eorum sit absolute generalis, ita ut nulla causa, nullus locus excipiatur; sed sufficit ut sit generalis moraliter; quæ generalitas exceptiones admittit.

Integrum itaque est Episcopo unum aut plures, aut etiam nullum habere Vicarium; sed quid, si Episcopus per se diœcesi sufficienter providere nequit?

Auctores communiter docent tali casu Episcopum debere Vicarium Generalem constituere; obligationem autem hanc existere non quidem jure ecclesiastico, sed jure

naturæ (supra n. 367). Plures addunt id ordinarie requiri in magna diœcesi, ut diligentius et commodius negotia expediantur.

Præter Vicarium Generalem potest Episcopus, non vero ipse Vicarius, sibi eligere Provicarium Generalem, qui absente vel impedito Vicario illa expediat, quæ ad officium vicariatus pertinent. Titulus ille olim non erat in usu : occurrit in brevi Pii VII *Postulabat* anni 1804. In jure invenimus eodem fere sensu *Vicedominum, Vicesgerentem, Locumtenentem, Substitutum.*

389. Nulla lex expresse statuit quibusnam assumendus in Vicarium Generalem gaudere debeat dotibus; sunt igitur ex principiis generalibus determinandæ.

Oportet autem 1° ut habeat ætatem saltem 25 annorum inchoatorum; hæc enim ætas requiritur pro officiis, quibus annectitur cura animarum.

2° Ut sit clericus, ideoque saltem tonsuratus, et quidem nec conjugatus, nec bigamus.

3° Ut legitimos habeat natales.

4° Nulla sit censura innodatus.

5° Licet lex prohibitiva non existat, vulgo tamen receptum est non decere, ut Episcopus Vicarium constituat fratrem, aut nepotem suum, aut patruelem, aut alium consanguineum, ne videatur suis gratificari.

6° Multi tanquam certum tradunt, non posse assumi civem urbis episcopalis, aliumve clericum diœcesanum, sed exterum tantum. Verum decisiones S. Congregationis *Episc. et Reg.*, qualitatem exteri requirentes, non sunt interpretativæ neque declarativæ juris; præterea prodierunt in casibus particularibus; ergo extensive consequenter strictam obligationem non inducunt. Concilium autem Provinciale Romanum anni 1725 prohibet quidem ne « Episcopi in Vicarios Generales suos fratres, aut nepotes, aut propriæ *episcopalis urbis cives* eligant; » sed licet maximæ sit

auctoritatis ob pontificiam approbationem, legis tamen universalis vim non habet.

7° Plures exigunt ut assumendus in Vicarium Generalem sit laurea vel licentia in jure canonico donatus, nisi aliunde ejus peritia sit notoria; sed nullum allegare possunt textum, nisi Trid. *Sess.* XXIV, cap. 16, et hic textus de solo Vicario Capitulari loquitur. Sacra quidem Congregatio *Episc. et Reg.* pluries declaravit requiri, ut Vicarius Generalis sit doctor vel licentiatus in jure canonico, nec sufficere ut sit Theologus; sed cum hæ decisiones non sint interpretativæ, nec explicativæ juris, non possunt universalem obligationem inducere. Quapropter opinamur nullum gradum academicum de jure pro Vicario generali requiri. Laude tamen digni sunt Episcopi, qui eas servant; practicam enim regulam continent quam Congregatio sequitur pro minoribus diœcesibus maxime in Italia.

8° Nulla positiva lex ab officio Vicarii excludit canonicum pœnitentiarium, rectorem aut professorem seminarii, parochum, aut curam animarum alio titulo exercentem; sed aliunde colligitur, et passim auctores docent eos non esse assumendos.

9° Non potest in Vicarium eligi regularis ex ordine mendicantium; bene vero ex ordinibus non mendicantibus, intercedente licentia superioris. Sin autem habitaturus sit extra claustra, insuper requiritur consensus apostolicus, qui conceditur a S. Congregatione *Episc. et Reg.*

C. De potestate Vicarii Generalis.

390. Vicarius Generalis per se non habet potestatem ordinis episcopalis; sed ad potestatem jurisdictionis quod spectat, habet, licet vice Episcopi exercitam, huicque subordinatam, et quoad aliqua limitatam, eamdem

cum ipso ordinariam jurisdictionem, unum idemque cum eo tribunal constituit. Inde :

a/ Ea peragere nequit, quæ ad potestatem ordinis episcopalis spectant, aut ex ea fluunt; nisi sit simul Episcopus et speciale obtinuerit mandatum.

b/ Regulariter potest ea omnia, quæ ipsi Episcopo ex jurisdictione ordinaria competunt; nisi fuerint specialiter a jure excepta, vel ab ipso Episcopo reservata.

c/ Non potest se immiscere iis, quæ ad Episcopum pertinent, tanquam Sedis apostolicæ delegatum.

d/ Omni modo quo suspenditur, restringitur, tollitur jurisdictio ordinaria Episcopi, suspenditur, restringitur et tollitur jurisdictio Vicarii Generalis.

e/ A Vicario Generali ad Episcopum non appellatur.

391. Q. I. Qualis igitur sit jurisdictio Vicarii Generalis?

R. Olim graviter fuit controversum utrum sit *ordinaria,* an vero *delegata.* Ratio dubitandi oriebatur ex eo quod Vicarii jurisdictio habeat quid speciale, sit sui generis, ut ita dicam; in ea enim aliqua ordinariæ, aliqua vero delegatæ potestati potius congruere videntur. In hoc delegatæ accedit, quod pendeat ab arbitrio et nutu Episcopi, qui potest illam restringere et auferre, cujus etiam nomine exercetur; quod præterea cesset, vel suspendatur eodem modo ac jurisdictio Episcopi, ut statim diximus.

Attamen jam dudum certa evasit sententia quæ tenet illam esse ordinariam.

Probatur. 1° Jurisdictio, quæ a lege, seu canone, ratione officii, vel dignitatis cuipiam conceditur, est ordinaria; atqui Vicarius Generalis habet jurisdictionem a canone, et ratione sui officii sibi concessam, uti habetur ex L. I. tit. 13 *de off. Vic.* cap. 2. *Licet in 6;* ergo.

Nec obstat quod Episcopus nominet et instituat suum

Vicarium; nam hoc facto, immediate potestas ejus tribuitur a jure, quanquam possit intra limites a jure permissos ab Episcopo modificari, quinimo pro ejus arbitrio tolli; irrevocabilitas enim ordinariæ potestatis propria quidem est, sed ad essentiam ejus non pertinet.

2° Vicarius Generalis eamdem cum Episcopo habet jurisdictionem, adeo ut sententia unius censeatur sententia alterius, et ab uno ad alterum non appeletur; atqui jurisdictio Episcopi ordinaria est; ergo.

3° Documentis ab ipsa Sede apostolica emanatis constat, voce *Ordinarii* comprehendi Vicarium Generalem.

4° Hæc sententia jam est inter auctores communis. Cf. Bouix, *de judiciis,* T. I. p. 361 ss.

392. Q. II. Ad quæ se extendat jurisdictio Vicarii Generalis?

R. In potestate Vicarii Generalis spectatur ab una parte ejus generalitas, ab altera ejus ab arbitrio Episcopi dependentia.

Quoad primum supra notavimus essentialiter requiri universalitatem jurisdictionis non stricte, sed moraliter sumptam, et quoad causas, et quoad territorium. Repugnat enim in terminis aliquem esse *generalem* alterius Vicarium, et non posse in aliquo saltem sensu generaliter vices ejus explere. Talis esset dumtaxat Episcopi delegatus.

Dummodo salva maneat officii commissi generalitas, potest Episcopus sibi reservare nonnulla, quæ Vicario vi generalis sui mandati competerent. Hæc ex respectiva locorum consuetudine, aut litteris patentibus, quibus Vicarius institutus est, eruenda sunt.

Hinc concluditur Vicarium Generalem *a/* esse ordinarium quoad omnia quæ jus commune et Episcopus ipsi conferunt per generale mandatum, seu titulo Vicariatus.

b/ Eum posse delegare partem jurisdictionis suæ (supra n. 105).

c/ Eum posse, eodem modo ac ipse Episcopus, exercere jurisdictionem voluntariam extra diœcesim.

Insuper, quamvis generalis videatur institutionis formula, non pauca ab ipso jure excepta intelliguntur, nisi speciali mandato Vicario delegentur. In specie autem excipiuntur causæ *a/* criminales; *b/* beneficiales; *c/* matrimoniales; *d/* graviores seu arduæ; vi hujus principii quod innititur jure naturali et canonico : *in concessione generali ea non venire, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus,* excipiuntur visitatio diœcesis, convocatio Synodi, concessio indulgentiarum et litterarum dimissorialium ad ordines, absolutio a casibus Episcopo reservatis, dispensatio in votis, juramentis, statutis diœcesanis, irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, bannis, observantia festorum et jejuniorum, etc., nisi *Episcopo in remotis agente.* Cf. l. c. cap. 2 et 3 *de off. Vic. in 6;* cap. 3 *de temp. ord. in 6.* Bouix, l. c. p. 415-440.

Quæ jure communi Episcopo reservantur possunt Vicario Generali committi, sive per litteras expressas, sive per legitimam consuetudinem. Quoad hæc erit Vicarius Episcopi delegatus.

393. Q. III. Quomodo suspendatur, aut cesset jurisdictio Vicarii Generalis?

R. ad 1^{m} : suspenditur 1° omni modo quo suspenditur jurisdictio Episcopi : sc. per Episcopi captivitatem, vel censuram in Episcopum latam (supra n. 357 s.); 2° per censuram quam ipse Vicarius incurrit.

R. ad 2^{m} : cessat quatuor præsertim modis : 1° revocatione Vicario legitime intimata; 2° omni actu quo cessat jurisdictio Episcopi, etiam re non integra; 3° renuntiatione expressa, vel tacita; censetur autem tacita, si Vicarius a diœcesi discedat animo non redeundi; 4° morte Vicarii.

§ 3. *De Archipresbytero.*

394. Archipresbyter, quasi Princeps presbyterorum, olim erat parochus ecclesiæ cathedralis, et ceteris presbyteris et officiis presbyteralibus præerat. Ordine quidem erat Archidiacono superior, jurisdictione vero et dignitate inferior; potestas enim Archipresbyteri ad certam partem diœcesis, vel etiam ad civitatem episcopalem tantum sese extendebat, et præter quamdam superioritatem supra ceteros presbyteros, in functionibus ordinis sese continebat.

Duplex in jure distinguitur Archipresbyter : *urbanus* alter seu *civitatensis,* alter *plebanus* seu *ruralis.* Uterque appellati sunt *Vicarii foranei,* quo nomine olim Chorepiscopi quoque vocati sunt; quia *foris,* sive extra locum in quo sedem habet Episcopus, ejusdem jurisdictionis particulam exercebant. Archipresbyteri rurales dicti fuerunt *decani,* quando diœceses in varios districtus, seu decanias distributæ sunt, quibus singulis Archipresbyter præficiebatur. Dicebantur etiam *decani christianitatis,* sc. fidelium in certo districtu degentium. In Italia non alio quam Vicariorum forancorum nomine hucusque appellantur; alibi adhuc dici solent Archipresbyteri, vel decani. Apud nos decanus civitatis Brugensis, qui simul est secunda dignitas Capituli ecclesiæ cathedralis, Archipresbyter dicitur; ceteri vero duodecim vocantur decani. Cf. Stat. diœc. p. 32 ss.

§ 4. *De Decano.*

395. Decani, substituti Archipresbyteris ruralibus, in muneris episcopalis partem advocantur, et in certa diœcesis parte clero præsunt et intendunt : sunt quasi parochorum parochi.

Illorum namque « officium est, aiunt Stat. diœc. Brug., l. c., in suo districtu, nostra (Episcopi) auctoritate curare, ut omnes clerici vitam agant sua vocatione dignam; atque invigilare, ut parochi suo rite fungantur officio; eosque, quando opus fuerit, monere, corripere, consolari, consilio juvare, ac veri pastoris officium erga eos, cum sanos, tum ægrotos, fideliter obire. » Ideo tenentur, saltem semel singulis quadrienniis, omnes parochias sui districtus solemniter visitare, et de omnibus ex præscripto Statutorum examinandis Episcopo renuntiare. Debent præterea rectores animarum in suarum paræciarum possessionem mittere, eisdem sacra olea die præscripta solemniter distribuere, Episcopi mandata transmittere, parochis defunctis sepulturam dare. Cf. Coll. epist. past, vol. I. p. 302.

Decani mere delegatam ab Episcopo potestatem habent; ab eo pendet tota eorum jurisdictio; diversum ab Episcopo tribunal habent; ab iis appellari potest ad Episcopum. De cetero eorum facultates variæ esse solent in variis diœcesibus. Quoad Brugensem, vide Statuta, l. c.

De congregationibus Decanorum agitur *ibidem,* p. 69.

§ 5. *De Canonicis.*

A. De origine et varia specie canonicorum.

396. Canonici sic appellantur a *canone* seu regula, quam in Ecclesiæ famulatu servare debent.

Omnibus olim clericis commune fuit nomen *canonicorum,* quia adscripti erant *canoni,* seu matriculæ ecclesiæ, id est sacro ministerio addicebantur. Mediis autem sæculis canonici vocati sunt ii soli, qui sub canone agebant, qui sc. communem et secundum propriam regulam, nullis tamen emissis votis, vitam traducebant. Hoc

sensu S. Chrodegandus, Ep. Metensis, primus, ut videtur, sæculo Ecclesiæ octavo canonicos instituit. Cf. Wouters, T. I. p. 419.

Verum a sæculo X communis vitæ institutum nutare cœpit et sensim corruit. Illud instaurare conati sunt viri insignes pietate et doctrina, qui monasticis etiam votis suos canonicos obstringi voluerunt; propter quod hi *canonici regulares* sunt appellati. Ceteri autem clerici, qui abjecta vita communi suis in domibus singularem vitam agebant, *canonici sæculares* dicti fuerunt. Sæculares quidem, quia bona sua retinentes, perpetuisque præbendis donati in sæculo vivunt; canonici autem, quia unum veluti corpus cum Episcopo componentes canonicum institutum servant, quantum id patitur vita singularis. De his in sequentibus fit sermo.

397. Canonici sæculares varie distinguuntur : et 1° quidem in *cathedrales,* seu ecclesiis cathedralibus addictos, et *collegiatos,* seu ecclesiis inferioribus, collegiatis inservientes; 2° in *exemptos,* qui immediate R. Pontifici subsunt, et *non exemptos,* qui Episcopo subjiciuntur; 3° et hæc est præcipua distinctio, in *præbendatos,* seu *præbendarios,* quos hic *titulares* vocamus, *supranumerarios* et *honorarios.*

« *Præbendarii* dicuntur, ait cl. Icard, T. II. n. 349, qui simul cum canonia præbendam habent. Quod ut melius intelligatur, notare oportet canoniam esse titulum, quo aliquis fit membrum Capituli, habet stallum in choro et suffragium in cœtu capitulari; præbendam autem dici jus percipiendi proventus bonorum temporalium, qui titulo sunt annexi. Obligationes et jura spiritualia canonicorum procedunt ab ipso titulo canonicatus, non a præbenda, quæ est simplex accessorium. Cum vero regula generalis sit, ut officio cuilibet ecclesiastico assignetur bonum temporale, quo clerici suæ sustentationi provi-

deant, jure communi præbenda connecti debet canonicatui, unaque cum illo conferri.

« *Supranumerarii* canonici dicuntur, qui ultra numerum pro Capitulo assignatum admissi, habent expectativam præbendæ primo vacaturæ. Verum non videtur ullum clericum ea conditione admitti posse, nisi id fiat auctoritate S. Sedis, siquidem Concilium Trid. prohibuit, ne deinceps ulli dentur, etiam sub nomine indulti, vel alio quovis quæsito colore, gratiæ quæ vocantur *expectativæ; Sess.* XXIV, cap. 19. Excipe casum consuetudinis immemorabilis. »

Honorarii canonici illi sunt, qui habent stallum in choro, necnon honoris insignia et prærogativas canonicorum; sed carent præbenda et voce in Capitulo. Viget hodie, ait Nardi, in universo orbe catholico usus honorarios canonicos creandi quosdam clericos doctrina et meritis insignes. In Gallia et Belgio cathedrali Capitulo adscribuntur, facultate gaudent choro interveniendi, honoris insignia et prærogativas canonicorum habent, et in multis diœcesibus fruuntur distributionibus quotidianis; vocem autem in Capitulo non habent, nec jus spirituale canoniæ.

B. De creatione et collatione dignitatum et canonicatuum.

398. Ad creationem dignitatum quod spectat, vidimus supra n. 177, Episcopum non posse instituere dignitates in Ecclesia inusitatas, vel ignotas. Nihil vero obstat quominus dignitates jure, vel diuturna consuetudine existentes, erigat in suo Capitulo. Cf. Thesaurus Resolutionum S. Congr. Conc. T. XXXV, p. 12.

Quoad creationem canonicatuum titularium videndum est, utrum Capitulum absoluto decreto R. Pontificis sit numeratum, seu determinato canonicorum numero con-

stans, necne. In priori casu nequit Episcopus numerum canonicatuum augere. In altero vero casu novos canonicatus constituere potest Episcopus, modo singulis assignet præbendam, seu certos redditus loco præbendæ. Hanc facultatem ei competere supponit, imo potius declarat S. Congregatio, l. c.

Cum canonicatibus *ad honores* nulla annexa sit præbenda, facilior est eorum creatio. Quando itaque numerus non fuit positivo decreto S. Sedis determinatus, Episcopus ejusmodi canonicatus ab arbitrium creat, et canonicos honorarios nominat; ne tamen hæc institutio vilescat, certos limites servet necesse est. Quando vero numerus a S. Sede est determinatus, ut hodiedum fieri solet, iste numerus est stricte servandus, vel petenda est eum augendi facultas.

Quid in hoc puncto constitutum fuerit quoad Capitulum cathedrale ecclesiæ Brugensis, legere est supra n. 79.

399. Quæstione juris communis de collatione dignitatum et canonicatuum remissa ad tr. *de Beneficiis,* in memoriam duntaxat revocamus quid jure particulari pro diœcesi Brugensi in Bulla erectionis quoad hoc punctum statutum sit. Ex textu citato supra n. 79 habemus, collationem archidiaconatus S. Pontifici esse reservatam; reliquas vero dignitates et canonicatus, sive præbendiarios, sive honorarios, libere conferri ab Episcopis pro tempore existentibus; exceptis tamen canonicalibus theologali et pœnitentiaria præbendis, quæ prævio examine et concursu ab Episcopo sunt conferendæ.

C. De dotibus canonicorum.

400. In promovendo ad canonicatum, tum cathedralem, tum collegiatum, multæ dotes requiruntur.

1° Conditio clericalis, ac proinde prima tonsura, cum

ordine qui canonicatui, quem aliquis est adeptus, annectitur; videlicet presbyteratus, si præbenda presbyteralis; diaconatus, si diaconalis sit, etc. Juxta Tridentinum *Sess.* XXIV, cap. 12 *de ref.* omnes canonicatus ecclesiarum cathedralium requirunt ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus : « *ita tamen ut dimidia saltem pars canonicorum presbyteri sint, ceteri vero diaconi, aut subdiaconi; ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint presbyteri, omnino observetur.* » Hæc consuetudo apud nos viget.

2° Ætas competens ad ordinem canonicatui annexum infra annum recipiendum : excipitur casus in quo agitur de canonicatu ecclesiæ collegiatæ, cui nullus sit ordo annexus; quia tunc ætas quatuordecim annorum sufficit. Trid. l. c. et *Sess.* XXIII, cap. 6 *de ref.*

3° Eximia vitæ et morum integritas, cum clerici omnes ante oculos sibi ponant necesse sit vitæ rationem, quam canonici sequuntur. Ben. XIV, *Inst.* 107, n. 4.

4° Scientia sufficiens, quæ varia est pro varia Capitulorum specie, et in eadem specie, quin etiam in eodem Capitulo, pro variis canonicatibus. Hinc Tridentinum *Sess.* XXIV l. c. hortatur, *ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico.*

5° Tandem fides orthodoxa, in cujus testimonium promoti publicam professionem emittere debent « *ad minus intra duos menses, non solum coram Episcopo, aut ejus officiali, sed etiam in Capitulo...; alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* » Trid. *ibidem.*

D. De insigniis et privilegiis canonicorum.

401. Juxta disciplinam communem, quam S. Congregatio Rituum stricte servandam sæpius declaravit, necessarium est indultum apostolicum, ut canonici insignia assumere, vel assumpta mutare valeant. Ut vidimus supra n. 76, Concordatum anni 1801 concessit Episcopis territorii Reipublicæ Gallicanæ jus canonicis concedendi insignia et indumenta choralia, quæ magis convenire arbitrarentur.

Canonici insignibus sui ordinis, de jure saltem communi, utuntur in propria duntaxat ecclesia, et extra eam quando capitulariter incedunt, ut in supplicationibus publicis; « non autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur. » Ita censuit S. Congregatio, ejusque decretum evulgari jussit Pius VII pridie nonas Junii 1817. Ratio est quod insignia data sint ad decorem Capituli, non vero in ornamentum distinctivum canonicorum.

402. Præcipuum canonicorum privilegium consistit in *præcedentia,* quam habent super omnes clericos, regulares, parochos, quinimo super Protonotarios apostolicos *ad instar participantium,* etiam habitu prælatitio utentes, super Vicarios Generales habitu vicariali non indutos, dum vel capitulariter incedunt, vel a Capitulo sunt deputati, vel Episcopum comitantur; secus vero nullam habent præeminentiam in ceteros clericos diœcesis; servatur tali casu ordo præscriptus pro omnibus clericis, ratione habita ordinis, antiquitatis, officii, etc.

Si suum Episcopum comitentur, sedent, etiam in ecclesiis alterius diœcesis ante simplices clericos, et ipsummet parochum ecclesiæ; quia considerantur tanquam

uniti suo capiti; quod etiam de canonicis honorariis decisum fuit a S. Congregatione Rituum 9 Maii 1838.

E. De officiis seu obligationibus et juribus canonicorum.

403. Officia canonicorum alia sunt propria aliquorum, alia omnibus communia. De ultimis hic agitur; de prioribus infra ubi de Capitulis.

Canonici titulares variis astringuntur obligationibus:

1° Debent publicam suæ fidei emittere professionem juxta formam a Pio IV præscriptam, ac in Pontificale tit. *Ordo ad Synodum* relatam, et quidem ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis.

2° Debent « *divina per se, et non per substitutos, obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, adsistere et inservire; atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* » Trid. *Sess.* XXIV, cap. 12 *de ref.*

Tenentur autem *a*/ ad solemnem breviarii in choro recitationem; cf. Dens, T. IV. n. 25-58; *b*/ ad missæ conventualis pro benefactoribus celebrationem; *c*/ ad servitium chori. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. III; L. XIII. cap. IX; *Inst. eccl.* 107 § 1 et 3; Gury, T. I. n. 118 ss.

3° Debent *residere;* debent enim canonici *per se et non per substitutos,* nisi exceptionaliter, officia atque munera explere; quod facere nequeunt, nisi in suis ecclesiis immorentur. Verumtamen Tridentinum *Sess.* XXIV. l. c. indulget, ut ex aliqua honesta causa per tres menses abesse possint, « *salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt,* » et dummodo absentiæ in adventu, quadragesima, aut præcipuis anni festivitatibus non contingant.

Non tamen omnes canonici simul abesse possunt, sed ad summum usque ad tertiam partem Capituli, quia vacationes conceduntur canonicis, non vero Capitulo.

Canonici autem qui sine causa ultra præfatum tempus a suis ecclesiis absunt, primo anno privandi sunt medietate fructuum præbendarum suarum ad ratam mensium, quibus abfuerunt; item absentes secundo anno privandi sunt omnibus fructibus; et similiter tertio anno absentes possunt beneficii titulo privari. Utrum ipso facto fructus beneficii amittant, disputatur. Cf. Icard T. II. n. 403.

Præterea sunt causæ quædam sacris canonibus probatæ, quibus ultra tres menses canonicis abesse licet: nempe *a*/ infirmitas seu morbus; *b*/ corporalis necessitas, uti captivitas, carcer, senium, etc.; *c*/ evidens Ecclesiæ eorum utilitas. Explicantur infra.

4° Quandoquidem canonici ecclesiæ cathedralis sunt consiliarii nati Episcoporum, debent consilium suum aperire Episcopo illud exquirenti in iis etiam rebus, in quibus illud Episcopus sequi non tenetur; tunc enim ea de causa exquiritur, ne quid Episcopus inconsiderate et negligenter agat, cum juxta adagium, *plus videant oculi, quam oculus.*

5° Tenentur Episcopum revereri, eumque associare cum accedit et recedit ab ecclesia.

6° Nisi legitime excusentur, debent convenire in cœtus capitulares, quando rite convocantur; aliter non intervenientes delinquunt, et quidem graviter, si per notabile tempus a talibus comitiis per contemptum absunt; hæc porro interventio ordinata est ad spiritualia et temporalia Capituli, necnon Ecclesiæ negotia rite definienda, ex quo utriusque bonum et felicitas pendet.

Canonici ad officia sua cogi possunt ab Episcopo etiam pœnis statutis in Clem. L. I. tit. 6. cap. 2, aliisque gravioribus arbitrio ejus imponendis. Trid. *Sess.* XXII, cap 4 *de ref.*

404. Illis oneribus respondent commoda, seu jura,

quæ maxime in fructuum perceptione consistunt. Fructus autem canonicatus duplicis sunt generis : alii dicuntur *fructus annui,* vel simpliciter *fructus præbendæ,* uti sunt proventus, redditus et emolumenta, quæ procedunt ex bonis, seu juribus fixe et perpetuo canonicatui annexis, quæque dotem canonicatus constituunt; alii vero *distributiones quotidianæ* appellantur, suntque ea pars beneficii, quæ quotidie tribuitur iis qui divinis officiis intersunt, uti proventus qui percipiuntur pro certis oneribus missarum, anniversariorum aliarumque functionum, quique in singulos dies vel actus distribuuntur. Illi assignantur canonico propter annuam in loco canonicatus residentiam; istæ propter quotidianam in choro præsentiam.

Fructus annui integri debentur canonico qui continuo resedit; immo et ei qui non resedit, si ex justa causa abfuit. Justæ autem absentiæ causæ, præter supra assignatas, sunt : servitium Episcopi, quod duo canonici non curati, ipso inquirente, in diœcesi administranda ei præbent, quod contraria consuetudine aut juramento tolli nequit; studium S. Scripturæ, theologiæ aut juris canonici in aliqua catholica universitate, et officium magistri in iisdem facultatibus.

405. Qui his de causis absunt fructus annuos percipiunt, quia fictione juris residere censentur; sed quid dicendum de distributionibus quotidianis?

Absentibus dari distributiones omnino prohibet Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 12 *de ref.* Ideo in singulis ecclesiis unus, aut duo designantur viri, fide et integritate commendati, olim *obedientiales,* nunc *punctatores* dicti, qui absentes et negligentes notant.

Sunt autem inter canonicos, qui licet choro non intersint, distributionibus vel *ex jure,* vel *ex indulto* eodem modo fruuntur ac illi, qui in choro præsentes sunt. Ex-

cipiuntur tamen distributiones, sive emolumenta anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum solis vere præsentibus dari debent, vel dari consueverunt.

Ex jure quidem in casu infirmitatis, in casu justæ et rationabilis corporis necessitatis, et in casu evidentis Ecclesiæ utilitatis.

Hinc distributiones lucratur 1° canonicus graviter infirmus, si ceteroquin servitio chori assiduus fuit. Infirmitas intelligitur ita gravis, ut omnem interventum impediat, non aliquem tantum. Cæcus tamen omnino excusatur, licet partem officii queat recitare, quam memoria retinet. Item canonicus coadjutus.

2° Qui justo et legitimo impedimento retinetur ne ad chorum accedat, ut si alicui immineat mors ab inimico inferenda; si quis sit injuste excommunicatus, vel carcere detentus, vel in exilium pulsus, etc.

3° Canonicus jubilatus, qui sc., postquam per quadraginta annos continuos choro laudabiliter inservierit, indultum obtinet a S. Congregatione quo obeundis muneribus suis eximitur; item canonicus Theologus diebus quibus legit; canonicus Pœnitentiarius, vel qui ejus loco ab Episcopo ex causa legitima ad confessiones excipiendas deputatur, quando actu huic officio incumbunt; et canonicus curatus, cui incumbit parochialis animarum cura in eadem ecclesia, si actu officium sibi commissum exerceat; similiter canonicus, qui ad Ecclesiæ vel Capituli negotia tractanda, Concilium generale, provinciale aut diœcesanum, vel Pontificem, Regem aut Magistratum adit; qui jussu Episcopi Romam petit ad visitanda SS. Limina, vel Episcopum hoc officium adimplentem comitatur; demum qui assistit Episcopo pontificaliter celebranti; vel vacat exercitiis spiritualibus, dummodo id fiat de licentia Episcopi, extra tempus adventus, quadragesimæ et solemniora festa. Vide præterea Soglia, *de*

Jure priv. § 21 ; Ben. XIV, Inst. eccl. 107 § 7-11 ; Trid. *Sess.* XXII, cap. 3 *de ref.*

Indultum vero apostolicum tantum potestatis tribuit distributionum recipiendarum, quantum exprimit, et expirat lapsu temporis præfinito.

F. De cessatione muneris canonicalis.

406. Canonicatus est officium et beneficium stabile in jure expressum. Proin qui illud est legitime assecutus, stabilis in eo perseverat, nec ab eo dimoveri potest, nisi justis de causis et quidem in jure expressis.

Cessat autem munus canonici : *a/* morte naturali ; *b/* libera renuntiatione ; *c/* permutatione ; *d/* promotione ad aliud beneficium incompatibile ; *e/* et tandem depositione, quemadmodum diximus supra de Episcopo, et inferius dicetur de paroeho.

407. Ad canonicos honorarios quod spectat, non sunt titulo privandi, nisi in pœnam delicti ; privatio enim illa, si arbitrario fiat, lædit jus acquisitum et quamdam infamiæ notam inurit sacerdoti. Noluit decidere S. C. R., ea de re consulta ab Episcopo Valentinensi, utrum ad hoc requiratur legitimum judicium ; sed consuluit Episcopo, ut a privatione abstineat, nisi hoc exigat indigna sacerdotis conversatio ad majora scandala vitanda.

§ 6. *De Capitulis.*

A. De notione et divisione Capitulorum.

408. Capitulum dupliciter accipitur : pro loco nempe in quo clerici alicujus claustri vel ecclesiæ in unum conveniunt ; et pro collegio seu congregatione clericorum, qui, sub uno præside, unum efficiunt corpus morale, ab Ecclesia institutum ad specialiter deserviendum Deo, et cultui divino intendendum in certa ecclesia.

409. Sicut canonicorum, ita et Capitulorum variæ distinguuntur species. Capitulum enim dividitur in *regulare* et *sæculare,* prout ex regularibus vel sæcularibus clericis componitur. Sæculare autem subdividitur in *cathedrale,* quod erectum est in ecclesia cathedrali, vel metropolitana, ad officium publicum in choro persolvendum, et ad auxiliandum et supplendum Episcopo in regimine diœcesis; et *collegiale,* quod in alia quam cathedrali ecclesia erectum est, et cui convenit munus in definitione traditum.

Capitulum præterea distingui potest in *exemptum,* et *non exemptum; numeratum,* et *non numeratum.*

De Capitulis tantum sæcularibus agimus. De erectione Capituli diximus supra n. 177.

B. De membris Capituli.

410. Capitulum proprie constat solis canonicis, seu capitularibus præbendam canonicalem habentibus. Episcopus autem, ejusve coadjutor, dignitates et Vicarius Generalis per se non sunt de Capitulo, nisi habeant canonicatum (uti hic dignitates), vel ex statuto, aut consuetudine de Capitulo esse censeantur.

Quatenus tamen Capitulum spectatur ut unum corpus cum Episcopo constituens, et tanquam hujus senatus, vel presbyterium, ipsum profecto Episcopum pro capite habet. Duplex igitur caput potest Capitulum habere : aliud et principale, Episcopum, et aliud, primam dignitatem, prout consideratur vel ut senatus Episcopi, et sub hoc respectu Episcopus est vere de corpore aut gremio Capituli, ipsius nempe pars principalis et nobilissima; vel ut corpus peculiare ab Episcopo sejunctum, quatenus scilicet Capitulum habet jura, interesse ac officia sibi propria. Cf. Bouix, *de Cap.* p. 69; vide etiam p. 75, ubi agit de canonicorum numero.

C. De distinctione membrorum Capitularium.

411. Variæ dantur distinctiones inter canonicos; alii enim sunt *simplices* canonici, alii habent *officium*, alii *personatum*, alii *dignitatem*. Officium habere dicitur, qui administrationem aliquarum rerum ecclesiasticarum habet, sine præeminentia nec fori externi jurisdictione, ut sacrista et thesaurarius; personatum, qui honoris prærogativam habet absque jurisdictione, uti prior et decanus; dignitatem, qui prærogativam honoris habet cum jurisdictione in foro externo, sicut olim erat, et alicubi etiam nunc est Archidiaconus.

De jure communi dignitatum nomine veniunt tantum Archidiaconus et Archipresbyter. Sed ex consuetudinibus locorum plures aliæ invectæ sunt, variæ pro variis ecclesiis; quinimo apud certas ecclesias habentur pro dignitatibus, qui apud alias pro personatibus accipiuntur. Quoad Capitula erecta post Concordatum anni 1801, consulenda sunt statuta tunc temporis condita, vel Bullæ erectionis. Sic in capitulo cathedrali diœcesis Brugensis tres exstant dignitates: sc. archidiaconatus, archipresbyteratus, cantoratus.

De cetero fere omnis jurisdictio, quæ olim ad hujusmodi dignitates spectabat, ad Episcopos sensim devoluta est. Superest tamen aliqua honoris prærogativa.

D. De officiis et juribus Capituli.

412. Abstractione facta ab officio Capituli cathedralis, coadjuvandi scilicet, sede plena, Episcopum opere et consilio in administratione diœcesis, sede vero vacante, providendi ad normam juris diœcesis regimini, duo æque principalia includit servitium capitulare, Deo in ecclesia conventuali præstandum: nempe 1° horas canonicas;

2° missam conventualem, de quibus supra n. 403. Præterea debet capitulum cathedrale Episcopo honorem deferre, ei assistere, eumque comitari, uti *ibidem* dictum est.

413. Ad jura quod spectat, potest Capitulum sibi condere statuta, modo nihil statuat juri communi, vel mandatis Episcopi contrarium, et in statutorum transgressores moderata pœna animadvertere.

Potest quoque eligere ac revocare adjutores chori, cantores, bidellos et alios inservientes, eosque, si deliquerint, punire. Reservatur tamen Episcopo facultas eosdem officiales et inservientes removendi, justa intercedente causa.

E. De officiis et juribus dignitatum et canonicorum qui officium habent.

414. Munia dignitatum, et obligationes officiis annexas determinant statuta capitularia et probatæ consuetudines locorum. Quæ juris communis sunt hic subjicimus.

Prima dignitas, quæ caput Capituli reputatur, summa cura debet invigilare, ut tum in choro, tum in cœtibus capitularibus, omnia secundum canones et statuta specialia debite peragantur.

Archipresbyter, quando munere parochi fungitur, debet pastorali sollicitudine parochorum officia adimplere.

Theologi officium est, præstitutis ab Episcopo diebus, horis et loco, sacerdotibus aliisque, vel sacras litteras explanare, vel dogmata exponere, vel etiam quæstiones morales pertractare. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII, cap. IX, 17. Potest vacare a lectionibus tempore feriarum, more aliorum magistrorum; ast extra illud tempus, semel saltem in hebdomada, regulariter legere tenetur.

Pœnitentiarius autem confessiones omnium fidelium

ad se venientium excipere debet. Habet a jure jurisdictionem in foro interno; sed non potest absolvere a peccatis Episcopo reservatis, nisi delegatam ad hoc obtinuerit facultatem.

415. Jura dignitatum et canonicorum qui officium habent, respondent, uti solet, obligationibus quæ eis incumbunt. Notentur tamen sequentia.

Dignitates præcedunt ceteros omnes canonicos, tum in actibus capitularibus, tum in actibus non capitularibus, puta processionibus, concessibus, etc. Inter ipsas vero dignitates præcedit major; apud nos Archidiaconus.

Præterea ad primam dignitatem, illaque legitime impedita, ad subsequentes per ordinem competit, absente Episcopo, vel alias impedito, diebus pontificalium functionum celebrare et cetera solemnia peragere; fungi officio presbyteri assistentis quando Episcopus celebrat solemniter; Episcopo ægrotanti sacrum deferre viaticum. *Cærem. Episc.*

In choro dat signum inchoandi divinum officium et de choro exeundi, officiis persolutis.

Reliqua munia ad regimen chori spectantia pertinent ad canonicum *Cantorem*. Cf. Trid. *Sess.* v, cap. 1, et *Sess.* XXIV, cap. 8 *de ref.*

F. De congregationibus capitularibus.

416. Capitula ejus sunt generis societatum, in quibus negotia, quæ omnes tangunt, ab omnibus communi suffragio tractanda sunt; ideo iis solemne est per comitia, seu congregationes, eadem perpendere et definire.

Congregationes Capituli, etiam dictæ capitula, aliæ sunt *ordinariæ*, quæ semper fixis die, hora et loco habentur, pro negotiis ordinarie contingentibus, quæque non petunt specialem convocationem, nisi contrarium ferat

statutum, aut consuetudo; aliæ *extraordinariæ,* pro quibus opus est speciali convocatione.

Porro in universum dici potest convocationem Capituli spectare ad primam dignitatem. Si vero agatur de convocatione Capituli cathedralis, et de re quæ Episcopum, vel ejus diœcesim respicit, Episcopi est Capitulum convocare. Trid. *Sess.* XXV, cap. 6 *de ref.*

Præside illo cujus est Capitulum convocare, tractatur in comitiis de omnibus quæ respiciunt statum, tum internum, tum externum Capituli. Agitur primum de iis quæ cultum divinum spectant; tum de justa morum reformatione et delictorum debita animadversione; demum de privatis rebus temporalibusque negotiis.

Votum in Capitulo habent omnes canonici in sacris constituti. Trid. *Sess.* XXIV, cap. *4 de ref.* Hi possunt dare votum per se, et etiam per procuratorem capitularem, qui tunc duplex votum habet, sed in favorem unius tantum, ne videatur conscientiam suam dividere. Episcopus et ejus Vicarius Generalis, si non sint canonici, non habent vocem in Capitulo, nisi eis concedatur ex S. Sedis privilegio.

De jure accessus et de forma suffragandi, vide Bouix, *de Cap.* p. 182, 201-209.

In actibus capitularibus decisio majoris et sanioris partis attenditur : major dicitur quoad numerum; sanior quoad consilium, quod ex ætate, dignitate, prudentia et pietate æstimatur.

Majoritas duplex est : nempe *absoluta* relate ad omnes, et *relativa* relate ad singulos. In capitularibus decisionibus prima requiritur; id est, debent habere majorem suffragiorum partem relate ad omnes præsentes, qui saltem duas tertias canonicorum omnium partes debent regulariter efformare.

Decisiones autem, statuta, decreta a Capitulo edita

obligare, omnes unanimiter admittunt; quin etiam ex omnium confesso potest Capitulum hanc obligationem congruis sanctionibus, seu pœnis, moderatis tamen, tueri. Cf. Bulla erectionis diœcesis Brug.

G. De Capitulo cathedrali.

417. Prænotandum quod Capitulum cathedrale dupliciter possit considerari; nempe *a/* quatenus peculiare corpus et ab Episcopo separatum constituit, proprium esse habens et regimen; et sub hac ratione ceteris Capitulis non cathedralibus, id est simpliciter collegiatis assimilandum est; *b/* quatenus unum corpus efficit cum Episcopo, senatum ejus constituit, concurritque ad regimen diœcesis. Agimus hic de potestate Capituli cathedralis, in ultimo sensu sumpti, 1° episcopali *Sede plena,* 2° *Sede vacante.*

418. *Sede plena* 1° Capitulum cathedrale providet in certis casibus administrationi diœcesis; cf. supra n. 358.

2° Quando collatio cujusdam beneficii proprio jure spectat ad Episcopum, eo negligente illud conferre intra debitum tempus, potestas conferendi devolvitur ad Capitulum. *Ibidem* n. 356.

3° Aliquorum beneficiorum collatio jure communi ad Episcopum et Capitulum conjunctim spectat; huic juri hic derogatum est per Bullam erectionis diœcesis; cf. supra n. 79.

4° An et quam partem habeat Capitulum in administratione bonorum ecclesiæ cathedralis, et quodnam jus ei competat circa seminarium clericorum, dicetur *alibi.*

5° Quandoquidem Capitulum cathedrale quodammodo vices gerat antiqui presbyterii, cujus operam et consilium Episcopi adhibebant in ecclesia sua regenda, ex jure communi tenetur Episcopus pro pluribus negotiis

Capituli cathedralis *consilium* exquirere, aliquando ita ut teneatur illud sequi, quo casu dicitur indigere *consensu* Capituli, aliquando vero ita ut libere illud non sequatur. Sic sapientissime Ecclesia providit, tum ecclesiarum ac regiminis utilitati et incolumitati, tum regentium libertati. Quia vero actus, pro quo consensus Capituli præscribitur, irritus est si absque eo ponatur; actus vero positus non petito consilio, neque irritus est, neque etiam illicitus, nisi lex, aut mandatum expresse contrarium dicat, ideo magni interest ut sciatur, in quibus casibus Episcopo necessarius sit consensus Capituli, in quibus vero sufficiat consilium.

Generalis regula est, consensu Capituli opus esse in causis, ubi de re ad Capitulum pertinente agitur; in alienandis rebus ecclesiasticis; in conjungendis ecclesiis et beneficiis; verbo in omnibus negotiis magis arduis.

Consilium autem audiendum est in convocanda Synodo; in condendis statutis; in instituendis, destituendis, puniendis clericis, etc. Hæc quidem de jure communi.

Sed observandum est ex legitima consuetudine Episcopos eximi posse ab obligatione exquirendi aut consensus, aut consilii Capituli. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. I, 8; Ill. Sibour, *Discuss. diocés.*, T. I. p. 135; Card. Gousset, *Théol. mor.*, T. II. n. 720.

Quoad Belgium facto constat, Episcopos plura negotia expedire non requisito consensu, aut consilio sui Capituli, sed adjutos consilio aliquorum, sive de gremio Capituli, sive ad hoc minime pertinentium. In diœcesi Brugensi existit ejusmodi cœtus, diciturque Episcopi *consilium*. Consiliarii, qui octo regulariter sunt numero, quique nunc simul constituuntur *examinatores pro-synodales*, semel in hebdomada conveniunt. De his ex professo agetur in tr. *de beneficiis*. Cf. Zypæus, *Consult.* 17, *de Reg.* n. 38; Van Espen, *Jus eccl.* P. I. tit. VIII, 9.

419. *Sede vacante* ex jure communi ad Capitulum cathedrale spectat diœcesis administratio in spiritualibus et temporalibus; ita tamen ut potestas illa administrationis ad actus magis urgentes præcipue porrigatur, quippe quæ potius aliena est et provisoria, quam propria et stabilis.

Hinc Sede vacante, Capitulum, vel Vicarius Capitularis, succedit Episcopo in omnibus quæ pertinent ad potestatem jurisdictionis ordinariæ et consuetudinariæ, tum in foro interno, tum in foro externo, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, iis tantum exceptis, quæ vel principiis generalibus, vel jure Capitulo sunt prohibita. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 16 *de ref.*

Capitulo autem sunt prohibita 1° illa omnia, quæ Episcopo competunt vel ex potestate ordinis, ut patet, licet ad exercenda pontificalia valeat Capitulum exterum Episcopum advocare; vel ex personali privilegio; vel ex Sedis apostolicæ speciali delegatione.

Sed quid dicendum de iis quæ Episcopo sunt delegata a jure, et potissimum a Tridentino?

Conveniunt auctores Capitulum in iis succedere, quæ Episcopo delegantur *etiam* tanquam apostolicæ Sedis delegato; quia hoc casu, aiunt, facultatem habet utroque jure, et delegato et ordinario.

Quando autem deest in delegatione particula *etiam,* controvertitur; sed tenendum videtur ea quoque Capitulo competere; quia jurisdictio per hujusmodi delegationes concessa et perpetuo muneri episcopali annexa, auget et extendit potestatem episcopalem ad bonum diœcesis, et veluti partem ejusdem constituit, quæ novo jure visa est ad rectam diœcesis administrationem necessaria; ideoque jurisdictioni ordinariæ conjungitur. Præterea S. Sedes non ignorat hanc inter doctores controversiam, et tamen patitur Vicarios Capitulares hac jurisdictione uti. Cf. supra n. 330 et 353.

2° Capitulum multa agere nequit, obstantibus expressis juris textibus. Præcipua hæc sunt : *a*/ non potest conferre beneficia *liberæ collationis;* supprimere, vel unire beneficia; excipere liberas resignationes, nisi fiant ob causam necessariam, vel respiciant beneficium, cujus collationem, vel exclusivam, vel simultaneam Sede plena cum Episcopo habebat; *b*/ non potest infra annum a die vacationis Sedis litteras dimissorias ad ordines concedere, nisi clericis arctatis, ut dicitur, iis nempe qui ratione beneficii recepti, aut recipiendi, ad ordinem suscipiendum compelluntur; *c*/ nequit quidpiam innovare in præjudicium ecclesiæ, vel Episcopi; L. III. *Decr.* tit. 9. *Ne Sede vacante aliquid innovetur; d*/ non potest indulgentias concedere; Ben. XIV, *de Syn.* L. II. cap. IX, 7.

§ 7. *De Vicario Capitulari.*

A. De constitutione et dotibus Vicarii Capitularis.

420. Sede episcopali vacante jurisdictio Episcopi transit in Capitulum ecclesiæ cathedralis.

Ante Tridentinum poterat per se ipsum, vel per plures suam potestatem exercere; sed quia admodum difficile est integrum collegium uniformitati et promptitudini in administratione requisitæ facere satis, sapienter decrevit Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 16 *de ref.* : « Capitulum, Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant... Item officialem, seu Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri potest, idoneus; si secus factum fuerit, ad Metropo-

litanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit; tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta œconomum et Vicarium idoneos possit constituere. » Cura igitur proventuum et fructuum conferenda est uni, vel pluribus œconomis; regimen autem spirituale et temporale diœcesis tribuendum est Vicario Capitulari.

Quoad deputationem œconomi a Capitulo peragendam, animadvertit Cardinalis de Luca illam raro locum habere. In statu autem præsenti ecclesiarum Belgii foret inutilis, cum mensa episcopalis fere tota consistat in pensione a Gubernio soluta, quæ solutio, Sede vacante, suspenditur. Sufficit itaque ut Capitula constituant Vicarium Capitularem.

421. Eligendus est Vicarius Capitularis intra octo dies a notitia vacationis Sedis Episcopalis. Sed obvia quæstio est utrum unus tantum, an vero plures constitui possint?

Imprimis certum quidem est Tridentinum, licet non expresse prohibeat ne plures eligantur, de uno tantum cogitasse; ubi enim agit de œconomo constituendo, dicit *unum, vel plures,* arbitrio Capituli; ubi vero de Vicario loquitur, pluralem numerum prorsus omittit. Dein magis consentanea est unius Vicarii constitutio motivo ob quod decretum editum fuit: uniformi nempe promptæque administrationi diœcesis. Concludimus itaque, de jure unicum tantum posse eligi Vicarium Capitularem, ut sæpius declaravit S. Congregatio Concilii.

Sed quid dicendum de Consuetudine?

Nulla difficultas circa consuetudinem immemorialem; hanc Capitulum tuto sequi posse pluries decrevit eadem S. Congregatio, v. g. in *Panormitana* 21 Aprilis 1592, et in *Derthusensi* 19 Martii 1639.

Utrum hujusmodi consuetudo hodie vigere possit in ecclesiis Belgarum, eruendum est ex traditis supra n. 73.

Semota vero consuetudine immemorabili, an contraria saltem longissimi temporis consuetudo legitime præscripta sufficiat, inter auctores controvertitur. Videtur autem negandum ob responsa Romana.

Et re quidem vera : *a/* Capitulum Leodiense 29 Aprilis 1852 elegerat unum Vicarium Capitularem; simul tamen consilium inierat, propter amplitudinem et notabilitatem diœceseos, a R. Pontifice petendi, ut electo Vicario vel ipse adderet alium, cujus nomen S. Pontifici proponebat, vel Capitulo potestatem daret eum adjiciendi. Pius PP. IX censuit non accedendum esse supplicationi Capituli, utpote contrariæ Concilio Tridentino, quod sapienter præscripsit unius tantum Vicarii electionem.

b/ In approbatione statutorum capitularium ecclesiæ Molinensis, rejecto articulo de duobus constituendis Vicariis Capitularibus, sequentem approbavit : « Sede vacante, canonici titulares capitulariter congregati Vicarium Capitularem eligent, ad formam SS. Canonum et Concilii Tridentini. Cui tamen adjungere poterunt alterum, *Substituti* nomine nuncupatum. »

c/ S. Congregatio Concilii 14 Julii 1858, præcepit Em. Card. Gousset, qui tamen allegarat ecclesiæ suæ consuetudinem, ut moneret Capitulum suum Remense, Sede vacante, *unum dumtaxat* Vicarium Capitularem, *non autem duos, aut plures* deputari debere; « cum præsertim, addit, idem Capitulum non impediatur Vicario alium virum adsciscere, qui opem adjutricem eidem præbeat, quemadmodum non pridem inculcatum est Capitulo Molinensi in approbatione statutorum capitularium per litteras diei 10 Julii 1854. »

d/ Variis aliis vicibus S. Sedes de eadem re interrogata respondit ad summum, *tolerari posse consuetudinem.*

Jam vero tolerantia non est approbatio; nequidem regulariter dispensatio est; et etiamsi ex circumstantiis dicenda foret dispensationi æquivalere, saltem de casu ad casum extendi non posset.

Nec suffragatur exceptio de vastitate territorii, vel de plurium deputatione Vicariorum Generalium ab Episcopo vivente fieri solita. Nullibi siquidem prohibetur ne Episcopus plures constituat Vicarios Generales, prout de Vicario Capitulari firmavit S. Congregatio. Vicarii insuper Generales ab Episcopo dependent, ita ut unitas jurisdictionis servetur, ab eoque pro libitu removeri possunt, aliique constitui, quod sane jure novissimo Capitulis est interdictum. Contra vero cum, data plurium Vicariorum capitularium deputatione æque principaliter, omnes versarentur in exercitio jurisdictionis independenter a Capitulo, ac proinde unitas scinderetur, potissimum si inter se non conveniant, vel methodo diversa procedant, cumulativa hujusmodi jurisdictio in ecclesiasticæ disciplinæ dispendium verteretur, haud levi cum Religionis detrimento.

Quoad territorii autem vastitatem, ei facile consuli potest, vel per deputationem aliorum ab ipso Capitulari faciendam, qui in diœcesis administratione ipsi forent adjumento, ab eoque semper dependerent, adhibito ad summum quoad personas deputandas, etiam e gremio Capituli, omnium capitularium consilio; vel per adjunctionem, a Capitulo faciendam, alterius viri, qui nomine Substituti adjutricem ei manum præbeat. Cf. Mél. Théol. 3e sér. p. 12 s. et 396 s.; Rev. Théol. 2e sér. p. 335 s.; Bouix, *Rev. des scienc. eccl.* T. II. p. 193 et 299.

Ex his prono alveo fluit, semper melius esse unicum eligere Vicarium Capitularem, etiam ubi contraria existit consuetudo. Sic enim erit, tam Sede vacante, quam Sede plena, unum caput diœcesis, voto Tridentini exactius fiet

satis, et avertentur incommoda plurium administrationi adhærentia. Si autem plures constituuntur, etiam in diœcesi pro qua consuetudo non potest allegari, nostrâ sententiâ electio erit quidem illicita, non tamen invalida.

422. Præter dotes, quas supra n. 389 requisitas comperimus in Vicario Generali, oportet 1° ut Vicarius Capitularis sit doctor, vel licentiatus saltem in jure canonico (ita ut non suffragetur gradus in civili, vel in aliis facultatibus, quod patet ex causa *Caurien.* 25 Jan. 1862), vel alias, quantum fieri potest, idoneus; 2° ut regulariter assumatur de gremio Capituli; salva tamen libertate extraneum eligendi, præsertim graduatis e gremio Capituli, aut non existentibus, aut idoneitate carentibus; 3° ut eligendus in Vicarium jam non sit vel electus, vel a patrono præsentatus, vel a gubernio civili nominatus, vel a S. Sede promotus in futurum vacantis ecclesiæ Episcopum. Cum enim Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 16 *de ref.* jusserit « Episcopum ad vacantem ecclesiam promotum de iis, quæ ad eam spectant, ab œconomo, Vicario et aliis quibuscumque, Sede vacante, constitutis, rationem exigere, » perspicuum est Vicarium Capitularem, personam ab Episcopo promovendo plane distinctam esse oportere, cum sibi nemo rationem reddat. Cf. L. I. tit. 6, cap. 5 *Avaritiæ in 6;* Litt. Pii VII, 5 Nov. et 2 Dec. 1810; All. consist. Gregorii XVI, 1 Martii 1841.

B. De potestate Vicarii Capitularis.

423. Vicarius Capitularis non est Vicarius Episcopi defuncti, ut vult Bouix, *de Capitulis,* p. 607, introducens doctrinam nulli hucusque auditam et infirmis valde nixam argumentis; sed Vicarius Capituli; ab hoc enim constituitur, et hujus loco. Ipsi autem conferre debet Capitulum integram suam jurisdictionem ad omne tempus vacationis ecclesiæ. Cf. supra n. 419.

Semel autem Vicarius legitime electus, statim, etiam absque litteris patentibus, jurisdictionem potest exercere, et revocari amplius nequit a Capitulo, nisi causa cognita et probata a S. Congregatione *Episc. et Reg.* Causas refert Ferraris, v. *Capitulum,* art. 3, n. 45.

Vicarius Capitularis sua non facit emolumenta episcopalia; hæc enim futuro Episcopo reservantur, detracta tamen ex eis congrua Vicarii sustentatione.

C. De cessatione muneris Vicarii Capitularis.

424. Cessat Vicarii officium : *a/* quando libere renuntiat, moritur, aut removetur a S. Congregatione *Episc. et Reg.,* quo casu Capitulum intra octo dies novum Vicarium constituere debet; *b/* quando ab eadem Congregatione, vel a S. Pontifice mittitur Vicarius apostolicus; *c/* quando, ut ordinarie fit, novus Episcopus litteras apostolicas Capitulo præsentavit, et Sedis suæ possessionem cepit.

« Quæri hic solet, ait Card. Soglia, *Jus priv.* § 23, an Vicarius Capitularis statim ac ad Sedem episcopalem, quam vicaria auctoritate jure jam administrat, electus et nominatus est, teneatur illico se munere suo abdicare, ita ut, juxta sanctionem Lugdunensis Concilii, ecclesiæ ejusdem sub quovis titulo ac nomine regendæ ac gubernandæ statim inhabilis prorsus evadat?

« Sunt qui nihil omnino dubitant quin, inspecta casus diversitate, negativam tueantur sententiam; quinimo Bouvier, *Inst. theol.* T. IV. p. 155, edit. Par. 1853, postquam dixit : *hæc privatio jure non exprimitur, et odia restringi convenit,* addit : Gregorius XVI eo sensu respondit anno 1832 in causa D. Blanquart de Bailleul, Vicarii Capitularis Versaliensis, ad Sedem episcopalem ejusdem ecclesiæ nominati.

« Non desunt tamen qui in affirmativam sententiam descendunt, præsertim quod ipsis visus est in utroque casu canon Concilii Lugdunensis sibi locum vindicare; par enim ratio inesse videtur utrique speciei. Accedit argumentum desumptum ex auctoritate Gregorii XVI valde nutare, quandoquidem consultum nobis est, nullum de citato responso, neque in regestis Curiæ Versaliensis, neque in archivis SS. Urbis Congregationum reperiri. » Cf. tamen Daris, vol. I. n. 142, ubi primam tuetur sententiam, docens « neminem privandum esse jure legitime acquisito, nisi propter rationem aut legem certam » quæ in casu non existit.

Vicarius Capitularis peractæ administrationis rationem reddere tenetur Episcopo ad vacantem ecclesiam promoto.

CAPUT IV.

DE PAROCHIS EORUMQUE ADJUTORIBUS.

Triplex erit hujus capitis articulus : in 1° agetur de parochis; in 2° de vicariis parochialibus; et in 3° de coadjutoribus parochorum.

Articulus I.

DE PAROCHIS.

Inter officia eorum qui Episcopo opem ferunt in procuratione diœceseos, nobile inprimis est officium parochorum, quos præsertim respicit L. III. *Decr.* tit. 29, *de parochiis et alienis parochianis.*

§ 1. *De nomine et origine parochorum.*

425. Primitus rectores parochialium ecclesiarum plerumque dicti sunt *presbyteri villani, forenses, parochiani;*

postea *presbyteri baptismalium ecclesiarum, plebium presbyteri,* aut *plebitani.* Hodie præter nomen *Parochi,* quod a voce græca, quæ significat *incolo* vel *præbeo,* critici derivant, quodque communius adhibetur, usurpatur etiam nomen *plebani,* quia parochus plebem spiritualiter pascit; *curati,* quia curam animarum ex officio exercet; *rectoris,* quia populum sibi commissum regit; *proprii,* quia fidelium sibi commissorum sacerdos est ordinarius; tandem, sed improprie *pastoris,* quia plebem pascit pabulo doctrinæ et sacramentorum. Vide infra n. 428.

426. Gravior est quæstio de origine parochorum, quos nonnulli innocue, alii malo fine a Christo fuisse institutos, docere et persuadere conati sunt.

Parochorum institutum sequenti modo ortum fuisse videtur. Primis Ecclesiæ sæculis *parochia,* seu *paræcia,* et *diœcesis* unum et idem erat. Solus parochus erat Episcopus, qui utebatur presbyteris tanquam suis vicariis in salute animarum procuranda. At numero fidelium aucto, primum ruri, dein etiam in civitatibus, presbyteri constituti sunt, eisque peculiaris et proprius populus, quem in spiritualibus pascerent, assignatus est.

In assignando autem tempore institutionis parochorum dissentiunt auctores. Alii eam adscribunt ævo apostolico; alii sæculo II vel III; alii plures cum Thomassino sæculo IV.

Plerique eruditi distinguunt inter parochias in civitatibus episcopalibus et parochias in pagis parvisque oppidis constitutas. In his putant exstitisse parochias sæculo IV; in illis vero, demptis forsan Alexandria et Roma, non ante annum millesimum.

Initio isti presbyteri munere delegato, non proprio, in variis diœcesis partibus vices Episcopi explebant. Munus autem illud, quod insuper instabile et temporaneum erat, ex usu et consuetudine postea stabile et proprium

munus parochiale evasit; censebantur enim Episcopi jurisdictionem fori interni nominationi talium presbyterorum annectere. Nihilominus potestas eorum manebat ita Episcopis subjecta, ut horum arbitrio posset limitari, vel etiam revocari.

Hanc parochorum institutionem, ab Episcopis factam, dein commendarunt Concilia, et tandem retinendam decreverunt, sicque eam retulerunt in jus commune, cujus partem efficere cœpit. Consequenter ab hoc tempore, quamvis originem ducat institutio parochorum ab Episcoporum factis et statutis, 1° jam non pendet ab eorum arbitrio, et 2° innititur, sicut omnis juris communis dispositio, tacitæ saltem R. Pontificis approbationi et confirmationi.

Ex modo proposita parochorum origine, deducamus : *a/* primam eorum institutionem universim tribuendam non esse expressæ R. Pontificis voluntati, ut tradunt Suarez, *de Pœn. disp.* 29; Card. De Lugo, Ib. *Disp.* 20. sect. I.

b/ Institutionem illam primo factam ab Episcopis, dein evasisse juris communis.

c/ Maximam in hac materia partem habere disciplinam universalem, quæ necessario innititur tacitæ saltem R. Pontificis voluntati.

Qui plura desiderat de parochorum origine, adeat Bouix, *de Parocho,* P. I; Houwen, *de Parochorum statu,* cap. II; Binterim, *Denkwürdigkeiten der christ.-katolischen Kirche.* T. I.

§ 2. *De præcipuis circa parochos erroribus.*

Jam nobis indaganda foret parochiatus essentia. Quia vero plures circa parochos sparsi fuerunt errores, utile duximus eos prius excludere, ut dein possimus absque

ambagibus disserere de vera parochi notione, ejusque potestate, officiis et juribus.

427. Inter heterodoxos hic obviam habemus *Presbyterianos,* qui presbyteros ita Episcopis æquales existimant, ut asserere non dubitent nihil quidquam potestatis de jure divino ad Episcopos pertinere, quod æque presbyteris non sit tribuendum. Hanc hæresim, quam primus docuit Aerius, postea renovarunt Wicleff, Jo. Huss, Lutherus, Calvinus et plures protestantium sectæ.

Presbyterianis merito accensentur illi qui, licet superioritatem Episcoporum aperte non impugnent, multa nihilominus indebita secundi ordinis sacerdotio attribuunt, potestatemque episcopalem in presbyteros, multiplici modo, ex divina pariter ordinatione, restrictam erronee sustinent. Quia autem hi non presbyteris quibuslibet sua jurium divinorum commenta attribuunt, sed iis tantum qui curam habent animarum, id est parochis, ideo a pluribus vocantur *parochistæ,* seu *parochialistæ,* et error eorum *parochismus,* seu *parochialismus* dicitur.

Parochistæ præcipui fuerunt: sæculo XIII, Guilielmus a Sancto-Amore, doctor Parisiensis; sæculo XIV, Joannes de Poliaco, alter doctor Sorbonæ, et Ricardus Archiep. Armacanus; sæculo XV, Joannes Gerson, Univ. Parisiensis cancellarius; sæculo XVI, Jacobus Almainus et Joannes Major, doctores Sorbonici; sæculo XVII, Jansenistæ, duce Joanne Duverger, Abbate de Saint-Cyran, quos secuti sunt fere omnes pravorum principiorum fautores, addicti sive placitis Jansenianis, sive Gallicanismo intemperantiori; ad quos etiam referri debent Edmundus Richer, Juvenin, Van Espen et Nicolaus Travers; sæculo XVIII, Synodus Ultrajectensis an. 1762, et J. P. Gibert. Cf. supra n. 378.

In Italia easdem turbas moverunt Tamburini, Guadagnini, Scipio Ricci et pseudo-synodus Pistoriensis, ab eo

habita an. 1786, ac fere omnes Febroniani et Josephistæ. Consule Bouix, *de Par.* p. 82-99, 115-123; Houwen, cap. I. § 2.

428. Adversus illos oretenus potissimum propugnabuntur sequentes propositiones :

1ª Parochi, qua tales, nequaquam sunt septuaginta duorum discipulorum Christi successores.

Septuaginta duo discipuli quidem divinitus fuere designati et missi; sed missio ista nullam aliam illis indidit facultatem, quam populi præparandi ad fidem christianam; non regendi gubernandique jus ullum, aut potestatem, sive ordinis, sive jurisdictionis. Presbyteri sunt septuaginta duorum discipulorum successores, ut ab Ecclesiæ traditione arguitur, eorumque corpus antiquitus constituebat *presbyterium,* id est, Episcopi senatum, seu consilium. Bouix, p. 43; Houwen, p. 21.

2ª Parochi neque divinæ institutionis sunt, neque apostolicæ, sed duntaxat ecclesiasticæ.

Nullum datur in S. Scriptura, vel in Traditione testimonium parochos fuisse a Christo institutos; dein statim vidimus nullum initio Ecclesiæ parochum exstitisse. Cf. Bouix, p. 79; Houwen, p. 19.

3ª Falsum igitur est parochos pertinere ad hierarchiam ab ipso Christo institutam. Bouix, p. 96; Houwen, p. 28.

4ª Falsum est parochos esse judices fidei, et habere vocem definitivam in Conciliis.

Neque jure divino hoc ipsis competit, neque a jure humano fuit ipsis vox decisiva concessa. Bouix, p. 115; Bulla *Auctorem fidei,* prop. 9ª et ss.

5ª Falsum est parochos habere jurisdictionem fori externi, vel saltem potestatem excommunicandi; nisi speciali titulo aliquam acquisierint.

Talis enim potestas ipsis competeret, vel ex jure divi-

no, vel ex jure ecclesiastico; atqui neutrum dici potest. Bouix, p. 125 et 143.

6ª Falsum est parochos habere dignitatem, vel esse Prælatos.

Non enim habent jurisdictionem fori externi, neque unquam ab Ecclesia pro dignitatibus, aut Prælatis agniti fuere. Bouix, p. 168 et 172.

7ª Falsum est parochos ita habere immediatam in suos parochianos potestatem, ut Episcopus nihil possit in plebem parocho subjectam absque ejus consensu, nisi propter ejus negligentiam, vel defectum.

8ª Falsum est parochos non habere ordinariam fori interni jurisdictionem, sed delegatam tantum, seu ab Episcopis commissam.

« Si *enim* parochi Episcoporum meri commissarii, aut delegati existerent, eorum profecto potestas non titulo cuidam, non officio inhæreret, sed ipsorum personæ ita affixa a superioribus concederetur, ut ab eorum nutu, et quoad jurium extensionem, et quoad eorumdem durationem, penitus dependeret... Jam vero hujus generis nihil in pastorum secundi ordinis officio occurrit; istorum enim potestas... non a mera Episcopi voluntate derivatur, sed ab ipso jure communi originem trahit, eaque officio aut beneficio cohæret, cum ipso titulo confertur, et tamdiu existit, quamdiu ipse titulus, omnesque functiones, huic titulo a jure communi annexas, independenter a voluntate Episcopi complectitur. » Houwen, p. 33.

Multi volunt ut parochi non dicantur *Pastores*, vel *sponsi suæ ecclesiæ;* quia hoc proprie de solis Episcopis dicitur, qui fideles regunt cum imperio et jurisdictione externa. Possunt tamen aliqua ratione iis nominibus appellari; sunt enim ministri veri Pastoris, nempe Episcopi, vel Pastores secundi ordinis; et reipsa iis quandoque

vocantur ab ipsis RR. Pontificibus, a Conciliis, ab optimis auctoribus. Cf. Trid. *Sess.* XXV, cap. 12 *de ref.*; *litt. Pii VI ad Episc. Galliæ* 13 Apr. 1791; Nardi, *dei Parrochi*, T. I. cap. 1-4; Bouix, p. 149; Houwen, p. 30.

§ 3. *De vera notione parochi et parochiatus essentia.*

429. Concilium Tridentinum sufficienter indicat quid sit parochia in Capite 13 Sessionis XXIV *de ref.*, ubi statuit: *In iis quoque civitatibus et locis, ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat S. Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.*

Ex his verbis plerique canonistæ docent, quatuor regulariter requiri ad constituendam parochiam proprie dictam : nempe locum certis finibus distinctum; populum ecclesiæ illius loci adscriptum; rectorem certum et unicum, qui habeat propriam sibi potestatem sacramenta administrandi.

Sed hac ratione distingui non valent conditiones parochialitatis essentiales a non essentialibus. Quia tamen et hoc suam utilitatem habet, sequentia ex doctorum æstimatione et RR. tribunalium decisionibus eruimus.

430. Ad essentiam parochiæ non pertinet : 1° distinctio limitum, seu circumscriptio territorialis; determinatio enim populi fieri potest aliis modis, v. g. per familias, vel personas; dum tamen nihil obstat, ex jure fieri debet per distinctionem limitum. Trid. l. c.

2° Unicitas rectoris. Cum tamen hæc efficacius consulat adæquato curæ animarum rectique ordinis exercitio, meliusque conveniat menti et constitutioni Ecclesiæ, regulariter requiritur peculiaris et unicus rector. Trid. l. c. Bouix, p. 183, 188. Hic Brugis sæpe plures habebantur.

3° Perpetuitas rectoris. Secundum jus commune, a Tridentino, *Sess.* XXIV, cap. 2, probatum, parochi perpetui sunt. Verum, licet perpetuitas, seu inamovibilitas rectoris sit conditio communis officii parochialis, ad hujus essentiam tamen non pertinet; nam tota ratio officii parochialis consistit in eo, ut quis ex obligatione et nomine proprio exerceat curam animarum quoad certum aliquem diœcesis populum, qui vicissim ab eo sacramenta recipere teneatur. Porro omnia hæc requisita optime stant, etiamsi parochus sit ad nutum amovibilis, seu revocabilis.

Præterea revocabilitas, ad nutum *Episcoporum* tamen, non est quid in disciplina antiqua inauditum, nec Tridentinis sanctionibus, nec etiam, seclusis abusibus, Ecclesiæ bono contrarium, ut pluribus probant Bouix, *de Par.* p. 209 ss.; Icard, T. I, n. 231.

4° Fons baptismalis, nec cœmeterium. Non enim sunt necessaria, neque unice propria veræ parochiæ; quare nec probant, si adsint, neque si desint, excludunt parochialitatem; ut indicia tamen, seu probationis elementa haberi possunt.

5° Beneficium; potest enim existere officium parochiale apud non habentem beneficium parochiale. Ratio est quod ad parochialitatem non requiratur beneficium, ut deducitur ex allegatis sub 3°.

De jure tamen requiritur beneficium, idque perpetuum *a*/ a parte beneficii; et regulariter *b*/ a parte beneficiati, seu beneficium habentis, qui idcirco inamovibilis dicitur. Cf. inferius tr. *de beneficiis*.

431. Verum ad essentiam parochiatus, seu parochialitatis, requiritur, ut rector in distinctos quoque modo fideles, habeat proprio nomine sibi competentem et seipsum obligantem potestatem fori interni, seu curandi illorum salutem per media in foro interno propria, nempe sacramentorum administrationem, verbi Dei prædicationem, etc.; adeo ut hæc rectoris potestas et officium, una cum fidelium obligatione suscipiendi sacramenta, quæ inter jura parochialia recensentur, constituant muneris parochialis essentiam. Muneris parochialis finis omnis est cura animarum, in qua, peculiaribus illis requisitis affecta, consistit parochialitas.

432. Ex hucusque adductis definiri potest: *a/ parochus:* est nimirum clericus, et ut plurimum sacerdos, legitime deputatus, cum obligatione et potestate proprio nomine prædicandi verbum Dei, et sacramenta ministrandi certo diœcesanorum numero, qui ab eodem vicissim sacra recipere aliquatenus teneantur.

b/ Parochiatus, sive *parochialitas:* est autem vel proprium parochi officium, vel peculiaris status, sive conditio eorum qui parochiali munere funguntur.

c/ Parochia tandem: quæ vox duplicem habet sensum; designat enim vel sacram ædem, et tunc est ecclesia, cui adscriptus est certus populus a rectore ejusdem curandus; vel parochianorum collectionem, et tunc est certa pars incolarum diœcesis, alicui tanquam parocho subjecta, seu portio aliqua diœcesis constans ex fidelibus, qui suum habeant peculiarem rectorem, a quo recipere debeant auxilia salutis. De parochiis agitur in Partis 2^ae^ sectione priori.

§ 4. *De nominatione, institutione et dotibus parochi.*

433. Cum parochi vocati sint in subsidium sollicitudinis episcopalis, satis intelligitur eos lege communi ab Episcopo creandos, nominandos et instituendos esse, prout merito concluditur ex Trid. *Sess.* XXI, cap. 4, et *Sess.* XXIV, cap. 18 *de ref.;* salvo tamen jure R. Pontificis, cui per regulas Cancellariæ plura beneficia etiam parochialia reservantur, et salvis insuper prærogativis patronorum, dum parochiæ sub patronatu sunt constitutæ.

Notandum vero reservationes illas pontificias apud nos non vigere; sublatæ enim sunt articulo x Concordati anni 1801 (supra n. 72). Nullum aliunde superest jus patronatus. Proin sub utroque respectu Episcopus hic libere confert beneficia parochialia, servatis servandis in electione parochorum.

434. Expedit autem maxime animarum saluti ut parochiæ a dignis atque idoneis parochis gubernentur. Ideo mandat Tridentinum, l. c. ut Episcopus inter eos quos, re mature perpensa, dignos recognoverit, eum eligat quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneum judicaverit. Quamobrem nemo regulariter instituendus est parochus, nisi prævio *concursu,* de quo agemus ubi *de beneficiis.*

435. Ad dotes autem quod spectat, in parocho requiritur: 1° morum gravitas et honestas; 2° competens scientia, qua nempe valeat inter peccata distinguere, Evangelium declarare, sacramenta rite administrare, adeoque major requiritur in eo scientia, quam in simplici sacerdote; 3° ætas 25 annorum saltem inchoatorum; 4° ordo sacerdotii; ideo si assumendus in parochum nondum est sacerdos, postulant jura ut saltem infra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum,

ad sacerdotium promoveatur, nisi interveniat Episcopi dispensatio. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 12 et 18 *de ref.*

Parochus intra duos menses a die possessionis adeptæ professionem fidei, juxta formulam a Pio IV editam, emittere debet in manibus Episcopi, vel ejus delegati; alioquin nec fructus suos facit, nec ipsi suffragatur possessio. *Ibidem.*

§ 5. *De jurisdictione parochi.*

436. Diximus supra n. 90, parochum, spectato jure communi, nullam habere proprie dictam jurisdictionem in foro externo, sed tantum œconomicam quamdam potestatem, qua veluti paterfamilias subditis suis invigilat, quaque utitur ad rite administrandam suam parochiam quoad spiritualia ac temporalia, et bonum ordinem in ea tuendum. Nullus jure potest se iis immiscere absque parochi consensu, nisi intervenerit auctoritas superioris.

Porro nuda illa administratio non includit potestatem ferendi leges, aut censuras, dispensandi in legibus, votis, vel juramentis; eam tamen parochi acquirere possunt ex speciali privilegio, vel legitime præscripta consuetudine. Sic de facto ex consuetudine dispensant in præcepto jejunii et abstinentiæ, in observatione dominicæ et festorum, in casibus nempe particularibus. S. Alph. L. IV. n. 1032 et 288.

Jurisdictio itaque parochi restringitur ad forum internum; sed qualis est illa potestas, ubinam, et in quos exerceri potest? En triplex quæstio hic solvenda.

A. De indole jurisdictionis parochi.

437. Jurisdictio parochi in foro interno est ordinaria; a lege enim annexa est officio parochiali. Eo ipso quod quis parochus constituitur, potestatem suam ex jure com-

muni habet, nulla indiget delegatione, vel limitum suæ potestatis determinatione. Quod insuper ex unanimi doctorum consensu confirmatur.

Obj. Jurisdictio ordinaria includit facultatem reservandi casus et delegandi; atqui ex hodierna Ecclesiæ disciplina parochi neutram habent; ergo etc.

R. ad 1m. *a/* Multi auctores tradunt facultatem reservandi per se parochis competere. *b/* Hoc etiam seposito, respondetur talem facultatem eis non fuisse ab Episcopis, vel postea a jure communi concessam.

R. ad 2m. Jure antiquo poterant parochi delegare; quinimo post Trid. *Sess.* XXIII, cap. 15 *de ref.* et *Sess.* XIV, cap. 7 *de pœn.* auctores ipsis theoretice non denegant hanc facultatem: sed passim observant in praxi Episcopos cum approbatione simul concedere jurisdictionem; ac proinde jam non posse parochos delegare jurisdictionem fori interni; quia facultate sua uti non possunt respectu eorum, qui a R. Pontifice, vel ab Ordinario loci jurisdictionem jam acceperunt.

Præterea supposito etiam quod nullam harum facultatum nec habeant, nec habuerint parochi, non licet concludere eorum potestatem non esse ordinariam. Juri communi enim tribuendum est, quod absint aliquæ facultates regulariter cum ordinaria potestate conjunctæ, et hæc deficientia non impedit quominus prædicta potestas a jure determinata titulo annectatur.

Ceterum pro multis negotiis, in quibus non agitur de stricte dicta jurisdictione, nec de verbi Dei prædicatione, adhuc parocho competit delegandi facultas, v. g. pro assistentia matrimoniali, baptismo, extrema-unctione et S. Viatico, ut vidimus supra n. 102.

458. Quia autem vere ordinaria est parochorum jurisdictio et a jure communi dimanat, sequitur :

1° Episcopum non posse tot sibi reservare casus, ut

fere inanis reddatur et tolli videatur potestas parochorum ordinaria.

2° Quamvis Episcopus alteri sacerdoti, etiam parocho invito, facultatem baptizandi aliaque sacramenta ministrandi delegare possit, id tamen raro, et non nisi urgenti de causa faciendum esse, ut declaravit S. Congr. Episc. et Reg. 14 Dec. 1604, et 12 Junii 1618.

3° Parochum perpetuum jam non posse ab Episcopo removeri, nisi ob causam a jure communi probatam, et secundum modum ab eo præscriptum.

B. De locis ubi jurisdictio parochi exercetur.

439. Ordinariam suam jurisdictionem parochus exercet in cura ecclesiæ suæ parochialis. Sed an jus aliquod habet in alias ecclesias, vel oratoria, quæ in ejus parochia existunt?

Nulli dubium est quin jurisdictioni parochi subjiciantur ecclesiæ et oratoria, ecclesiæ parochiali annexa; verum si ab ea sint separata, tenendum est ea non esse subjecta parocho, sed Episcopo, cujus permissu, sive a rectore per ipsum deputato, sive ab aliis, sacræ functiones ibi peraguntur. Parocho hoc solum jus est cavere, ne in ecclesia hujusmodi, vel oratorio, exerceantur, salva tamen superiorum auctoritate, jura vel functiones parochiales; ast hæc ipsa, aliasve sacri ministerii partes non potest parochus, invitis rectoribus, vel patronis, in iis exercere.

Ipsæ autem rectorum personæ, si non sint exempti, quamvis liberæ sint a servitio ecclesiæ parochialis, cui non sunt adscriptæ, juribus tamen parochialibus subjacent.

Oblationes vero, quæ pro ipsa ecclesia, vel oratorio dantur, hodie neque pro minima parte ad parochum per-

tinent; potest tamen eas administrare, quando loca illa non habent rectorem, vel vicarium, et non fuit alio modo huic administrationi provisum. Hæc de jure communi. Pro oratoriis, vel ecclesiis vide *Decretum Urbis et Orbis* diei 10 Dec. 1703, *in append. IV.*

C. De subjectis jurisdictioni parochiali seu de parochianis.

440. Parochiani dicuntur illi, qui subjacent jurisdictioni parochi, et ab eo possunt vel etiam debent recipere sacramenta (supra n. 431 s.).

Jam vero ex ipsiusmet vocis etymologia intelligitur, parochiani qualitatem ab habitatione intra parœciæ fines pendere. Sed habitantes parochiæ in jure canonico distinguuntur in incolas, advenas, peregrinos et vagos.

Incolæ vocantur, qui permanent in loco originis; *advenæ,* qui extra locum originis domicilium vel quasi-domicilium acquisierunt; *peregrini,* qui accidentaliter habitant in loco, in quo nec domicilium, nec quasi-domicilium habent; *vagi,* qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent.

An ex ista habitantium distinctione haberi potest solutio præsentis propositionis; an vero ex alio capite repetenda?

Respondet Ex. Moulart, *de sepult. et cœm.* p. 178 : « Missis nonnullorum ex antiquis canonistis subtilioribus distinctionibus, quibus hodie patroni non sunt, universim affirmari potest, ex recepta sententia quem fieri parochianum duplici modo : nempe domicilio proprie dicto et quasi-domicilio, » ecclesiastico scilicet, et non *originis* seu *nativitatis,* sed *habitationis,* quod semper intelligitur in jure, ubi de domicilio absoluta fit mentio, quodque solum sufficit ad parochialitatem adipiscendam.

« Est autem in genere domicilium locus habitationis

diuturnæ seu longi temporis; et duplex agnoscitur : *domicilium* proprie dictum, et *quasi-domicilium*. »

441. Domicilium proprie dictum dicitur locus ille, in quo quis larem habet, aut majorem fortunarum suarum partem constituit, animo ibidem perpetuo commorandi.

« Ad domicilium igitur proprie dictum, quod voluntate propria habetur, et ideo dicitur propriæ electionis (nam filius retinet domicilium paternum quoadusque ei renuntiet), duo copulative requiruntur et sufficiunt : *factum* et *animus* : factum, seu actualis habitatio in loco, et animus, seu voluntas ibi perpetuo manendi; intellige tamen, nisi quid postea avocet; sufficit namque perpetuitas proposita, quamvis deinde propositum mutari et habitatio alio transferri queat.

« Factum quidem facile verificatur; sed animi probatio interdum absque difficultate fieri non potest. Hujus probationis elementa nobis præbent sequentes regulæ, quas ex Rigantii opere *Comment. in regulas, constit. et ordinat. Cancellariæ apost.* depromptas hic subjicimus.

« *a*/ Si quis *expresse* declaret animum perpetuo manendi in loco ad quem se transtulit, ex tali declaratione cum secuto facto transmigrationis ad locum, illico contrahitur domicilium absque ullo temporis lapsu, etiamsi majorem partem bonorum in eum locum non transferat, ac licet sit prætor, scholaris etc. Quia per expressam animi declarationem tollitur præsumptio illa recedendi, quæ oriri videtur ex causa studiorum, officii etc. Contra vero nunquam domicilium contrahitur, si animus ille aliquo modo manifeste excludatur.

« *b*/ Quando non *verbis*, sed *factis* quis declaraverit se velle in loco, ad quem se transtulit, domicilium contrahere; v. g. quia eo familiam traduxit, majorem fortunæ partem transtulit, bona acquisivit, sepulturam familiæ construxit, etc.; ex his similibusque circumstantiis, nisi

animus perpetuo manendi aliter excludatur, domicilium contrahitur, etiam ante decennalem habitationem.

c/ In dubio, sc. si quis ad habitandum in certum locum se contulit, et nunquam, aut verbis, aut factis, declaravit se velle aut nolle alicubi perpetuo manere, tunc ex habitatione decennali *præsumitur* animus perpetuo manendi, et domicilium contrahitur. Verum cessat illa præsumptio quando constat de aliqua causa accidentali, ob quam se eo contulit ad habitandum, inde discessurus hac causa cessante; v. g. causa studiorum, muneris professoris, aut alii officii. »

Nota 1° Per habitationem cum animo perpetuo manendi domicilium acquiritur a prima die habitationis.

2° Ille qui in duabus parochiis *æqualiter*, aut *fere æqualiter* degit, ac in utraque habet larem seu sedem habitationis, vel negotiorum, v. g. hieme in civitate et æstate ruri, ex juris dispositione duplex habet domicilium, et consequenter duos parochos proprios; uterque enim gaudet jurisdictione ordinaria in ipsum. Valide igitur et licite actus parochiani exercet coram alterutro; ast conveniens est, ut eos exerceat coram parocho loci, ubi degit tempore quo exercentur.

442. Ad effectum parochialitatis plenissime sufficit domicilium; sed non omnino requiritur; fieri enim quis potest parochianus per quasi-domicilium, seu per habitationem, quæ domicilio æquivalet in ordine ad parochialitatem.

Per quasi-domicilium intelligitur habitatio duntaxat temporalis, longior tamen, sed absque animo ibi perpetuo manendi.

Theologi non pauci, inter alios Carrière, *de matr.* n. 1276 s. et Scavini, *Theol. mor.* T. IV. n. 554, duplicem viam, præter domicilium, agnoverunt parochialitatem obtinendi, et quasi-domicilium a simplici *habitatione*

distinxerunt. Verum hæc distinctio mera est verborum æquivocatio, cui solidum fundamentum in jure frustra quis quæreret. Quasi-domicilium, de quo plures canonistæ, et simplex habitatio de qua Fagnanus, ad cap. *Significavit, de paroch. et alien. paroch.* n. 40 ss., unum quid sunt et idem. Duplex tantum a jurisperitis admittitur via ratione domicilii sortiendi forum : domicilium proprie dictum et longi temporis habitatio; sed hæc ab aliis habitatio simpliciter, ab aliis (quia hæc habitatio quoad effectus domicilio æquivalet eique æquiparatur) quasi-domicilium dicta est.

Tota igitur quæstio in eo est, qualis debeat esse illa habitatio, quanto tempore debeat durare, ut quis jura parochialia consequatur.

Jam vero *a)* juxta communem sententiam quasi-domicilium acquiritur ex habitatione per majorem vel mediam anni partem, quacumque de causa locum habeat, etsi causa recreationis, vel rusticitatis, vel ad effectum aliquem parochialitatis obtinendum, licet hoc obtento diutius non maneat. « Ex una namque parte, ait Ex. Moulart, l. c. p. 189, communiter canonistæ sex mensium in loco habitationem absolute et indiscriminatim sufficientem habent, ut quis fiat hujus loci parœcianus : ex altera vero nihil in scriptis a Fagnano et Benedicto XIV, nihil in praxi S. Congregationis invenitur quod huic doctrinæ adversetur. Quamquam enim Fagnanus et Benedictus, necnon in laudatis responsis S. Congregatio unius duntaxat mensis residentiam in certis quibusdam adjunctis insufficientem habuerint, notionem tamen veræ habitationis seu quasi-domicilii cum his etiam adjunctis absolute componi posse haud dubie admittunt : quandoquidem species casus referunt, in quibus, licet matrimonium contracturi alienam ecclesiam cum determinata intentione parochialitatem adipiscendi petierint, valere

nihilominus conjugium ob *diuturniorem*, sive antecedentem sive subsequentem, habitationem resolvunt. »

At vero si residentia minoris sex mensibus spatii sit, rem esse dubiam et ad superiorem, qui litem dirimat, remittendam arbitramur. Ratio est, quod solutio repeti nequeat ex jurisperitorum doctrina.

b/ Passim traditur quasi-domicilium acquiri ex habitatione cum formali intentione manendi per majorem vel mediam anni partem. Si enim a prima die contrahitur domicilium ex habitatione cum animo *perpetuo* manendi, cur eodem jure non contraheretur a prima die quasi-domicilium ex habitatione cum animo manendi *per majorem aut mediam anni partem?*

Practice tamen, ait Ex. Feye, *de imp. et disp. matr.* p. 137, ex Benedicti XIV constitutione *Paucis abhinc,* exspectandum est per spatium saltem unius mensis, ut effectus parochialitatis obtineatur.

Hinc juxta ipsos si matrimonium ante mensem ineatur, de ejus valore consulenda est S. Sedes. Tale quid non requirunt S. Alphonsus et alii, L. VI. n. 1091.

c/ Juxta plures acquiritur quasi-domicilium ex habitatione unius saltem mensis, etiam absque intentione manendi per majorem anni partem, modo residens expressam non habeat intentionem non morandi per majorem anni partem, et causa, ob quam ad alienam parochiam se transtulit, non sit talis, quæ posset probabiliter incontinenti cessare. Hoc colligitur ex eo quod intentio manendi per majorem anni partem neque a S. Congregatione, neque a Fagnano, neque a Benedicto XIV exigatur.

Dictum est *Modo causa talis non sit quæ possit probabiliter incontinenti cessare;* etenim si habitatio fiat recreationis, rusticitatis, curandæ sanitatis, aliave hujusmodi causa brevi duratura, vel ex intentione effectum aliquem

parochialitatis obtinendi, eoque obtento recedendi, non sufficit ad constituendum quasi-domicilium; nam hujusmodi circumstantiæ tollunt a residentia veram habitationis notionem, eamque potius ad hospitalitatem reducunt; dein ex juris pontificii sanctionibus et ex S. Congr. Concilii resolutionibus certum est, parochum ruralem non esse parochum illius, qui rus ivit recreationis causa, vel pro rusticanis negotiis exercendis, vel pro alia hujusmodi causa brevi duratura. Quam doctrinam Fagnanus communiorem et veriorem vocat, et a S. Congr. Concilii sæpius fuisse applicatam ostendit. In Fagnani sententiam discedit Benedictus XIV, eamque tenent Moulart, Nouv. Rev. Théol. 1871, T. I. p. 70, Feye qui citat post multos Germanos Gousset et Scavini, contra recentiores alios, inter quos Carrière, Van de Burgt, Mél. Théol., Rev. Théol., Icard, T. I. n. 244, qui sustinent sufficere simpliciter moram unius mensis, et nullam habendam esse rationem intentionis seu finis ob quem mora trahitur in loco.

Qualis igitur debet esse commoratio in loco concurrentibus hisce circumstantiis?

Sex mensium residentia sufficiens certo videtur, ut vel in his circumstantiis acquiratur quasi-domicilium. Supra sub *a*/.

Hinc prætores, judices, medici, facultatis alicujus professores, vel discipuli, qui absque vero domicilio locum inhabitant, juvenes qui in seminario aut collegio, puellæ quæ in monasterio, etc. educationis causa degunt, ancillæ et famuli, qui in dominorum suorum domo commorantur, milites qui in præsidiis, sive stationibus, aut in castris sunt, ægrotantes qui valetudinis causa extra proprium domicilium meliorem sedem peritoremque medicum quærunt, inque aliena parochia hac de causa sedem figunt, etc.; hi omnes, inquam, quasi-domicilium

habent in parochia in qua hic et nunc a mense integro commorantur, illiusque sunt parochiani.

Qui vero sic commorantur in loco propter educationem, temporale officium aliamve causam, absque animo ibi perpetuo manendi, retento proprio paterno domicilio, duos habent parochos, alterum domicilii, alterum quasi-domicilii; quo casu idem dicendum est quod diximus supra de illo qui habet duo domicilia.

Nota 1° Qui inhabitat domum quæ sita est in duabus parochiis, illius est ecclesiæ parochianus, in qua est porta principalis, sive anterior facies domus; quod si duæ sint portæ æque principales, erit illius quæ est in possessione sacramenta administrandi.

2° Vagi, qui nempe nullibi domicilium, aut quasi-domicilium habent, sed de loco in locum vagantur, subsunt illæ parochiæ, in qua hic et nunc degunt. Ita omnes.

§ 6. *De obligationibus parochorum.*

Omnes parochorum obligationes spectant vel ad curam spiritualem gregis sibi commissi, vel ad regimen bonorum temporalium suæ ecclesiæ. Generaliter describuntur in Tridentino *Sess.* XXIII, cap. 1 *de ref.* (supra n. 333), cum quo confer Stat. diœc. p. 71 ss.

A. De obligatione celebrandi pro grege.

443. Tenentur parochi dominicis et festis diebus, etiam ex apostolica indulgentia quoad onus audiendi missam et ab operibus servilibus abstinendi suppressis, S. Sacrificium pro grege *per se,* aut, si legitimo detineantur impedimento, *per alium* offerre, seu illius fructum specialem populo sibi commisso gratis applicare. Cf. Theol. Mechl., *deSacr. missæ,* n. 15; Verhoeven, *Diss.* 1842 et 1849; *Ep. circ.* Ill. Malou, 24 Dec. 1858; *Decr.* Congr. dec. an. 1859, I-VII; Stat. diœc. p. 79.

Non abs re erit paucis explicare, quinam, quando et ubi teneantur missam pro populo offerre.

444. Dicta obligatione præter parochos stricte dictos tenentur : *a/* vicarii-curati, qui nempe curæ exercitium actuale habent, remanente penes alium cura habituali; *b/* vicarii, seu œconomi, qui vacante parochia, ad curam in ea exercendam deputantur; *c/* curati ad nutum amovibiles, ut nostri succursalistæ; *d/* rectores filialium ecclesiarum, et illarum quæ in decreto civili anni 1809 vel *annexæ,* vel *oratoria publica* vocantur, dummodo certum quemdam fidelium numerum habeant, cui immediate et principaliter sacramenta ministrent, iidemque fideles alium parochum non habeant, qui pro ipsis offerre debeat; *e/* regulares, qui parochi, vel vicarii titulo curam exercent; *f/* parochi begginagiorum, si sint a parochia separata. Ben. XIV, const. *Cum semper,* 19 Aug. 1744 (Bull. vol. II. p. 307).

Ast quoad hanc obligationem parochis non annumerantur sacerdotes cooperatores, directores sanctimonialium, eleemosynarii carcerum et militum, directores collegiorum, capellani asylorum pro pauperibus, nec regulariter rectores hospitalium, aliorumque ejusmodi locorum, quia non sunt rectores parochiæ proprie dictæ. Cf. Anal. jur. pont. III, 5 ser. p. 585; Verhoeven, in *Diss.* an. 1842, p. 78 ss.

Notandum superest illum, qui duabus parochiis non unitis, vel ad tempus, vel in perpetuum præfectus est, debere in una per se, in altera vero per alium offerre pro populo; nisi tamen habeat potestatem binandi.

445. Ut facile colligitur ex verbis *per se, aut per alium,* supra adhibitis, tenemus cum maximi nominis theologis et canonistis, innixis doctrinæ S. Congregationis Concilii et ipsius Synodi Tridentinæ, onus celebrandi pro grege esse personale et reale simul : id est, si parochus potest

celebrare per seipsum, nequit celebrare per alium; si vero legitime impediatur, alium sibi substituere potest et debet; nisi a R. Pontifice dispensetur.

E doctoribus ut unum citemus S. Alphonsum : « Omnino tenendum, ait L. VI. n. 326, (quod) obligatio (parochi) applicandi populo fructum missæ simul est *personalis* (quia, si potest celebrare per se ipsum, nequit celebrare per alium), et etiam *realis,* cum sit una ex obligationibus muneri pastoris annexis, prout dictum fuit in Concilio Tridentino *Sess.* XXIII, cap. 14 *de ref.,* ubi mandatum fuit sacerdotibus curam animarum habentibus missas celebrare *tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant* (cf. *ibidem* cap. 14)... Sicut igitur tenetur pastor suas oves pascere prædicatione... sic etiam tenetur pascere applicando eis fructum sacrificii; quapropter, sicut pastor impeditus prædicare... tenetur prædicare... per alium (hoc expresse statuit Tridentinum *Sess.* XXIV, cap. 4 *de ref.*); ita impeditus applicare per seipsum populo missam, tenetur per alium applicare sacrificii fructum, quod est pasculum utilius, quo populum juvare potest. »

Sententia autem S. Congregationis hac in re constans est et firma, nec unquam rationem habuit contrariæ consuetudinis, licet immemorialis. Ita decrevit in *Fesulana* anni 1770 et 1771 infra citanda; similiter in *Castri Albi,* 18 Julii 1789, ubi juxta doctrinam Benedicti XIX, *const. citata,* insuper declaravit consuetudinem, etiam antiquam seu immemorialem, non posse admitti; recenter in *Sylvæ-Ducis,* 11 Martii 1843, subrogationis facultatem cohibuit *ad casus veræ necessitatis, et dummodo fieret ex causa canonica.* Tandem juvat hic exscribere resolutionem, quam S. Congregatio edidit in *Mechlinien,* 25 Septembris 1847.

Ad dubium III. *An parochi ipsi SS. missæ sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impe-*

diantur; an vero per alium, ex. gr. sacellanum aut presbyterum advenam, huic officio satisfacere possint?

Ad dubium IV. *Quid censeri debeat de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat, et nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi missam pro populo in alium sacerdotem transfert?*

Respondit ad III : *affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu veræ necessitatis et concurrente causa canonica;* ad IV autem, *consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.*

Cujus rei ratio esse videtur, quod, licet sacrificium prosit *ex opere operato,* « fructus tamen sacrificii, ut aiebat Ponens in eadem causa, uberior *ex opere operantis* esse possit, et jure putandus est innixius et efficacius ad Deum ille esse oraturus, cujus oves sunt propriæ, quam qui mercenarius est. Deinde... in celebratione missæ pro populo parochus ministerium mediatoris exercet, et hoc alteri mandari non potest, quippe eligitur persona. »

Idem non obscure docent verba Concilii Tridentini; nam enumeratis officiis parochi (supra n. 333), inter quæ non ultimum locum obtinet officium celebrandi pro grege, pergit dicens : *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Quare tam impense inculcat parochis legem residentiæ, nisi quia officia eorum sunt personalia?

Dein cum parochus non solum teneatur celebrare pro populo, sed etiam missam populo applicare, ut sufficienter insinuatur verbis Tridentini *pro iis sacrificium offerre* (quod declaravit quoque Benedictus XIV in præfata bulla), dubitari non potest quin munus parochi celebrandi pro grege simul sit reale.

446. Decretis autem insistentes S. Congregationis di-

cimus non posse parochos per alium sacerdotem applicationis munus implere, nisi, sint *gravi aliqua causa* impediti. At quandonam legitime impediti censendi sunt? Opinatur Verhoeven, *diss.* 1849, p. 27, potissimum tres esse causas, quæ legitimum constituunt impedimentum.

a/ Si parochus sit simul canonicus, et missam conventualem celebret, quæ applicari debet benefactoribus; tunc missa parochialis celebrari potest per alium, ut dicitur § 17 citatæ constitutionis Ben. XIV. Idem dicendum non esse, citra dispensationem, si diebus dominicis et festivis de præcepto occurrat funus, vel missa pro sponsis, colligitur ex declaratione S. C. C. *in Fesulana* infra citanda.

b/ Si parochus ob infirmitatem celebrare nequeat. S. Alph. L. VI. n. 326.

Hic probe notandum est, legem Ecclesiæ generalem non obligare parochum ad missam stata hora, cum cantu, vel peculiari aliqua solemnitate celebrandam. Idcirco si disciplina localis habeat ut applicetur missa *solemnis*, hancque parochus, licet privatim celebret, cantare non possit, v. g. ob debilem valetudinem, aut alias functiones, quas in alium convenienter transferre non potest, ut in numerosis parochiis facile contingit, poterit eam alteri sacerdoti celebrandam committere.

Quinimo cum celebratio missæ solemnis, decretis diœcesanis vel usu locali introducta, omnino pendeat ab Episcoporum voluntate, ut parochus eximatur ab obligatione per seipsum celebrandi summum sacrum, sufficiunt causæ expresso, tacito vel etiam rationabiliter præsumpto Episcopi consensu probatæ.

Hujusmodi causas esse censemus, præsentiam presbyteri alieni, qui ad breve tempus in parochia moratur; honorem deferendum neo-sacerdoti, ut primitias offerat in ecclesia parochiali.

His in casibus quamvis possit, non necessario debet ista missa solemnis applicari pro populo; sufficit ut parochus missam privatam celebret pro suis. Ita decrevit S. Congr. Rituum 27 Febr. 1847.

c/ Si parochus legitime sit absens; ita decrevit S. C. C. in *Comen,* 11 Maii 1720.

447. Non parva olim viguit controversia circa dies, quibus, præter dominicos et festivos de præcepto, parochi tenentur missam pro populo applicare; sed nuperrime omne dubium sustulit SS. Pius IX, per Encyclicam *Amantissimi* 3 Maii 1858. Dies enumerat Theol. Mechl. *de Sacr. missæ append. 5,* eosque Calendarium nostrum liturgicum notat signo ×.

Sunt autem dies festivi abrogati, qui enumerantur in constitutione Urbani VIII *Universa per orbem,* 13 Sept. 1642, quibus addendum est festum Immaculatæ Conceptionis.

Si festum, quo missa pro grege celebranda est, incidat in dominicam, obligationi suæ satisfaciunt parochi semel applicando pro populo.

Quæritur autem an ista parochorum obligatio ita diebus illis affixa sit, ut 1° die transacta cesset; et 2° nunquam possit præveniri, seu per anticipationem adimpleri, vel in alium diem differri?

R. ad 1^m Negative; dies enim illi minime determinati fuerunt ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam. Et revera onus offerendi missas pro grege est ex præcepto divino; consequenter cum Ecclesia determinat tempus illud adimplendi, non censetur ab ipso dispensare; quod confirmatur ex eo quod permittat ut quandoque differatur, nunquam vero ut prætermittatur ista obligatio. Quapropter parochus, qui ex ignorantia, errore, negligentia, aliave id genus causa omiserit applicare pro populo, debet omissiones supplere, nisi obtinuerit condonationem a S. Sede.

R. ad 2m distinguendo : vel agitur de diebus festivis abrogatis, vel de dominicis et festivis de præcepto.

In priori casu, si ritus festi permittat missam exequialem, vel pro sponsis, et desit sacerdos, cui commode committi valeat applicatio pro grege, hæc differri potest ad diem sequentem toties quoties occurrat applicatio, vel pro funere alicujus defuncti, vel pro sponsis. Ita respondit S. Congr. Concilii ad Episcopum Nanceiensem et Tullensem, 13 Jan. 1858.

Iis autem diebus festivis, quorum solemnitas, nec a populo, nec a clero celebratur, minor sane ratio requiritur, ut missa pro grege vel differatur, vel uno alterove die præveniatur.

In altero vero casu, etiamsi per rubricas liceat celebrare missam exequialem, parochus, ne quidem præsente cadavere, applicare potest pro defuncto, et ad alium diem transferre applicationem missæ pro populo, consuetudine, licet immemoriali, non obstante, ut docet Ben. XIV. Hoc decrevit S. Congr. Rituum, 26 Jan. 1793 ad VII; et sane S. Congregatio Concilii in *Fesulana,* ad dubia I. *An parochi in dominicis, aliisque festis diebus, præsente cadavere, possint celebrare missam pro defuncto, et ad alium diem transferre missam pro populo applicandam in casu? Et quatenus negative,* II. *an saltem applicationi missæ pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu?* In comitiis 26 Jan. 1771 rescripsit ad I et II *negative.*

Ast rigorem hunc temperavit Benedictus XIV in citata constitutione, concedendo Episcopis facultatem dispensandi cum parochis, qui adeo tenues habent redditus ut fere ex eleemosynis missarum vivere cogantur, eisque permittendi, ut, accepta diebus festis eleemosyna, transferre ad aliam diem possint missam pro populo applicandam. Simili indulgentia usus est Pius IX in Encyclica

Amantissimi. Permittit nempe ut parochi pauperiores petant dispensationem pontificiam ab onere celebrandi pro grege diebus omnino abrogatis, sed quoad istud onus in Encyclica renovatis. In nostra autem diœcesi requiritur, ut parochus ante recursum causas sui recursus Episcopo exponat. Cf. Decr. Congr. pro-syn. anni 1859, *Decr. I.* Cf. Daris, vol. II. n. 282.

448. Denique ad quæstionem de loco quo celebranda sit missa pro populo, respondendum est aliqua distinctione. Diebus festivis abrogatis potest eam celebrare parochus ubicumque locorum, etiam extra parochiam. Diebus autem dominicis et festivis de præcepto mens quidem Ecclesiæ est, ut missa pro grege celebretur ipso grege præsente, ac consequenter, vel in ecclesia parochiali, vel saltem in oratorio publico intra limites parochiæ. Quapropter parochus legitime absens potest, uti diximus, per alium missam populo applicare in ecclesia parochiali. Ast asserere non auderemus parochum ad hoc teneri; sufficere in casu videtur, ut parochus ipse pro grege celebret, et tot missas in parochia litari curet, quot necessariæ sunt ut populus præcepto audiendi missam satisfacere queat. Cf. Theol. Mechl. l. c. ubi quærit, an et quandonam pastores et alii curam pastoralem gerentes teneantur *in suis ecclesiis* missam celebrare.

Contrarium tamen tuetur Verhoeven, *diss.* 2ª p. 27 ss., et docet, parochum, qui legitime vel illegitime abest, etsi non impediatur quominus missam celebret in loco ubi moratur die festo, semper debere per alium sacerdotem applicationis officio satisfacere; quia missa pro populo celebranda est in ecclesia parochiali.

AA. De binatione.

Paulo ante insinuavimus parochum quandoque teneri ad celebrandum bis de die. Propterea hic opportune in-

dagatur quandonam, et sub quibus conditionibus liceat parocho, aliive sacerdoti binas eodem die celebrare missas, seu *binare,* uti dicitur.

449. Q. I. An et quandonam liceat eodem die missam iterare?

R. Liquido constat ex historiæ ecclesiasticæ monumentis a primis Ecclesiæ temporibus usum obtinuisse, ut sacerdotes pluries uno eodemque die divina mysteria celebrarent. Ast sive sub Leone IV (847) ut nonnulli opinantur, sive sub Alexandro II, ultra medium sæculi XI, seu potius sub Innocentio II (1242) hoc vetitum fuit. Interrogatus enim laudatus Pontifex a Wigorniensi Episcopo « *Utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare?* » respondit : « *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare* » L. III. *Decr.* tit. 41, cap. 3. *Consuluisti, de Celeb. miss.* Quo in capite verbum *sufficit* non simplex consilium, sed proprie dictum præceptum inculcat, ut probat decretalis contextus, constans et unanimis doctorum interpretatio, decisiones SS. Congregationum, et generalis Ecclesiæ praxis. Duplex autem universali isti legi apponitur de jure communi exceptio : prior nempe quoad diem Natalis Domini, posterior vero in casu necessitatis. De ultima hic sermo habendus.

450. Quænam porro hujusmodi debeat esse necessitas, antiquitus non parum inter doctores disputatum est. Hodie vero, præsertim post Ben. XIV, const. *Declarasti* anni 1746 (vol. IV. p. 52), communis est canonistarum sententia necessitatem talem requiri, ut populus, vel magna ejus pars, secus careret missa diebus dominicis et de præcepto festivis. Quod contingere potest triplici in casu : nempe quando parochus duarum parochiarum curam gerit et in alterutram ecclesiam nequeat totus

populus convenire; quando parochus unicam quidem habens parochiam, partem tamen populi habet adeo ab ecclesia dissitam, ut parocho celebranti difficillime vel nullatenus adstare valeat; quando unicam habet parochiam et unicam ecclesiam, sed non potest universus populus in ea simul adesse.

Ut autem secunda celebrari possit missa, in singulo casu tres requiruntur conditiones, nempe:

a/ Ut notabilis fidelium pars secus careret missa.

b/ Ut deficiat alius sacerdos, qui aliud sacrificium offerre valeat. Hæc autem deficientia tunc tantum admittitur, quando nullis mediis canonicis ei occurri potest; quæ media sunt adjunctio alterius sacerdotis, juxta Trid. *Sess.* XXI, cap. 4 *de ref.*, vel parochiæ dismembratio. Neque sufficit ut parochus ob inopiam suppeditandæ alii sacerdoti pro missæ Sacrificio eleemosynæ sit impar, vel existat consuetudo in contrarium, etsi vetustissima; nam quævis consuetudo expositis principiis contraria est corruptela.

c/ Ut die quo binatur currat pro populo præceptum audiendi missam; nam binatio tantum conceditur ut possit populus illi præcepto satisfacere. S. R. C. ad Ep. Namurc. 11 Sept. 1841. Cf. Anal. jur. pont. I. 1ª ser. col. 558. Ben. XIV. l. c.

Extra casum quo sacrificium iterare licet, sub gravi prohibitum est binas eodem die celebrare missas, et sacerdos huic prohibitioni contraveniens gravi etiam ab Episcopo plecti potest pœna; sed nulla est a jure statuta.

451. Q. II. An et quænam requiratur ad missæ iterationem licentia?

R. Quidam plane negant alicujus requiri licentiam, ea ducti ratione, quod facultas hæc curam parochialem habentibus a jure communi concedatur. Juxta plures post Benedictum in *cit. const.* requiritur et sufficit licentia Or-

dinarii, excepto tamen casu necessitatis subito exortæ, quo ad ipsum recurri non potest. Id autem obtinet, sive agatur de iteranda missa in duabus ecclesiis, sive in una; sive super diverso altari, sive super eodem; quidquid in contrarium afferant Anal. jur. pont. *ibidem* col. 560. Suadendum tamen ut, si fieri possit, potius in duabus ecclesiis sacerdos celebret quam in una, et si in una, potius super diverso altari quam super eodem. Cf. *Decr.* Congr. decan. an. 1859, II et VII, et an. 1860, II.

Cum autem magna requiratur necessitas et magna cautela in usu istius sat restrictæ potestatis, solent Episcopi ad S. Sedem recurrere ad obtinendam, præter ordinariam, etiam delegatam in hoc puncto potestatem, ut majori cum securitate et facilitate procedant. Sic Episcopi Belgii facultatem celebrandi bis de die, eamdemque communicandi potestatem obtinent in Quinquennalibus, quas vide apud Dens, T. VI. n. 222.

452. Q. III. Quid tandem tenendum circa iteratæ missæ applicationem et stipendium?

R. Quoad applicationem certum est, parochum qui binat suo muneri satisfacere unicam missam applicando pro grege sibi commisso, excepto tamen si præpositus sit duabus parochiis non unitis unione plenaria et exstinctiva. Quo casu per consequentiam necessariam clarum quoque est, non posse pro ipso agitari quæstio de duplici stipendio.

Sed dum libera est alterius missæ applicatio, an potest pro ea recipi stipendium, seu eleemosyna?

Dubium ortum est, *a*/ ex eo quod nulla existat lex generalis hoc expressis verbis prohibens; *b*/ ex eo quod receptum sit, ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus missis tria recipi possint charitativa stipendia, et in Aragonia, Valentia, Catalaunia, Majorica sacerdotes sæculares, qui duas, et regulares qui tres missas celebra-

bant in die commemorationis O. D., duplicem quoque, vel respective triplicem eleemosynam reciperent; hoc vero vetitum esset in ceteris provinciis Hispaniarum et Portugalliæ, in quibus ex speciali indulto Benedictus XIV concesserat, ut in die commemorationis O. D. tres missas singuli sacerdotes celebrare possent.

453. Antequam controversiam solvamus quædam prænotanda sunt.

a/ Nulli dubium quin R. Pontifex valeat concedere facultatem recipiendi stipendium pro secunda missa in casu liberæ applicationis.

b/ Nec dubium est, quin vel R. Pontifex, vel Episcopus loci, dum concedunt licentiam binandi, adjicere possint conditionem non recipiendi stipendium pro secunda missa. Hæc conditio valida est et servanda.

c/ Certum etiam est illum, qui pro necessitate populi, vel incolarum ab ecclesia remotorum commoditate, secundam celebrat missam, sive in ecclesia parochiali, sive in filiali, sive in sacello in parochia erecto, aliquam remunerationem, seu pensionem annuam, sive ex fundatione, sive ex contractu, recipere posse pro itinere, vel incommodo, onere, seu labore exstrinseco secundæ missæ; eumque ratione istius remunerationis non obligari ad missam illam pro populo applicandam, quando de applicatione nihil stipulatum est. S. C. C. in *Monasterien,* 14 Jan. 1845; per sum. prec. in *Cameracen,* 25 Sept. 1858; in *Treviren,* 27 Martii 1861.

d/ Idem probabiliter dicendum arbitratur cl. Daris, vol. II. n. 288, in casu quo die dominica vel festiva, cujus ritus patitur missam exequialem, defunctus est sepeliendus. « Parochus, ait, qui ea die binare tenetur propter necessitatem populi, posset alteram pro populo, alteram pro defuncto applicare, ac stipendium missæ exequialis et oblationes percipere, *uti remunerationem*

curæ spiritualis defuncto impensæ. » Hoc nobis videtur confirmari ex Benedicti XIV, *Inst.* XXXVI, 15.

454. Extra illos casus prohibitum est eleemosynam recipere pro applicatione secundæ missæ.

Etenim licet, præter casum unius parochi in duabus parochiis distinctis, nulla existat lex generalis, saltem in forma consueta promulgata, quæ expressis verbis prohibeat, ne sacerdos, qui binat pro populi necessitate, stipendium recipiat pro applicatione secundæ missæ, nulla tamen amplius superest de prohibitione dubitandi ratio.

Probatur. Innocentius III prohibuit ne sacerdos extra casum necessitatis bis in die celebret, ad resecandam cupiditatem sacerdotum, qui sæpius in die celebrabant ad cumulanda stipendia. Regulariter itaque prohibetur missæ iteratio, idque ad tollendum abusum ex perceptione plurium stipendiorum ortum. En lex et motivum legis.

Jam vero, cum ab una parte celebratio missæ et receptio stipendii non sint inter se connexæ, et consequenter ex concessione binæ celebrationis non necessario sequatur concessio bini stipendii; cum ab altera parte ex concessione duplicis stipendii in casu binationis ansa præbeatur renovandis abusibus, propter quos iteratio missæ fuit interdicta, legitime præsumitur quod, dum in necessitate datur facultas binandi, prohibeatur tamen receptio secundi stipendii, nisi expresse a R. Pontifice in indulto concedatur, quia obstat motivum legis.

Non solum esse legitime præsumptam, sed certam S. Sedis voluntatem, ut pro applicatione secundæ missæ non recipiatur stipendium, habetur ex facto Benedicti XIV, qui constitutione *Quod expensis* concessit quidem, ut indultum datum pro Aragonia, etc. extenderetur ad alia Hispaniæ et Portugalliæ regna, quoad celebrationem plurium missarum, non vero quoad receptionem plurium stipendiorum, *ut,* inquit, *avaritiæ quæstibus, aut obloquentium suspicionibus obviam iretur.*

Hæc eadem voluntas manifestius declaratur in variis responsis S. Congregationis Concilii. Sic *a*/ incolæ Burgienses in regno Sardiniæ petierunt, ut parocho suo concederetur facultas binandi in ecclesia parochiali. S. C. C. die 19 Dec. 1835 censuit facultatem concedendam a Sanctissimo ad decennium, *ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa*. Quæ facultas eadem forma prorogata est 17 Aug. 1846.

b/ Propositis dubiis ab Episcopo Cameracensi :

I. *An parochus, qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiæ suam missam applicare teneatur, non obstante redditurum exiguitate in casu?*

II. *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam pro populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu?*

III. *An vicarii et alii sacerdotes, curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti missæ in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu?*

IV. *An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius missæ liberam habeant applicationem, et stipendium pro ea recipere valeant in casu?*

V. *An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus, curam animarum non habentibus, quoad utramque missam in casu?*

VI. *An et quomodo concedenda sit absolutio quoad præteritum in casu?*

S. C. Congregatio *in una Galliarum*, 25 Sept. 1858 respondit :

Ad I. *Affirmative*, exceptis tamen parochiis unitis unione plenaria et extinctiva.

Ad II. *Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.*

Ad III. *Negative,* quatenus curam animarum non habeant, *firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.*

Ad IV. *Negative,* et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV *Cum semper oblatas* § 8.

Ad V. *Provisum in tertio.*

Ad VI. Celebrata unica missa ab unoquoque; *affirmative,* facto verbo cum Sanctissimo.

c/ Easdem dedit S. C. Congregatio resolutiones in *Salamantina* 22 Febr. 1862. Cf. Rev. Théol. Belge, T. I. p. 629 ss.

d/ Quinimo in causa *Colonien,* 11 Martii 1863, SS. Pius IX concedere noluit, ut sacerdos pro applicatione secundæ missæ recipere possit stipendium, ex quo ipse celebrans nullum perciperet emolumentum, sed quod ad arbitrium Ordinarii, vel sublevandæ inopiæ ecclesiarum, vel sustentationi missionariorum, vel aliæ piæ causæ addiceretur. Cf. Gury T. II. n. 583; Rev. *des scienc. eccl.* Juillet 1862, et Juin 1871, p. 275; Daris, vol. II. n. 275 ss.

Constans igitur est doctrina S. Congregationis, prohibitum esse recipere stipendium pro applicatione secundæ missæ. Etsi enim quandoque hanc restrictionem in indultis non addiderit, nullibi tamen docuit hoc licere. Præterea SS. Pontifices hanc eamdem doctrinam confirmarunt; quinimo contrariam veluti legi cuidam oppositam implicite saltem habuerunt, ut patet ex causa *Cameracen* ad VI; siquidem absolutio supponat delictum, delictum vero legem.

Illa igitur doctrina de Stylo Curiæ dicenda est; nam decreta per longum tempus in eadem materia uniformiter data constituunt Stylum Curiæ, Stylus autem Curiæ

jus facit, ut docent communiter canonistæ; ideoque sine expressa S. Sedis privilegio, vel indulto, sacerdos qui binat pro applicatione secundæ missæ stipendium amplius recipere nequit.

455. Verumtamen auctor ephemeridis *Nouv. Revue Théol.* an. 1871, T. I. p. 108, praxim contrariam ut licitam tuetur, si adsit tolerantia Ordinarii loci. Sententiam fundat in eo quod non existat lex generalis hoc expresse prohibens, et decreta Congregationis, idcirco necessario extensiva, non sint debite promulgata.

Ast animadvertendum est, multas leges generales ecclesiasticas expressis verbis frustra quæri tam in Conciliis œcumenicis, quam in pontificiis constitutionibus; eas tamen obligare, quæ, licet in hujusmodi fontibus non aperte reperiantur, accurate describi possunt tum ex peculiaribus SS. Pontificum rescriptis et decretis, tum ex SS. Congregationum declarationibus, tum etiam identidem ex doctorum sententia. Talem autem esse legem, de qua hic sermo, nullus serio negare potest.

Quapropter, publicato isto articulo in diœcesi Tornacensi, Ill. Ordinarius loci merito edidit sequens Decretum 9 Febr. 1871 : *Decretis S. Congregationis Concilii ac ipsius S. Pontificis responsionibus insistentes, sacerdotibus, qui diebus dominicis aut festivis bis celebrant, stipendium seu eleemosynam pro secunda missa percipere prohibitum esse declaramus.*

Idem decretum tulit Episcopus Brugensis in *Congr. pro-syn.* anni 1871, n. XI.

B. De obligatione orandi.

456. *Sacerdotibus orandi et sacrificandi juge officium est,* inquit Innocentius I. Hæc munia potiori jure parochis incumbunt. Tenetur itaque parochus non tantum

sacrum pro parochia facere, sed etiam frequenter pro ovibus suis orare, ut sibi ac subditis gratias ad salutem necessarias, et cœlestes benedictiones imploret.

Præterea ratione beneficii curati tenetur ad horas canonicas singulis diebus dicendas, quamvis beneficii fructus forent tenues; idque sub pœna amissionis fructuum pro rata omissionis, ut post Concilium Lateranense declaravit S. Pius V, const. *Ex proximo* 23 Sept. 1571.

C. De obligatione prædicandi.

Tenetur parochus *oves suas verbi divini prædicatione pascere.* Hoc officium duo complectitur, conciones nempe et catecheses.

457. Tenetur parochus, saltem diebus dominicis et festis solemnibus, concionem ad populum habere, eique *per se,* vel, si legitime impeditus sit, *per alios idoneos,* exponere et explanare, quæ ad æternam salutem necessaria sunt, eo orationis genere, quod sit ad audientium captum atque intelligentiam accommodatum. Trid. *Sess.* v, cap. 2; *Sess.* xxiv, cap. 4 *de ref.*

Unde communiter censent auctores parochum officio suo non satisfacere, si prædicationes totius anni aliis committat.

Ab obligatione prædicandi per se, vel per alios non eximuntur parochi, sive immemoriali consuetudine, quæ potius corruptela est, sive frequentia concionum, quæ in aliis ecclesiis ejusdem loci habentur, sive exiguo numero parochianorum. Inn. XIII, const. *Apostolici ministerii* 13 Maii 1723.

Ceterum parochi sibi in hoc munere rite consulant, ait Ferrari n. 208; nam communis est doctorum sententia, eos peccare saltem venialiter, si absque causa non observent Concilii præceptum, vel una vice; gravi-

ter vero, si aut per unum mensem continuum, aut per tres menses etiam discontinuos per se, vel per alios concionari omittunt. S. Lig. L. IV. n. 269. « Verba tamen Tridentini, ait Ballerini ad n. 112 Gury, e quibus gravitatem reatus arguunt in trium mensium omissione, ad tres menses continuos potius, quam interruptos spectare videntur. »

Cum vero Dei verbum ex ejusdem Tridentini decreto, *Sess.* XXII, cap. 8 *de Sacr. missæ,* et *Sess.* XXIV, cap. 7 *de ref.,* a parochis sit annuntiandum et explicandum intra missarum celebrationem, sublata obligatione missam audiendi in propria parochia per contrariam consuetudinem, pariter sublata est obligatio auscultandi proprium parochum, verba facientem ad suum populum; ac proinde non posset Ordinarius multis ac pœnis subditos adigere, ad concionem audiendam in propria parochia, sed tantum eos ad illud exhortari. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. XIV, 12 s.; Trid. *Sess.* XXII, *Decr. de obs.* etc. et *Sess.* XXIV, cap. 4 *de ref.;* Stat. Brug. p. 80, 111-125.

458. Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 4 *de ref.,* etiam injungit parochis, ut singulis diebus dominicis et festis pueros rudesque personas edoceant christianæ fidei rudimenta ac vitæ præcepta, per se ipsos, vel per alios idoneos, si legitime impediantur. Cf. Stat. Brug. p. 125-133; Instructio Ill. Malou, 10 Maii 1853, et 15 Febr. 1856.

Optandum certo est ut pueri assistant catechesi, quæ traditur in ecclesia parochiali; sed potestne parochus exigere ut in ea, non vero domi, vel alibi, doctrinam christianam doceantur, idque sub pœna eos, ceteroquin idoneos, non admittendi ad primam communionem, vel confirmationem?

Spectata communi disciplina hoc solo titulo non posset parochus pueros a prima communione, vel confirma-

tione repellere; ipsi tamen hic reservatur examen pro admissione. Cf. Cath. Rom. *de SS. Euch.* n. 63.

Sed decreta Congregationis Decanorum anni 1866, art. x, jus tribuunt parochis diœcesis Brugensis, pueros et puellas vocandi ad catechismum ecclesiæ parochialis.

459. Integra non esset cura, quam parochus proprii gregis gerere debet ratione doctrinæ, si scholas negligeret. Quapropter satagere debet, ut pro pueris et puellis erudiendis erigantur scholæ christianæ, erectæ vero bene moderentur vel saltem debite visitentur. Cf. Stat. Brug. p. 178-184; Decr. præfatæ Congr. art. VII-IX.

D. De obligatione administrandi sacramenta.

460. Parochus, ut minister sacramentorum ordinarius, excepta confirmatione et ordine, tenetur sacramenta necessaria necessitate medii, uti est baptismus et pœnitentia, omnino ministrare populo suo, etiam cum vitæ periculo; idem dicendum de extrema-unctione quando ægrotus aliis sacramentis juvari nequit; in reliquis vero debet maximam curam et paternam caritatem adhibere. Cf. Theol. mor. passim, Statuta et Pastor. Brug.

E. De aliis quibusdam obligationibus parochi.

461. Jubet Tridentinum ut parochus *in cetera munia pastoralia incumbat.* Hoc capite debet :

a/ Baptizatos, confirmatos, matrimonio junctos et defunctos suis libris distincte diligenterque adnotare. In diœcesi nostra præterea diligenter servandum præscribitur statutum Ritualis Romani, quod injungit parochis ut conficiant *Librum status animarum.* Cf. Stat. diœc. p. 74; Pastor. p. 421; Decr. Congr. Dec. passim, sed præcipue anni 1869 n. IV.

b/ Populo annuntiare dies festos, jejunia, indulgentias, Ordinarii mandata; ordinare divina officia; fideliter servare illud omne, quod jure communi, vel diœcesano statuitur de admissione sacerdotum, sive vagorum et ignotorum, sive simpliciter peregrinorum, ad celebrationem missæ aliasve functiones sacras; proclamare banna futuri matrimonii, vel susceptionis ordinum, etc. Trid. *Sess.* XXIII, cap. 16 *de ref.; Sess.* XXIV, cap. 5 *de ref. matr.; Sess.* XXIV, cap. 1, et *Sess.* XXV *de ref.* passim; Stat. diœc. p. 154-162, 142 et 145 ss. Cf. Rev. cath. an. 1864 p. 388 ss.; Decr. Congr. Dec. anni 1861, art. IX.

c/ Missarum oneribus aliisque legatis piis satisfacere. De his agetur ubi *de Fundationibus.*

d/ Moribus populi invigilare, eumdem bono exemplo pascere, curare pauperes, infirmos aliasque personas miserabiles. Stat. Brug. p. 82-84.

Continuo et plurimum commendant Sedes apostolica et Episcopi, non tamen præscribunt, collationes de casibus conscientiæ, recollectiones menstruas et exercitia spiritualia quotannis obeunda. Stat. diœc. p. 10, 163 ss.; Decreta Congr. Dec. passim, et præsertim anni 1871, n. IV et V.

F. De obligatione gerendi temporalia parochiæ.

462. Debet tandem parochus providere rectæ administrationi temporali suæ ecclesiæ; proin cœmeteria, ædificia aliaque temporalia bona sedulo curare. De his ex professo tractatur in Parte II *de locis et rebus ecclesiasticis.* Interim vide Stat. Diœc. p. 167-174; Decr. Congr. dec. anni 1856, tit. III, et anni 1861; Epist. past. 26 Maii 1857 et 31 Dec. 1858.

G. De obligatione residendi.

463. Ex adductis parochi obligationibus alia sequitur, quæ principalis est, nempe obligatio *residentiæ ;* ut enim suis muniis rite perfungi valeat, tenetur residere. Vide tr. *de beneficiis,* ubi exponitur natura residentiæ.

Sub nomine parochi hic comprehenduntur omnes qui habent actualem curam animarum : sc. parochi proprie dicti, vicarii-curati, coadjuti et coadjutores, succursalistæ. Cf. Ex. Henry, *de res. benef.* p. 157 s.

Residentiæ lex requirit ut parochus habitet in domo parochiali, vel, si hæc desit, intra limites parochiæ. Ita sæpius declaratum est a S. C. C. Nec posset propriam domum, etiam infra limites parochiæ sitam, deserta pastorali, inhabitare, nisi propter justam causam et de licentia Episcopi. Attamen justa concurrente causa posset Episcopus ad breve tempus concedere, ut parochus extra parochiam habitet, in loco tamen ita vicino, ut officium suum absque animarum detrimento explere valeat. Solus R. Pontifex dispensat, ut parochus in perpetuum non inhabitet intra limites parochiæ. *Ibidem* p. 163 ss.

464. Quemadmodum de Episcopis et canonicis supra dictum est, parocho quoque annuatim aliqua permittitur absentia, circa quam servanda sunt :

1° Præscripta Tridentina *Sess.* XXIII, cap. 1 *de ref.* : nempe *a/* ut causa prius per Episcopum fuerit cognita et approbata; *b/* ut vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquat; *c/* ut Episcopus concedat licentiam, in scriptis et gratis, et non ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa.

Quatuor hujusmodi causæ enumerantur a Tridentino l. c. : nempe, *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ vel reipublicæ utilitas.* Eas sequenti fere modo explicat Barbosa, *de officio et potestate parochi, cum animadv. Ubaldi Giraldi.*

Prima causa est *christiana charitas*. Ad hanc reducunt casum, quo v. g. parochus abeat ad dissitam provinciam ab hæresi convertendam, vel ad privatam aliquam ecclesiam juvandam, ad pacem componendam, etc. Quod tamen citra damnum grave proprii gregis, et cum licentia superioris fieri debet.

Secunda causa est *urgens necessitas*. Hæc adesse censetur, cum aliquis ad tempus abest ad morbum curandum, ob bellum, aëris intemperiem, vel ad inimicitias, aut odium, aut offensionem peculiaris cujusdam hominis vel populi etiam declinandam; insuper ad vitæ vel salutis aut libertatis periculum ad tempus evitandum; dummodo tamen suo gregi non immineat grave damnum in spiritualibus. Per substitutos vicarios igitur gregi tunc provisum esse debet.

Tertia causa est *debita obedientia*, quæ superioribus debetur, puta Papæ vel Episcopo. Excusatur ergo parochus a residentia, quando absens est ut pareat Papæ vel Episcopi mandato, justum et debitum obsequium rogantis; quale esset ad visitandam diœcesim, vel ut eidem personaliter assisteret in certo negotio, etc.

Quarta causa est *evidens ecclesiæ vel reipublicæ utilitas*. Huc referunt, si parochus abest, ut legitime vocatus diœcesanæ Synodo assistat, ut defendat jura suæ ecclesiæ, ut regni comitiis assistat ad reipublicæ civilis negotia communi consilio tractanda. Cf. supra n. 337.

Non requiritur itaque causa gravis, ut parochus singulis annis per duos menses sive continuos, sive interpolatos abesse possit; sufficit causa justa, v. g. relaxatio animi, parentum aut amicorum visitatio, utile et licitum negotium; sed tamen requiritur licentia, quæ necessaria quoque est ut possit per hebdomadam a parochia abesse. S. C. Congr. 7 Oct. 1604.

Aliter absens pro rata temporis absentiæ fructus non

facit suos, nec tuta conscientia potest eos sibi retinere; sed etiam ante judicis sententiam eos tenetur dare ecclesiæ, vel pauperibus distribuere. Præterea Episcopus, si eum contumacem in parendo invenerit, post citationem etiam edictalem, potest eum censuris innodare, et ultimo beneficio privare.

2° Statuta diœcesana. Cf. Stat. Brug. p. 72.

§ 7. *De juribus et functionibus parochialibus.*

465. Obligationibus parochorum respondent multi generis jura, quæ vel ex primigenia eorum institutione, vel ex Episcoporum voluntate, vel ex probatis consuetudinibus officio parochiali annexa sunt.

Jura parochialia ea sunt, quæ ita soli parocho competunt in tota sua parochia, ut, salva tamen auctoritate superiorum, nemo alius ea possit exercere.

Jura illa plerumque conjunguntur cum utilitate parochorum, et versantur aut circa sacramenta, aut circa oblationes, aut circa funeralia.

Ad illa quodammodo referri potest jus parochi ad quasdam functiones sacras; quare de iis in fine hujus § verbulum subjiciemus.

Antequam de singulis juribus in specie tractemus quædam sunt prænotanda :

a/ Parochus jura quædam habet etiam in non parochianos, qui in sua parochia licet brevissime, vel fortuito degunt; ita ut hi nonnulla licite suscipere nequeant, nisi a parocho, vel de ejus, aut superioris consensu, v. g. extremam-unctionem et S. Viaticum.

b/ Parocho jura quædem competunt præcise quia de parochianis agitur; inter hæc alia ad liccitatem, alia ad validitatem a proprio parocho, vel de ejus, aut Ordinarii consensu, ministrari debent; v. g. communio paschalis, matrimonium.

A. De juribus parochi circa sacramenta.

466. *Quoad baptismum.* Jus solemniter baptizandi parochianos ita parocho proprium est, ut parochiani ab alio baptismum suscipere non possint; et sacerdos, qui absque licentia parochi, vel Ordinarii, extra necessitatem, alterius parochianum baptizat, peccet graviter, et incurrat pœnas latas contra usurpantes jura aliarum ecclesiarum, si id faciat cum animo usurpandi jura alterius. Cf. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 13 *de ref.;* Rit. Rom. T. V. § 1.

Lex tamen illa non obligat cum gravi incommodo. Quapropter, 1° baptizari potest a parocho loci : *a/* proles quæ accidentaliter in parochia nascitur, si vel distantia locorum, vel difficultas viarum, vel infirma valetudo prolis obstent, quominus ad parochiam parentum transferatur. Ejusmodi consuetudo in Belgio existere videtur. *b/* Proles virginis corruptæ, quæ extra parochiam parit, ut infamiam vitet ac honori suo consulat.

2° Ab alio quam parocho baptizari poterit proles, quæ versatur in periculo mortis, vel cujus baptisma per aliquot dies esset differendum, si a proprio parocho foret baptizanda.

Adulti quoque et qui ad fidem convertuntur baptizandi sunt in parochia, non in cathedrali, sed ante baptisma consulendus est Episcopus. Cf. Theol. Mechl. *de bapt.* n. 12 ss.

467. *Quoad SS. Eucharistiam.* Jura parochialia sunt communio paschalis, communio infirmorum in eorum domo, sive per modum Viatici, sive devotionis causa, et prima communio puerorum. Alias fideles sumere possunt SS. Eucharistiam ubi rite distribuitur.

468. Parochiani communionem paschalem in propria parochiali ecclesia recipere debent; alibi sumentes, etiamsi in ecclesia cathedrali, absque venia parochi, vel

hujus superioris, præcepto paschali non satisfaciunt. Ita ex canone *Omnis utriusque sexus.*

Attamen si parochiani tempore paschali absint a parochia, nec commode ad eam accedere possint, satisfaciunt præcepto, communicando in ecclesia parochiali loci ubi degunt, tum quia proprius parochus præsumitur consentire, tum quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. Hoc confirmatur ex Rituali Rom. *de com. pasc.* : « Alienæ vero parochiæ fideles ad proprium parochum remittet, præter peregrinos et advenas, et qui certum domicilium non habent, etc. »

469. Infirmis in eorum domibus administrari nullo tempore nulloque modo potest S. Communio, nisi a parocho loci, vel de ejus licentia, secluso casu necessitatis. De regularibus dicetur infra.

Omnes autem fideles, qui graviter decumbunt in parochia, censentur parochiani quoad susceptionem Viatici, etiamsi accidentaliter tantum, vel transeuntur in parochia versarentur.

De novitiis et famulis regularium, necnon de ancillis monialium dicetur alibi, qui possunt recipere in domo ubi degunt.

Consulantur hic Stat. diœc. Brug. p. 74, ubi de libro status animarum et communione paschali; p. 102, ubi de administratione sacramentorum in ecclesiis regularium; et præsertim p. 101, ubi de communione paschali et prima communione alumnorum in collegiis, monasteriis et monialium conventibus. Cf. Theol. Mechl. *de sacr. Euch.* a n. 59 ad 65; Gury, *de Euch.* n. 288 ss.

470. Ad primam puerorum communionem quod spectat, petitur a quo ad eam admitti, et quo loco, qua ætate, quo anni tempore eam instituere debeant?

R. ad 1^m. Jubet quidem Concilium Lateranẽnse IV ut omnis utriusque sexus fidelis, *postquam ad annos discretionis pervenerit,* ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacra-

mentum reverenter suscipiat; sed propositas quæstiones non solvit jus commune : de prima communione silent non tantum Decretales, sed et Concilium Tridentinum et Rituale Romanum. Ideo multis in locis judicium de capacitate puerorum relinquitur confessario, conformiter ad illud Catechismi Romani P. II. c. 4, n. 63 : *Qua vero ætate pueris Sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata; ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habeant.* Cf. Gury, *Casus consc.* T. II. p. 173, *nota.*

Attamen Romæ, in multis diœcesibus Galliæ, in Belgio, aliisque regionibus, diuturna consuetudine et Episcoporum statutis, judicium illud parochis reservatur. Ita præscripsit Benedictus XIV, bulla *Etsi minime,* ubi ait : « Monendus est parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat, sed videat *ipse* quo loco res sint, cum pueri sacramentum Eucharistiæ et confirmationis, alii vero matrimonii, sibi administrari exposcant. » Ita insuper necessario exigit praxis apud nos vigens, qua omnes pueri ejusdem parochiæ eodem die, solemni et valde salutari cæremonia, post communem et diligentem præparationem ad primam communionem admittuntur.

R. ad 2^{m}. Pueri, postquam ad annos discretionis pervenerint, tenentur non tantum canone *Omnis utriusque,* sed etiam jure particulari, de quo statim, quod parocho tribuit omnia quæ spectant ad primam communionem; ideo eam instituere debent in propria parochia, nisi consentiat parochus vel Ordinarius, ut eam in aliena recipiant.

In diœcesi Brugensi peculiaria quædam sunt statuta; et inprimis in aliena parochia potest primo communicare puer, qui a quatuor mensibus ibi habitavit. « Porro, ait

Pastorale, *de 1ª puer. comm.*, ne quid hac in re contra jura parochorum attentetur, veram stabilemque quatuor mensium commorationem necessariam esse declaramus, ut quis, absque hoc consensu, licite ad primam communionem admitti possit in parochia, in qua parentes non habitant. » Dein satis amplam facit Ordinarius Brugensis exceptionem pro puellis et pueris, qui in collegiis, vel locis religiosis educantur. Vide Stat. diœc. p. 101 s.

R. ad 3m. Cum tempus, quo incipit pro pueris obligatio communicandi, a discretione et capacitate pendeat puerorum, et alii tardius, alii citius maturescant, sequitur certa regula et absoluto modo determinari non posse ætatem in neo-communicantibus requisitam. Potest tamen Episcopus cognoscere tempus, quod in sua diœcesi ordinarie requiritur, ut pueri dijudicare possint Corpus Domini, et juxta illud regulare ætatem, in qua pueri primo communicare debent. Semper tamen spatium est relinquendum libertati quoad eos, qui citius usum rationis perfectiorem habent. Quod servavit Past. Brug. l. c. dicens : « Id intra decimum et duodecimum annum solet accidere. »

R. ad 4m. Quum ætas neo-communicantium reguletur juxta eam, qua ligari incipiunt canone Lateranensi *Omnis utriusque,* de communione paschali, curandum est, quantum fieri potest, ut prima communio fiat intra tempus suscipiendæ communioni paschali præstitutum; et nequaquam paulo post elapsum tempus paschale. Apud nos permittit singulo anno Episcopus, ut infirmi, decrepiti, carcere vel mendicorum receptaculo detenti, *neo-communicantes* et secundo anno solemniter communicantes, præcepto communionis paschalis satisfacere possint a dominica Passionis usque ad dominicam secundam post Pascha, utrimque inclusive; et ita rite servari potest regula Pastoralis, qua præscribitur, ut « cæremonia primæ

communionis ubique instituatur a dominica Passionis ad dominicam II post Pascha. »

Hac regula tamen non comprehenduntur pueri, quibus ob mortis periculum aliamve gravem necessitatem prima communio extra illud tempus danda foret. Cf. Theol. Mechl. *ibidem,* n. 44 et app. 3ª; Rev. des sc. eccl. 1867, T. II. p. 5 ss.

471. *Quoad sacramentum pœnitentiæ.* Jurisdictio parochi per se ad ejus parochiæ limites restringitur, et, saltem olim, ad solos parochianos extendebatur. Verum, *a/* a multo jam tempore ex jure consuetudinario, possunt parochi in sua parochia excipere confessiones non parochianorum; *b/* parochianorum suorum confessiones ubique, etiam extra diœcesim, valide excipiunt, et, servatis servandis, etiam licite; *c/* in pluribus locis accipiunt jurisdictionem pro universa diœcesi; ea apud nos decani gaudent; parochi vero jurisdictione tantum instruuntur pro decanatu in quo ministerium exercent, et pro communitatibus (*communes civiles*) alterius decanatus, si quæ sint, suæ conterminis. Possunt tamen per accidens extra loca illa jurisdictionem exercere, si requirantur; nam parochis licet omnes confessarios, etiam simpliciter approbatos pro aliqua parte diœceseos, admittere, ut in suis respective parochiis confessiones excipiant, quoties de excipienda confessione sacerdotis agitur, aut etiam personæ alicujus laicæ graviter decumbentis et alii confiteri renuentis. Cf. Decr. Congr. Dec. an. 1868 n. III, quo partim revocantur Decr. an. 1845 et 1856. Vide etiam Decr. 7 Maii 1860.

Regulariter autem nullus sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, etsi approbatus et jurisdictione munitus, potest excipere confessiones in ecclesiis, aut oratoriis, absque parochi, vel rectoris consensu, seu licentia; idque in litteris jurisdictionis cavere solent Ordinarii per clau-

sulam *de consensu,* aut *licentia parochi,* seu *quorum interest.* Hæc clausula non est adjecta pro valore, sed tantum pro liccitate actus. Est enim mera aliqua conditio recti ordinis, qui profecto exigit ut nemo ibi possit actus jurisdictionis exercere, absque licentia parochi, aliorumve rectorum, qui sunt immediati superiores in suis ecclesiis et parochiis.

Non obstante illa clausula, potest quivis sacerdos approbatus, in territorio suæ jurisdictionis, excipere confessiones infirmorum in eorum domo absque prævia parochi licentia, hac tamen lege, ut teneatur de peracta confessione certiorem reddere parochum, saltem per scripturam apud infirmum relinquendam. Expedit tamen ut, quoties per tempus licet et aliunde nihil obstat, prius assensum parochi petat.

Dictum est *regulariter;* nemo enim dubitat, quin valeat R. Pontifex, aut Episcopus sacerdotem in loco constituere, qui invito loci superiore ibidem jurisdictionem exerceat. Cf. Theol. Mechl. *de Pœnit.* n. 68 et 69.

De cetero fidelibus liberum est confiteri cui voluerint confessario, legitime ab Ordinario approbato, idque quovis tempore, etiam paschali, et in ordine ad implendum præceptum annuæ confessionis. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. 14; Stat. diœc. p. 76, 103, 134.

De regularibus et monialibus dicetur alibi.

472. *Quoad extremam-unctionem.* « Etsi quilibet sacerdos possit illam valide conferre, solus tamen parochus est ordinarius ejusdem minister, nec ulli fas est, extra necessitatis eventum, sine ejusdem parochi licentia, sacro Oleo ægrotantes inungere, uti diserte statuitur in Catechismo Romano P. II. *de extr.-unct.* § 13. Quin imo Religiosi, qui nulla petita a parocho venia Sacramentum extremæ-unctionis administrare præsumunt, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem incidunt

Sedi Apostolicæ reservatam, uti habetur *in Clem. I, de priv.* » Ben. XIV, *de Syn.* L. VIII. cap. IV, 7. Cf. const. *Apostolicæ Sedis,* II. 14; et supra dicta de S. Viatico.

Episcopo administranda sunt extrema-unctio et Viaticum a prima dignitate Capituli; canonicis vero, a paroco. Primum habetur ex *Cœrem. Episc.* L. II. cap. 38; alterum ex pluribus declarationibus SS. CC. Concilii et Rituum. Ita de jure communi.

Verum juxta praxim in Gallia et Belgio magis receptam, canonicis in mortis periculo constitutis, et in quacumque civitatis episcopalis parœcia degentibus, ultima sacramenta ministrantur a præside Capituli, eorumque exsequiæ fiunt in ecclesia cathedrali. Hæc praxis servatur tum erga canonicos titulares, tum erga honorarios, qui diebus dominicis et festivis de præcepto chorum frequentant; et, si concurrat consuetudo quadraginta annorum, probatur a S. Congregatione Concilii, ut declaravit 5 Dec. 1718, 8 Junii 1865, 16 Febr. 1867, et 9 Julii 1870. Cf. Rev. des sc. eccl. 2 sér. T. IX. p. 362.

473. *Quoad matrimonium.* Ad parochum proprio jure pertinet nupturientes instruere et examinare; denuntiare matrimonia a parochianis contrahenda; eis adsistere, et benedictionem nuptialem impertiri. Potest tamen parochus triplicem illum actum alteri sacerdoti delegare. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 1 *de ref. matr.* Cf. Theol. Mechl. *de matrim.* n. 21 s. et 88 ss.; supra n. 104.

B. De juribus parochi circa oblationes.

474. De oblationibus ex professo sermo erit in Parte II *de rebus eccl.,* ubi dicetur quod, attento jure communi, ad parochum pertineant: *a/* oblationes, quæ fiunt in ecclesia parochiali intra missam, sive parochus ipse, sive alius sacerdos celebret; *b/* oblationes, quæ fiunt in exe-

quiis, inhumationibus, vel anniversariis defunctorum, benedictione mulierum post partum, solemnitatibus nuptiarum, aliisque sacris functionibus, etiamsi ab alio sacerdote in ecclesia parochiali peragantur, nisi consuetudine, aliove legitimo titulo ad alios pertinere sint dicendæ.

Ob manifesto contrariam mentem fidelium, parocho jus nullum est ad oblationes, quæ fiunt in ecclesiis regularium, aut in oratoriis confraternitatum; vel quæ fiunt in truncis, aut capsulis ad certum usum expositis. Cf. Carrière, *de just. et jure,* n. 183 ss.

Quoad oblata (vulgo *zegenpenningen*), varia est in variis diœcesis nostræ parochiis praxis; ea autem parochis non competere, videtur colligendum ex Decretis Congr. decan. an. 1859, art. VIII.

C. De juribus parochi circa funeralia.

475. Jus funeris est parocho ita proprium, ut pro suis parochianis habeat intentionem in lege fundatam. Cap. *Cum quis, de sepult. in 6°.*

« Religioni necnon naturæ consentaneum maxime est, ait Moulart, *de sepult. et cœmet.,* p. 214, fideles ab eo tumulari et ultimum quasi vale recipere, qui eos, dum vivebant, ceu pater in Christo genuit et aluit, et ceu pastor divinis imbuit, cœlesti refecit pabulo et omni studio curavit. Hinc est quod defuncti, si in vita neque explicitam, per sepulturæ electionem, neque implicitam, ubi sepulturam habent majorum, voluntatem alieni tumuli significaverint, in propria parochiali ecclesia et a proprio sacerdote inferri debeant.

« Nec minus decens semper habitum est, ut necessitatibus parochi temporalibus providere debeant ii, qui, cum in vivis erant, spiritualia abundanter ab eo receperunt.

« En jus duplex, spirituale unum, temporale alterum, quod muneri parochiali alligarunt sacri canones, et ita quidem parocho proprium fecerunt, ut tum etiam quum parochianus alienam sibi elegit sepulturam, illo omnino privatum parochum noluerint. »

Spirituale est jus funeris seu sepulturæ, quod complectitur corporis levationem, funeris deductionem, officii funebris et exequiarum celebrationem, et tandem cadaveris inhumationem.

Temporale autem est jus ad emolumenta e funeribus provenientia.

Jura parochi circa funera suorum parochianorum varia sunt, prout vel in ecclesia parochiali, aut saltem in oratorio non exempto suæ parochiæ, vel extra parochiam, aut saltem in ecclesia exempta sepeliuntur.

CC. Jura parochi dum quis in propria ecclesia sepelitur.

476. Dum parochianus in propria ecclesia sepelitur, ad parochum spectat *a/* « tum cadaver e domo levare, tum functiones omnes sacras peragere, etiam missam solemnem celebrare, et corpus humo tradere; idque verum est etsi præsens sit Capitulum cathedralis aut collegiatæ. Quamvis enim, ex *Generali Decreto* S. Congregationis Rit. diei 2 Julii 1661, in funerum associatione Capitulo supra parochum præcedentia debeatur, salva tamen in reliquis manent parochorum jura, prout resolvit eadem S. Congregatio *in Pientina* die 21 Junii 1636.

« *b/* Ab heredibus defuncti, exequiarum occasione, recipere potest et modeste impetrare emolumenta, quæ aut statuto diœcesano aut legitima consuetudine constituta sunt. Caveat tamen ne exigendi modo peccet et avaritiæ suspicionem incurrat; litem vero, si quoquo modo cum heredibus oriatur, dirimendam Ordinario remittat.

Gratis et libere oblata omnia quidem recipere valet; at ultra legitimam taxam aliquid exigere ullo modo ipsi non est licitum. Si secus fecerit, ad acceptorum, retentionis deficiente titulo, restitutionem tenebitur. Severe etiam prohibitum est cadaveris humationem ob non solutum jus funerale differre, « Cum nulla ratione patiatur « christianæque pietati repugnans videatur, maxime « vero ob pecuniarum interesse, cadaver insepultum « remanere; » verba sunt S. Congr. Episc. et Regul. *in Cotronen,* 17 Sept. 1617.

« *c*/ Quacumque de causa impeditus quominus ipse exequias celebret, vicario seu vice-parocho alterive sacerdoti id muneris committere potest parochus, quin tamen emolumenta alias sibi competentia cedere teneatur. Non enim est funeris et laboris pretium quod ab heredibus solvitur; sed liberalitas et eleemosyna in grati animi pignus illius, qui spiritualia et divina a pastore suo vivens recepit. Ex benefactorum et Ecclesiæ mente hac funerali taxa et oblationibus, quæ exequiarum occasione ad altare fiunt, honestæ parochi sustentationi providetur. Consuetum ergo stipendium vices suas gerenti præbere tantum tenetur parochus. » Moulart, *ibidem,* p. 220 s.

477. Quid vero juris si parochianus sibi elegerit sepulturam, tumulumve habuerit proprium in capella, seu oratorio non exempto, intra fines parœciæ sito, quod peculiarem habeat rectorem?

R. Nisi capella, aut oratorium exemptionis a lege parochiali privilegium a S. Pontifice, vel ab Ordinario obtinuerit, parochi erit corpus recto tramite (prætermissa parœciali ecclesia) ad capellam deferre, ibique totum officium missamque exequialem præcinere, et cadaver humo tradere. Emolumenta autem funeralia, et ea omnia, quæ occasione funeris libere ab hæredibus clar-

giuntur, capellæ ejusque rectori addicuntur; sola *portio canonica*, seu quarta funeralis parocho servanda est. S. C. C. *in Viterbien.* 16 Sept. 1826.

Ex sententia S. C. C. *in Faventina* 17 Julii 1773, reproposita 14 Martii 1778, eadem utrique jura competunt etiam ubi in oratorio levatur tumulandus ex aliena parochia.

De funere ipsius parochi silet jus commune, ideoque quoad illud standum est locorum statutis aut consuetudinibus. Cf. Stat. Brug. p. 62 sub 4.

CCC. Jura parochi dum quis legitime in aliena ecclesia sepelitur.

478. Dum parochianus in propria parochia discedit et legitime in aliena ecclesia sepelitur, scilicet extra parochiam, vel intra parochiæ fines, in ecclesia exempta, advocandus est parochus, qui corpus e domo levare et funus recto tramite, per viam a parocho declarandam, vel usque ad limites parochiæ alienæ, vel usque ad januam regularis ecclesiæ tumulantis deducere debet. Quod si renuat, poterit alienæ ecclesiæ rector absque illo prædicta peragere.

Parochus tamen neque exequias quaslibet, neque prævium cadaveris ad ecclesiam parœcialem delationem exigere potest. Ecclesia tumulans sola jure potitur officium funebre persolvendi, corpusque sepeliendi et omnia funeralia percipiendi emolumenta, dempta tantum portione canonica vel solvenda parocho, vel dividenda inter parochos domiciliorum, casu quo defunctus duplex habet domicilium. Rectores vero parochiarum per quas transitur, nullum jus habent nec ad cæremonias funebres peragendas, nec ad partem emolumentorum.

De exequiarum pompa et funeris per vias deductione agunt liturgiæ interpretes et Moulart, l. c. p. 224.

Si has contra regulas faciat parochus, defuncti corpus invitis hæredibus ad ecclesiam parochialem deducendo, ibique exequias celebrando, pœnam incurrit amissionis omnium emolumentorum de funere perceptorum, aut percipiendorum, suæ nimirum portionis canonicæ, ut in terminis declaravit S. C. C. 19 Dec. 1857, *ad dub.* II. Aliis insuper gravioribus pœnis eum plectere poterit Episcopus.

Aliter tamen foret decidendum, *a/* si conventio fuisset inter utramque ecclesiam legitime inita. Conventiones autem iniri debent ita ut non gravent hæredes, qui nunquam duplicem taxam funeralem solvere tenentur. *b/* Si defunctus vel duplex funus et duplices exequias celebrari jussit, vel contra juris ordinem funus et exequias in ecclesia sua parœciali, et solam humationem in aliena peragi voluit. Ratio est quod ultima defunctorum voluntas, quantum fieri potest, debeat servari. Ast similis hæredibus non est agnoscenda facultas.

Antiqua hic habet consuetudo, ut, dum quis extra parochiam sepelitur, et utrobique exequiæ non fiunt, celebrentur in ecclesia parochiali defuncti.

479. Juxta principia supra n. 441 s. posita de parochialitate, omnes qui moriuntur in loco ubi quasi-domicilium non sunt adepti, in parochia domicilii tumulari debent, dummodo ad eam commode portari possint; secus, in parochia in qua e vivis exeunt. Quando enim absque periculo deportari non valent, parochus loci obitus præ ceteris jus habet ad sepulturam; quia defunctis sacramenta ministravit, ac præterea habet fundatam intentionem super omnibus proventibus, qui infra parochiam contingunt. Ita Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber.

Existimamus autem usu sat generali obtinere in diœcesi Brugensi : *a/* ut, dum quis fortuito, seu inopinato

casu in aliena parochia, ubi transeunter moratur, discedit, liberum sit hæredibus cadaver transferre, vel non, nullo redemptionis jure persoluto; *b*/ ut, si, extra quoque fortuitum casum, et dum commode ad propriam parochiam defunctus asportari potest, hæredes eum in loco obitus relinquant, absque jure redemptionis, sepultura pertineat ad parochum, intra cujus parochiæ limites defunctus, sanitatis, relaxationis, rusticandi aliave hujusmodi causa resedit, aut saltem per quoddam tempus permanere intendit, et, cum potuerit, exeuntium sacramenta recepit.

Solemnes vero exequiæ fiunt ubi hæredibus placuerit.

Ex professo non loquimur de regulis servandis, quando corpora sunt deferenda ad ecclesias regularium; quia lex civilis in Belgio prohibet, ne monasteria habeant cœmeterium, et ne inhumatio fiat in publico oratorio. Exinde merito concluditur regulares hic non gaudere jure funerandi, seu exequias celebrandi, siquidem jus funerandi in jure inhumandi includatur, nisi expresse a concedente excludatur.

De *taxa funerali* et de *portione canonica* agitur in tr. *de cœm. et sepult.* P. II.

D. De jure parochi ad functiones parochiales.

Sacræ functiones, in ordine ad præsentem quæstionem, dividi possunt in duas classes : nempe, in mere sacerdotales et parochiales.

480. *Functiones mere sacerdotales,* seu *ecclesiasticæ,* eæ sunt, quæ a presbyteris, absque parochi consensu, extra ecclesiam parochialem, peragi possunt in reliquis ecclesiis et oratoriis, quamquam pro earum nonnullis requiratur Ordinarii, vel R. Pontificis licentia. Tales sunt celebratio missæ tum privatæ, tum solemnis, sive pro

vivis, sive pro defunctis; recitatio horarum canonicarum; preces XL horarum; benedictio super populo; expositio quæ fit cum reliquiis, vel sacris imaginibus, et benedictio quæ fit cum eis super populo; benedictio et distributio cinerum, candelarum, palmarum, ignis, seminis, ovorum et similium; hebdomadæ sanctæ functiones omnes, præter missam solemnem feriæ V in Cœna Domini; publicæ conciones; denuntiatio festivitatum et vigiliarum in hebdomada occurrentium.

481. *Functiones* vero *parochiales* illæ dicuntur, quæ a parochis fieri consueverunt, eisque conveniunt, vel ob naturam munerum, quæ cum juribus parochialibus omnino cohærent, vel ob conjunctionem cum pastorali officio, vel ob honoris præcellentiam. Non tamen omnes privative ad parochum pertinent; nec circa eas aliis committendas adeo restricta est Episcoporum potestas ac circa jura parochialia stricte dicta. Vide supra n. 458.

Functiones parochiales sunt benedictio mulierum post partum, benedictio fontis baptismalis, benedictio domorum in Sabbato Sancto, solemnis benedictio agrorum, sacrum solemne feriæ V in Cœna Domini. Cf. infra *append.* IV.

Præter indicatas, aliæ quoque possunt fieri functiones parochiales per statuta diœcesecos, consuetudinem, conventiones et pacta, indulta, etc.

482. *Benedictio puerperarum.* Quidquid sit de quæstione utrum hæc benedictio spectet ad parochum privative quoad regulares et alios quoscunque sacerdotes, in diœcesi Brugensi viget consuetudo, a Pastorali nostro probata, ut puerperæ in sola ecclesia parochiali a parocho, vel alio sacerdote, ex ejus licentia, benedictionem recipiant. Cf. De Herdt, T. III. n. 167, sub V.

Prohibet autem Pastorale, ne ad eam admittantur mulieres, quæ notorie ex adulterio, aut fornicatione pepererunt.

483. *Benedictio fontis baptismalis.* Hæc fieri debet a parochis, non vero a capellanis confraternitatum sæcularium.

Si tamen ecclesia parochialis sit simul cathedralis, aut collegiata, benedictio fontis fieri debet a sacerdote, qui cetera officia Sabbati Sancti peragit, cum ab hisce sejungi nequeat.

484. *Benedictio domorum in Sabbato Sancto;* apud nos in usu non est.

485. *Benedictio agrorum,* saltem si solemniter fiat, pertinet ad parochum. S. C. C. 23 Aug. 1688.

486. *Missa solemnis feriæ V in Cœna Domini* ita spectat ad parochum, ut capellani confraternitatum eam cantare nequeant in suis oratoriis, nisi casu quo concessum fuerit privilegium ibidem asservandi SS. Eucharistiam. Nam missa illa celebrari potest, solemniter tamen, in ecclesiis, quibus jus est asservandi SS. Sacramentum; v. g. ecclesiis regularium, seminariorum, hospitalium. Cavalieri, T. IV. cap. 1. Cf. infra *app.* IV.

487. *Processiones solemnes* sive confraternitatum, sive regularium, generatim intra fines parochiæ fieri nequeunt, absque parochi, vel Episcopi consensu; ideoque aliquatenus inter functiones parochiales numerandæ sunt. Regularibus autem concessit Gregorius XIII const. *Cum interdum* anni 1573, ut absque ullius licentia, valeant processiones instituere, etiam extra claustra, per totam octavam Corporis Christi, excepto die quo Episcopus, vel parochus loci processionem facit. Cf. infra, *app.* IV et S. C. R. 21 Aug. 1628.

Juri parochorum derogatum fuit in favorem ecclesiæ eminentioris. Sic in Urbe episcopali, processiones in *festo* (in Belgio, *dominica infra octavam*) Corporis Christi facere non licet aliis ecclesiis, sed soli Episcopo, seu ecclesiæ cathedrali; in oppido autem vel loco, ubi plures

habentur parochiæ, et una ex eis matrix, vel præeminentia gaudens, processio in præfato die inchoari debet ab ecclesia principali et ad eam terminari. Aliis octavæ diebus licet parochis Urbis, vel oppidi, processionem instituere.

§ 8. *De cessatione muneris parochialis.*

Variis modis amittitur munus parochiale : nempe renuntiatione aut permutatione, privatione, depositione, degradatione et morte.

488. *Renuntiatione,* seu *resignatione.* Debet hæc regulariter fieri in manibus Episcopi, ex causa ab eo probata, et ab eodem acceptari. Et jure quidem merito; sicut enim parochus beneficio suo sine legitima causa ab Episcopo privari non potest, æquum et justum est, ut ipse absque justa causa et Episcopi consensu illud dimittere non valeat. Vinculum itaque, quo parochus suæ ligatur ecclesiæ, regulariter solvi nequit nisi utriusque consensu, parochi scilicet et Episcopi.

Solus autem R. Pontifex admittere potest resignationes, quæ in favorem certæ personæ, aut reservata pensione, seu parte fructuum, aut cum reservatione sive ingressus sive regressus fiunt; beneficia enim sunt sine diminutione conferenda, et quæ in eis hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris canonibus et SS. Patrum decretis odiosa sunt et contraria. Trid. *Sess.* xxv, cap. 7 *de ref.*

Causæ, ob quas resignatio parochiæ fieri potest, sunt multiplices. Præter illas, quas supra n. 361 enumeravimus pro resignatione cathedralis, quæque a fortiori hic valent, aliæ quædam indicantur a S. Pio V, const. *Quanta Ecclesiæ* anni 1568, nempe *censura, aliud beneficium incompatibile, novitiatus in ordine religioso, capitales inimicitiæ.*

Quoad resignationis formam, etc. vide inferius tr. *de beneficiis*.

489. *Translatione,* aut *permutatione*. Utraque requirit justam causam, debitam formam et consensum Episcopi; adeo ut, si citra ejus licentiam fiant, accedente sententia judicis, jactura sequatur utriusque ecclesiæ, derelictæ scilicet et noviter occupatæ. Justa autem causa est, non tantum necessitas, aut utilitas ecclesiæ, sed etiam ea permutantium utilitas, quæ in utilitatem ecclesiæ vergat.

Requiritur auctoritas R. Pontificis, si in permutatione interveniat aliqua conditio, seu pactum; permutatio enim coram Ordinario facienda, debet esse simplex, absoluta et libera ab omni fraude et mala fide.

Facta autem translatione vel permutatione, vacat ecclesia, cum sacri canones aliquem pluribus ecclesiis adscribi vetent; et effectus vacationis sunt fere iidem, quos supra n. 362 indicavimus de translatione Episcopi.

Cf. Congr. Dec. an. 1868. art. II, ubi statuitur pro diœcesi Brugensi : « Parochus ad alium locum nominatus vel officio renuntians, ex delegatione Nostra jurisdictionem pastoralem in parochia unde transfertur conservabit, donec a successore fuerit monitus quod hic administrationem parochiæ in se suscepit. Nihil tamen obstat quominus successor prædecessorem suum, aut ejus defectu Vicarium committat ad pastoralia quædam exercenda usque ad diem introductionis solemnis : prorogata a Nobis in casu et ad eumdem terminum jurisdictione in foro pœnitentiæ. »

Hucusque actum est de permutatione, vel translatione voluntaria, seu quæ fit parocho consentiente. Ast petitur possitne Episcopus parochum perpetuum cogere ad permutandum, vel eum invitum transferre ab una ad aliam ejusdem diœcesis parœciam, ob ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, etiamsi translationis causa absque culpa parochi oriatur?

R. Contra fratres Allignol, *De l'état actuel du clergé en France,* chap. 6, communiter affirmant auctores, inter quos Pirhing, Suarez, Reiff., Leuren., Van Espen, Schmalzgr., Pichler, dicentes, inamovibilitatem non posse cedere in detrimentum Ecclesiæ, eamque non censeri excludere causam necessitatis, vel utilitatis; hanc tamen variis conditionibus stipatam plures exigunt. Statuunt autem ad coactam translationem, vel permutationem, *a/* non sufficere majorem utilitatem, sed talem ut parochus sit ecclesiæ suæ inutilis, adeoque utilitatem quæ necessitati æquiparari possit; *b/* priusquam ad eam deveniatur, alia remedia esse tentanda; *c/* eam ita fieri debere, ut parochus transferatur ad beneficium æquivalentis redditus. Cf. Houwen, p. 107.

490. Amittitur *in pœnam : a/* per *privationem,* quæ incurritur, vel ipso jure ob delicta in jure expressa, post sententiam criminis declaratoriam, vel per sententiam judicis condemnatoriam. Cf. Soglia, *Jus priv.* § 100; *b/* per *depositionem* proprie dictam; *c/* per *degradationem.* Remissive ad Partem III *de pœnis eccl.*

§ 9. *De hodiernis Belgii succursalistis.*

Apud omnes in confesso est, parochos hodiernos primæ et secundæ classis esse proprie dictos parochos, eosque perpetuos, seu inamovibiles. Hoc constat, tum ex eo quod omnia habeant ad parochiatum requisita, tum ex praxi Episcoporum et ipsius Sedis apostolicæ.

491. Sed an idem dicendum de hodiernis succursalistis?

Quæstio hæc præcipue solvenda est ex historia succursalistarum, qui primam originem ducunt ab articulis organicis.

Disciplina parochialibus ecclesiis præficiendi rectorem

perpetuum, omnibus regulis traditis subjectum, sicut alibi, ita et in nostris provinciis viguit usque ad perturbationem Gallicanam. Verum aliqua mutatio inducta est pro universo Reipublicæ Gallicanæ territorio per Concordatum an. 1801, in quo statutum est art. IX : *Episcopi in sua quisque diœcesi novas parœcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.* In executionem enim Concordati, ad normam articuli organici 60, erectæ fuerunt parochiæ (*paroisses*), seu ecclesiæ parochiales, saltem una in quoque justitiæ pacis territorio, ut dicitur, quibus præficerentur rectores perpetui; et ecclesiæ succursales, quibus præficerentur deservitores amovibiles. Præterea cum in articulo organico 66 statueretur : *les curés seront partagés en deux classes,* parochiæ (*paroisses*) aliæ erant *primæ,* aliæ vero *secundæ* classis, quæ solummodo ratione dotis rectori solvendæ ab invicem distinguebantur.

In istis distinctionibus introducendis, hoc unicum intendebat Gubernium, nempe quam arctissime restringere obligationem dotandi ministros, quam contraxerat art. XIV Concordati. Quamvis onus istud non esset mere gratuitum, sed potius parva valde compensatio bonorum Ecclesiæ, quæ injuste usurpaverat, illud quantum potuit minuere studuit. Ideo parochis secundæ classis minorem quam parochis primæ classis pensionem assignavit articulus organicus 66; et de dotatione succursalistarum nullam mentionem fecit; quin potius eis confirmavit articulus 68 exiguam pensionem, qua jam potiebantur.

Hoc obtento, minime sollicitum fuit Gubernium de exequendo statuto articuli organici 51, quo ecclesiæ succursales erigi debebant in stricto sensu juris. In jure namque ecclesia succursalis est ecclesia filialis, id est

adjutrix, seu pars ac membrum ecclesiæ parochialis, pro commodiori curæ exercitio ac sacramentorum administratione. Qui curam animarum in succursali exercet, is parochi ecclesiæ matricis vicarius est, ideoque curam exercet non proprio nomine, sed alieno, et sub ductu alterius.

Episcopi vero metuentes ne magnum spirituale detrimentum sequeretur, si deservitores succursalium non essent veri parochi, et unicus tantum haberetur parochus in singulæ justitiæ pacis territorio, mediam viam inierunt inter id quod a Gubernio requiri intellexerant, et regimen quod olim in præfatis ecclesiis obtinebat. Retenta igitur succursalium ecclesiarum denominatione, limites earum definierunt, et deservitores, seu succursalistas constituerunt omnibus juribus parochialibus, una inamovibilitatis prærogativa excepta, gaudentes, et proinde independentes a parocho titulari, cui relictum fuit merum jus inspectionis.

Hanc ab initio factam fuisse succursalistis conditionem, constat ex actis Archiepiscopi Parisiensis 29 Apr. 1803, Arch. Augustodunensis 1805, Episc. Tornacensis et Leodiensis 1803, aliorumque Episcoporum. Idem liquet ex litteris quibus succursalistæ constituuntur, et vi quarum in possessionem realem, actualem et corporalem ecclesiæ suæ mittuntur, non tanquam vicarii, sed tanquam rectores proprii. Cf. Mél. théol. T. I. p. 82.

Merito igitur scribit Illust. Affre, in sua *Litt. Past.* 26 Maii 1845 : « Mais les Évêques, en organisant les diocèses, voulurent améliorer la position des prêtres préposés au service des succursales; ils les mirent hors de toute sujétion vis-à-vis des curés de canton, et leur donnèrent ce qu'on appelle droit d'étole; ils les rendirent indépendants dans leurs églises respectives, et leur conférèrent des pouvoirs spirituels aussi étendus que les

pouvoirs des curés inamovibles d'autrefois. Ils ont même voulu que le nom de curé leur fut conservé. »

Ipsummet Gubernium suum articulum organicum 31 intellectum voluit eo sensu, qui modo agendi Episcoporum consonaret; quod nemo sane mirabitur qui animadverterit Gubernii nullatenus interfuisse istam potestatis spiritualis concessionem prohibere. Ita ad litteram in omnibus observatus fuit articulus IX Concordati anni 1801, quo Gubernii consensus statuitur necessario requisitus pro parochiarum erectione. Cf. Prompsault, *Dict. rais. de droit et de jurispr.* V. *Curés.* sub n. 3.

Jus autem inspectionis, quod per se vix ullius erat momenti, ac præsertim jus visitandi, quod interdum Episcopi parocho primario commiserant in ecclesias succursales, generaliter recesserunt.

« Cum igitur, ait Ex. Houwen, p. 131, tam succursalis ecclesiæ rectori quam districtus parocho, eadem sint onera, eædem obligationes et munera, cum utriusque subditi æque dependeant a suo respective rectore ad sacramenta aliqua licite, vel valide recipienda, et cum uterque eadem independentia sacro in ecclesia ministerio fungatur, merito inde conficitur utriusque unum et idem officium esse, utrumque unam et eamdem potestatem exercere, et uno eodemque jure populum sibi concreditum pascere, hoc solo discrimine interposito, quod unus ad tempus indefinitum, alter in perpetuum parochiale munus exerceat; » verbo, succursalistas habere omnia requisita ad parochiatus essentiam, ac proinde eos veri nominis esse parochos, licet amovibiles.

Accedit eos absque ulla restrictione Romæ tanquam parochos considerari, et aliter vix posse intelligi, tum gravem illam controversiam de eorum amovibilitate, tum rescriptum Gregorii XVI ad Episcopum Leodiensem mox citandum.

492. *Objicies.* Verus parochus non est nisi perpetuus; atqui succursalistæ sunt ad nutum revocabiles; ergo non sunt veri parochi.

R. *Neg. maj.;* nam perpetuitas ad essentiam vel officii, vel beneficii parochiatus minime pertinet; ideoque revocabilis parochus, æque ac perpetuus, omnia habere potest requisita ad parochiatum. Ex variis documentis canonicis et doctrina gravissimorum doctorum, De Luca, Fagnani, Gonzalez, etc., habemus quidem inamovibilitatem parochis competere tam ratione officii, quam ratione beneficii, eamque de jure requiri; sed ex iisdem constat eam ex statuto, aut concessione pontificis, vel ex fundatione, abesse posse, prout communiter tradunt auctores. Ceterum ex allegatis supra constat, succursalistas tanquam veros parochos fuisse constitutos. Cf. supra n. 430, sub 3° et 5°.

493. *Instabis.* Atqui defuit uterque titulus; ergo Episcopi illegitime derogarunt legi Tridentinæ de perpetuitate parochorum, et consequenter damnanda est et revocanda praxis, quam ab initio hujus sæculi servant, rectores amovibiles constituendi.

R. 1° cum Pignatelli, T. IX. *cons.* 145, n. 3-21 : « Concilium non præcise arctat Episcopos ad institutionem parochi perpetui, adeo ut non possint alio modo utiliori providere; loquitur enim alternative in hæc verba : *aut alio utiliori modo;* per quam alternativam *aut* dat electionem Episcopis. » Suum assertum pluribus argumentis decisionibusque confirmat, ac tandem concludit : « Constat igitur nullo modo repugnare, attenta Concilii Tridentini dispositione, quominus animarum cura per curatos, aut vicarios amovibiles exerceatur. »

R. 2° *Neg. ant.;* adfuit enim consensus saltem præsumptus R. Pontificis.

Probatur. *a/* Tales erant Concordati et decretorum

papalium illud comitantium dispositiones, tales infaustissimorum illorum temporum difficultates, ut Episcopi debuerint conjicere se non tantum posse, sed debere parochos plures constituere amovibiles.

Et re quidem vera, ex Concordato eruitur, R. Pontificem voluisse, ut Episcopi in gratiam succursalistarum inamovibilitatem non inducerent. Certum enim est, in ineundo fœdere eam fuisse S. Pontificis mentem, ut Gubernium, non tantum ratione dotationis, sed et pacis causa, in circumscribendis ecclesiis cum episcopatu concurreret. Jam vero admissa ea S. Pontificis mente, conceptis verbis in conventione expressa, quo jure dici posset Episcopos juxta eam egisse, si neglecto prorsus Gubernio, quod in articulo organico 31 de amovibilitate succursalistarum voluntatem suam manifestarat, ecclesias succursales quoad omnia ceteris parochiis coæquassent?

Indulgentiam illam S. Sedis explicant difficillima adjuncta temporis, in quibus nova circumscriptio erat perficienda. Inamovibilitas omnium parochorum poterat tunc esse valde periculosa, tum propter suppressionem seminariorum et imperfectam cleri institutionem; tum propter erectionem succursalium absque dotatione; tum præsertim propter qualitatem eorum, quos Gubernium succursalibus præfici volebat. Lege enim articulum organicum 68 : *Les vicaires et desservants seront choisis parmi les ecclésiastiques* pensionnés, *en exécution des lois de l'Assemblée Constituante*. Jam vero quinam presbyteri pensione ista gaudebant? Illi tantum qui emiserant juramentum fidelitatis nationi et legi, et adhæsionis ad constitutionem civilem, a congregatione nationali decretam et a rege acceptatam.

Hoc videtur confirmari ex rescripto S. Sedis ad Episcopum Leodiensem; nam causæ graves, quæ anno 1845

animum Pontificis moverunt ad non mutandum statum succursalium, eædem et graviores, tempore novæ circumscriptionis existebant.

b/ Praxis illa, et scriptis, et factis, publice per totam Galliam inducta est nullo reclamante, neque S. Pontifice, neque Cardinali Caprara, qui tunc temporis Parisiis degebat.

494. Episcopi igitur merito derogarunt juri communi constituendo parochias, quarum rectores forent amovibiles, illamque praxim et legitime introduxerunt, et servare tenentur. Quod ut unicuique perspicuum sit, placet hic exscribere tum supplicem libellum Episcopi Leodiensis, tum S. Congregationis rescriptum, nomine Pontificis datum.

Beatissime Pater,

Infrascriptus Episcopus Leodiensis omni qua debet veneratione humillime petit, ut examinetur sequens dubium, sibique pro conservanda in sua diœcesi unitate inter clericos, et Ecclesiæ pace, communicetur solutio.

An attentis præsentium rerum circumstantiis, in regionibus in quibus, ut in Belgio, sufficiens legum civilium fieri non potest immutatio, valeat et in conscientia obliget usque ad aliam S. Sedis dispositionem, disciplina inducta post Concordatum anni 1801, ex qua Episcopi jurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi si revocentur, vel alio mutentur, tenentur obedire?

Ceterum Episcopi hac rectores revocandi, vel transferendi auctoritate haud frequenter, et non nisi prudenter ac paterne uti solent, adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest, ex hisce rerum adjunctis, satis consultum videatur.

(Sign.) † Cornelius, Episcopus Leodien.

Ex audientia SS^mi die 1 Martii 1845, SS^mus D. N. universa rei, de qua in precibus, ratione mature perpensa, gravibusque ex causis animum suum moventibus, referente infrascripto Cardinali S. C. C. Præfecto, benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a S. Apostolica Sede statutum fuerit.

(Sign.) P. Card. Polidorius, Præf.
A. Tomassetti, Sub. Secret.

Voces illæ *benigne annuit* non continent dispensationem, ut interpretati sunt Mél. Théol. sér. 3, p. 117; sed illis significat R. Pontifex, quod praxis illa, benigna sua concessione introducta, et permissa ob temporum circumstantias, possit ex benignitate sua continuari, siquidem, ut allegabatur, non essent circumstantiæ sufficienter mutatæ. Cf. Houwen, p. 118; Bouix, p. 238.

495. Ex præmissis deducitur:

a/ Errare Richaudeau, *De l'anc. et de la nouv. disc. en France*, P. II. chap. 1, dum succursalistis eam tantum tribuit conditionem, quæ eis facta fuit per articulos organicos.

b/ Errare Anal. jur. pont. I. 2ª ser. col. 1609, quando tradunt ecclesias succursales esse parochias, quarum cura actualis sit penes succursalistas, habitualis vero penes Episcopum, ita ut succursalistæ sint hujus vicarii, non veri parochi.

c/ Non esse cur fratres Allignol, *op. cit.* aliique tam immoderate petant inamovibilitatem hodiernorum succursalistarum, docentes amovibilitatem fuisse illegitime introductam, et esse Ecclesiæ quam maxime perniciosam. Cf. Anal. *ibid.* col. 1613 et 1655; Kersten, T. X et XII.

Quanquam autem legitima sit succursalistarum amovi-

bilitas, et valeant isti parochi amoveri arbitrio Episcopi diœcesani, non debent tamen removeri nisi ex causa rationabili et justa; æquitas enim postulat ut consulatur honori et statui amoti, et locum non habeat amotio ex ira, vel malevolo animo.

Sequens igitur existit discrimen inter parochum perpetuum et amovibilem : perpetuus non potest valide amoveri, nisi servatis causa et modo a jure communi præscriptis, et consequenter a sententia remotionis locus est appellationi in suspensivo; amovibilis vero juxta communem canonistarum sententiam contra Chaillot, *ann. jur. pont.,* Maupied, nouv. Rev. Théol. T. I. p. 192, etiam sine causa amovetur valide, et, accedente causa justa, quamvis in jure non expressa, etiam licite; ad hoc non requiritur solemnitas judicii, nec consequenter datur locus appellationi, sed simplici recursui ad S. Congregationem Concilii. *Ibidem* col. 1657.

Articulus II.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS.

496. Notionem *Vicarii* et generales vicariorum species subministravimus supra n. 586. Variis locis jam diximus de vicariis *jurisdictionis* : nempe de *Cardinali* Vicario, de Vicario *Apostolico, Generali, Foraneo* et *Capitulari*. Hic quædam dicenda sunt de vicariis *beneficialibus, in divinis* seu *parochialibus*.

In hoc tractatulo, qui non caret difficultate, propterea quod nobis disserendum sit de vicariis collato jugiter jure communi cum peculiari disciplina in his regionibus vigenti, pro modulo nostro conabimur utiliora excerpere ex opere valde commendando, cui titulus *Étude canonique sur les vicaires paroissiaux,* quod recens edidit J. B. Deneubourg, S.T.D. par. de Froyennes, diœc. Torn.

§ 1. *De notione et speciebus vicariorum parochialium.*

497. Vicarius parochialis non est vicarius *jurisdictionis,* siquidem, juxta hodiernam disciplinam, ipse parochus, cujus vices gerit, jurisdictionem proprie dictam in foro externo non habeat, sed est vicarius *in divinis,* qui scilicet parochi nomine ejusque loco munera exercet parochialia; id est, vices ejus gerit in cura animarum et divinis ministeriis.

498. Vicarii parochiales dividi possunt in *perpetuos* et *temporaneos*.

499. Vicarii *perpetui,* qui etiam *vicarii curati* dicuntur, sunt illi, qui canonice sunt instituti ad deserviendum cuipiam ecclesiæ loco principalis rectoris, cum assignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debent. Constituuntur autem in ecclesiis parochialibus annexis alicui mensæ episcopali, Capitulo, præbendæ, monasterio, collegio, loco pio, dignitati, etc. Trid. *Sess.* VII, cap. 7 *de ref.*

Hujusmodi vicarii instituuntur ab Episcopo ad præsentationem rectorum principalium, vel illorum qui personam moralem repræsentant, iisque constitutis, remanet quidem cura habitualis penes rectores principales, sc. Capitulum etc., sed cura actualis, eaque tota, etiam præsente rectore principali, pertinet ad vicarios, qui ideo *vicarii-curati* appellantur, et quoad jura obligationesque velut parochi considerandi sunt. Etenim rectorum principalium vices non gerunt, sed proprio nomine ecclesiam curant; ideoque ordinarii sunt et inamovibiles. De his igitur supervacaneum foret quidquam disserere.

500. Vicarii *temporanei* illi sunt, qui auctoritate legitimi superioris ad peragendum ecclesiasticum officium in locum alterius, ad tempus seu ad voluntatem consti-

tuentis, sufficiuntur. Constituuntur vel parochia vacante, aut absente parocho, vel in parochi residentis, validi aut infirmi, auxilium.

Dividi itaque possunt in triplicem speciem : alii enim sunt deservitores, alii cooperatores, alii coadjutores; de quibus nonnulla subjiciantur necesse est.

§ 2. *De deservitoribus.*

501. Deservitores (*desservants*), seu vicarii *administratores,* sunt illi, qui vacante parochia, vel absente parocho, ad regendam parochiam (ab Episcopo) deputantur, donec vel revertatur parochus, vel novus constituatur. Dicuntur etiam *œconomi,* quando constituuntur in parochia vacante. Cf. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 18; *Sess.* VI, cap. 2; *Sess.* XXIII, cap. 1 *de ref.*

In legitima parochi absentia nominatio vicarii regulariter spectat ad parochum; sed postea nominatus examinandus est et approbandus ab Episcopo : « quandocumque, ait Tridentinum *Sess.* XXIII, cap. 1 *de ref.,* eos (parochos) causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. »

In parochia vero vacante nominatio vicarii, qui in Belgio *deservitor,* in Gallia vero *curatus* vel *rector ex officio* dicitur, pertinet ad Episcopum; statuit enim Tridentinum *Sess.* XXIV, cap. 18 *de ref.,* ut « debeat Episcopus, statim habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, constituere. » Hæc congrua taxatur « ratione habita, ait Benedictus XIII, const. *In supremo* § 11, reddituum et emolumentorum ecclesiæ parochialis... necnon inspectis conditionibus loci, nu-

mero animarum, qualitate laboris et quantitate impensarum, quam commissi officii necessitas postulaverit. » In Belgio juxta legem 30 Martii 1836 deservitoribus solvitur pensio titularium, a prima die mensis qui sequitur vacationem.

Hujusmodi vicariis, juxta Maschat, L. I. *Decr.* tit. 28, n. 4, competit potestas curæ pastoralis quasi-ordinaria, licet multum similis sit delegatæ *ad universalitatem causarum;* et ideo totam hanc potestatem non possunt alteri committere, nisi hoc consuetudo, vel speciale mandatum permittat; bene vero unum, vel alterum actum coadjutori delegare valent.

Sicut quoad jura, ita etiam quoad obligationes parum a parochis differunt deservitores. Tenentur enim et ipsi celebrare pro grege, populum pascere verbi divini prædicatione et sacramentorum administratione, in parochia residere, etc.

Officium eorum expirat revocatione; morte rectoris principalis, vel alio modo inducente parochiæ vacationem; item vicariorum renuntiatione, reditu parochi vel novi parochi constitutione. Cf. Stat. diœc. p. 62 sub 3.

§ 3. *De vicariis cooperatoribus.*

502. Hoc nomine veniunt illi, qui vicariam operam præstant parochis parochiam suam administrantibus et in ea residentibus. Solent in Italia vocari *capellani curati, vice-curati* seu *sacellani,* in Gallia vero et Belgio dicuntur *vicepastores, viceparochi, vicarii, vicaires, onderpastors, kapellanen.*

A. De origine et constitutione viceparochorum.

503. In historicis documentis jam a sæculo IX mentio fit de sacerdotibus parochorum adjutoribus; sed varia

tunc temporis erat disciplina pro variis regionibus et parochiis: in altera parochi sibi assumebant presbyterum *subjugatum;* in altera vero Episcopi secundum rectorem paris cum priori potestatis parocho adjungebant. Ista ejusdem parochiæ rectorum pluralitas litibus et contentionibus locum præbebat; et ideo jam a sæculo XIII in Anglia, Gallia, Germania aliisque locis nonnisi *subcapellani* in parochorum auxilium deputati sunt. Poterant eos parochi sibi associare; sed in multis diœcesibus requirebatur Episcopi approbatio. Hæc disciplina, primo particularis, generalis evasit decreto Tridentini *Sess.* XXI, cap. *4 de ref.;* ubi statuit: « Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. »

504. Quando itaque parochia tanto constat animarum numero, ut unus pastor nequeat eas debite pascere, ex Tridentini præscripto, l. c. unum vel plures vicarios sibi adjungere tenetur.

Sed ad quem pertinet nominatio vicarii?

Respondemus breviter: inspecto jure communi pertinet ad parochum; ast disciplina peculiaris vigens in Gallia et Belgio eam tribuit Episcopo.

Quamvis textus Tridentini expresse et diserte nominationem vicarii cooperatoris parocho non tribuat, ita tamen luculenter jus istud parocho supponit competere, ut, exceptis auctore quodam gallico, nomine Corgne, in suo opere *Défense des droits des Évêques,* T. II. p. 432, et Dens, *de pœnit.* n. 102, forsan nullus reperiatur, qui contrarium docere sit ausus. « Dum decer-

nunt Tridentini Patres, ait Bouix, *de parocho,* p. 448, ut Episcopi parochos *cogant sibi* vicarios *adjungere,* aperte et æquivalenter nominationem hanc parochis ipsis tribuunt. Si enim debuisset nominatio hæc ab Episcopis fieri, non usi fuissent hac formula: *cogant parochos sibi adjungere* vicarios; bene vero hac altera : *parochis vicarios adjungant.* Imo si vicarius nominetur ab Episcopo, et sola Episcopi auctoritate deputetur et in parochia constituatur, jam non potest *cogi* parochus *ad adjungendum* sibi vicarium; siquidem ex ipsa Episcopi nominatione et deputatione jam est *adjunctus* et constitutus. Ut proinde dicendum sit, vel Tridentinos Patres absurda et ridicula formula usos fuisse (quod profecto dicere nefas est), vel *adjunctionem* vicariorum, seu, quod idem est, eorum electionem et nominationem ad parochos ipsos pertinere. » Hanc tenuit doctrinam Innocentius XIII in const. *Apostolici muneris* data pro regno Hispanico, et a Benedicto XIII, const. *in Supremo* renovata, licet forsan ibidem decretum Tridentini non sunt authentice interpretati; hanc quoque sequitur S. Congregatio Concilii; hanc propugnant Fagnanus, Pignatelli, Ferraris, Pirhing, Van Espen, Rousseau de la Combe, Gohart, Chaillot, Icard, Prompsault et André.

Vicarii tamen illi debent esse sacerdotes ab Episcopo approbati non tantum ad confessiones excipiendas (Trid. *Sess.* XXIII, cap. 15 *de ref.*) et ad verbum Dei annuntiandum (ibidem, *Sess.* XXIV, cap. 4), sed etiam ad curam animarum, adeoque ad vicarii munus. Hæc approbatio requiritur sin lege generali, lata in præfatis constitutionibus pontificiis, saltem vi statutorum particularium.

Verum ad Episcopum spectat judicare, an necessarius in qualibet parochia exstet sacerdotum numerus, et, ubi deerit, cogere parochum ad supplendum. Quod si parochi, ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino præ-

fixo, id facere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi eos propria auctoritate deputare. Inn. XIII, *const. cit.*

505. Disciplina illa mox introducta fuit in Italia et Hispania, ubi hucusque servatur; necnon in Gallia et Belgio, in quo certo adhuc vigebat tempore Van Espen. Testatur autem Dens l. c. sua ætate in Archidiœcesi Mechliniensi existere *consuetudinem, qua Archiepiscopus ex auctoritate mittit vicepastores ad parochias.* Ex hac forsan ad alias etiam transiit diœceses Belgii.

Certum autem est in Gallia et Belgio, saltem a tempore Concordati anni 1801, non jus commune, sed peculiarem quoad viceparochos servari disciplinam. Episcopi namque soli eos eligunt, approbant et deputant ad parochias.

506. In nostris regionibus praxis illa constans, uniformis et generalis est; sed an legitima? An debitis stipata conditionibus, ut valeat præscribere contra jus commune, et præsertim contra decretum Tridentinum?

Ante responsum nota, consuetudinem requiri quidem generalem ad legem generalem ubique abrogandam; sed tamen consuetudinem localem eam suspendere, vel abrogare posse in locis peculiaribus. « Juxta instituta canonica, ait Suarez, *de leg.* L. VII. c. 18 n. 6, illa abrogatio fieri potest per partes in provinciis, in episcopatibus et communitatibus, quæ per leges proprias gubernari possunt. Nam si in una ex his communitatibus prævaleat consuetudo contra legem communem, *pro illa communitate derogatur, etiamsi pro aliis lex integra maneat.* » Si itaque disciplina præfata, quæ viget in Gallia et Belgio, nitatur legitime præscriptæ consuetudini, merito sustinetur. Atqui hoc videtur affirmandum; ergo, etc.

Probatur minor. Et 1° quidem consuetudo illa est *rationabilis;* nam non est juri divino aut naturali contraria,

non disrumpit nervum disciplinæ ecclesiasticæ, neque fomes est aut occasio peccatorum, ut patet; non est a jure canonico reprobata; reprobatio enim nullibi occurrit. Unum igitur quæri potest; scilicet, an non sit bono parochiarum perniciosa?

Utique dici potest, vicarios in parochorum subsidium vocari, eorum vices supplere, dotesque in eis requiri bono parochiarum procurando idoneas, ideoque eorum electionem parochis videri deferendam. Sed inspecta educatione clericorum, qui jam non in monasteriis, aut universitatibus, aut domibus pastoralibus, sed in seminariis, adeoque in civitatibus sub oculis Episcopi informantur; inspecta diœcesium administratione, qua Episcopus in omnes parochias per se et per decanos suos assidua cura et frequenti visitatione intendit, et statum earum perspectum habet, nemo non videt in nostris similibusque regionibus neminem melius quam Episcopum cognoscere clerum, singulorum scilicet presbyterorum conditionem et idoneitatem, uniuscujusque parochiæ necessitates, et consequenter neminem sapientius et rectius vicarios juxta merita propria et parochiarum exigentiam deputare posse.

Parochus quidem ordinarius est in sua parochia, et consequenter ex principio generali illius est sibi auxiliares adjungere, nisi quid obstet; sed Episcopo quoque demandatur divina ordinatione officium providendi, meliori quo potuerit modo, per omnem diœcesim necessitatibus cultus divini et curæ animarum; « ipse est enim, cujus fidei populus creditus est, et pro eorum animabus ab ipso ratio repetitur, » ut dicitur in *canone Apostolorum 38*.

Si itaque omnibus inspectis ipse melius quam parochus justitiæ distributivæ erga vicarios servandæ, cultui divino et animarum saluti providere valeat, ratio dictat

curam eos nominandi ipsi relinquendam esse. Jam vero quam difficile alias foret presbyteros distribuere ex æquo per diversas diœcesis partes, et quam plures forsan essent parochiæ, quibus non convenienter providerctur, facile conjicitur.

Verum quidem est, hanc praxim repugnare Concilio Tridentino; sed, ut vidimus, non præcise reprobatur, et nequidem diserto textu prohibetur; etenim Tridentinum jus parochi non expressis terminis statuit, sed potius supponit. Dein hoc etiam concesso, animadvertendum est posse quandoque decretum Concilii Tridentini contraria consuetudine nonnihil emolliri. Cf. præn. p. XVI ss.

2° Consuetudo illa *requisito tempore durat;* nam supra notavimus eam in nostris regionibus vigere saltem a tempore Concordati anni 1801; quod spatium ex omnium confesso abunde sufficit ad legitime præscribendum.

3° Eo vel magis quod consuetudo illa nitatur *consensu legislatoris,* non tantum *legali,* qui habetur per leges et canones consuetudines omnes rationabiles et legitime præscriptas approbantes, eisque vim juris non scripti tribuentes, sed etiam *tacito;* nam RR. Pontifices eam apprime cognoscunt e relationibus ecclesiarum aliisque modis, et tamen nunquam contra eam reclamarunt. Hinc consuetudo præfata potius per viam conniventiæ quam præscriptionis vim acquisivit, et consequenter etiam ante decennium legem abrogare potest. Quinimo non absque fundamento asseritur, Episcopos, saltem post Concordatum anni 1801, ob difficillima temporum adjuncta, merito existimasse legem Tridentinam noluisse comprehendere statum ecclesiarum Galliæ et Belgii, pro quibus certo fuisset damnosa; adeoque dari locum epikiæ. Et re quidem vera, gubernium tunc omnes adhibebat conatus ad præficiendos parochiis rectores jura-

mento civico adstrictos, qui et ipsi ejusdem farinæ vicarios assumpsissent, nisi Episcopi sibi jus eos nominandi reservassent. Quod et fecerunt, adjuti sane et consilio et tacita approbatione Cardinalis Caprara, Legati *a latere,* qui tunc temporis Parisiis degebat, et quoad cultus restaurationem illimitata S. Sedis potestate erat instructus.

B. De potestate viceparochorum.

507. Viceparochi habent potestatem ordinis; sunt enim sacerdotes. Habent quoque potestatem jurisdictionis proprie dictæ in foro interno seu animæ, quatenus habent potestatem ligandi et solvendi in foro pœnitentiali, et jurisdictionis improprie dictæ, seu licentiam administrandi ecclesiastica sacramenta in foro interno et externo.

508. Sed ad differentiam jurisdictionis parochi, quæ in parochia proprio nomine exercetur seu titularis est, principalis, ordinaria, summa, illimitata et irrevocabilis, quatenus nempe parochus alium agnoscere non debet superiorem immediatum, nisi Episcopum, jurisdictio Viceparochi alterius nomine exercetur seu vicaria est, secundaria, delegata, subordinata, limitata et revocabilis.

Vicaria, quia viceparochi non proprio nomine curam habent animarum, sed tanquam repræsentantes parochum, cujus vices gerunt.

Secundaria seu accessoria, ut satis colligitur ex Tridentino, ubi docet vicarios esse assumendos in parochi adjutorium.

Delegata; nam jurisdictio vicariorum non a jure, quod de ea silet, sed ex commissione superiorum habetur. Constans enim praxis est, ut superiores ipsi eorum jura et obligationes determinent.

Contrarium tuetur Maupied et recurrit ad auctoritatem Fagnani et Schmalzgrueber, sed hi in citatis locis loquuntur non de vicariis cooperatoribus, sed de vicariis temporaneis, de quibus diximus n. 500.

Q. A quo viceparochi delegationem accipiant?

R. *a*/ Jurisdictionem fori interni ad verbum Dei annuntiandum, et ad excipiendas confessiones recipiunt ab Episcopo, sed ea lege ut eam exerceant *de licentia parochi,* vel *quorum interest.*

b/ Ad reliqua sacramenta ministranda et exercenda officia, quæ viceparocho ex lege aut consuetudine incumbunt, in locis, ubi jus commune viget, potestatem recipiunt ab ipsis parochis, qui eos assumunt, apud nos vero ab Episcopis; sed rursus de parochi licentia exercenda est.

Licentia igitur pastoris est vel expresse, vel tacite ad exercitium vicariæ obtinenda, et parochi, licet stricte loquendo, prudentia duce, ob bonum animarum, in casu particulari, eam denegare possint, regulariter tamen debent eam concedere, ob reverentiam Episcopo debitam.

Hinc aliquo sensu dici potest delegationem Vicariis concedi a duobus simul parochiæ ordinariis, ab Episcopo scilicet et parocho.

Subordinata, cum vicarii nomine parochi ejusque loco munia pastoralia exerceant, non tantum ab Episcopo et aliquatenus a decano sicuti parochi, sed ab ipso parocho dependent eique sunt subordinati. Hoc exigit natura ipsa eorum delegationis, quam ab Episcopo et simul a parocho recipiunt; hoc exigit bonus ordo in parochia servandus et unitas regiminis in omni hierarchiæ gradu constituta. Præterea ista subordinatio Vicariis expressis terminis apud nos ab Episcopo præscribitur in litteris delegationis : « Pastori tuo, ait. *in omnibus* reverentiam et *obedientiam* præsta. »

Limitata; namque vicarii non sunt delegati ad universalitatem causarum, sed mittuntur dumtaxat ut parochum adjuvent. Hoc obtinet et juxta jus commune, et juxta disciplinam in nostris regionibus vigentem.

Excipe tamen *a/* si Episcopus eos ita constituat, ut suppleant vel negligentiam vel incapacitatem pastoris; *b/* si parochus omnia sua munia ipsis ad tempus expresse deleget; *c/* si, parocho absente, ipsis committatur parochiæ administratio.

Revocabilis; inprimis quia potestas vicarii est delegata; dein quia ministerium ejus non est officium; jus enim ecclesiasticum non constituit vicariatum pro ecclesiis parochialibus, seu non determinavit jura et officia hujusmodi vicarii, quamvis certis in casibus injunxerit ejus deputationem; tandem quia non habet beneficium. S. pœnitentiaria namque declaravit 9 Jan. 1823, ut beneficia considerandas quidem esse pensiones constitutas loco reddituum, quos beneficiarii antea percipiebant ex fundis seu dote eorum beneficiorum; non vero stipendia, quæ dantur propter servitium ecclesiæ et exercitium functionum ecclesiasticarum, tanquam merces operis et ad operantis sustentationem, qualis certe est pensio vicariorum; hæc enim bona censentur quasi-patrimonialia.

Id confirmatur ex eo quod Tridentinum injungat tantum parochis, ut sibi assumant tot cooperatores quot necessarii sunt ad sacramenta ministranda et cultum divinum celebrandum : cessante igitur necessitate, cessat parochi obligatio et vicarius jure revocatur.

Ipsi quoque termini delegationis hoc indicant : nam litteræ vim obtinent, vel usque ad determinatum tempus, v. g. examen, vel donec Episcopo aut parocho aliter statuere placuerit.

C. De juribus viceparochorum in specie.

509. Jura viceparochorum recte dividuntur in spiritualia et temporalia spiritualibus annexa.

Ad priora quod spectat, generatim dici potest, jura eorum spiritualia pendere ex litteris nominationis seu ex commissione accepta ab Episcopo vel parocho, ex praxi et consuetudine, necnon ex statutis diœcesanis. Ita fere habent litteræ delegationis, quæ solent viceparochis tradi in diœcesi Brugensi. Munus vicarii ita eis committur, ut possint in parochia, ad quam mittuntur, et per totum districtum, et in communitatibus (*communes civiles*) suis conterminis, de licentia quorum interest, sacramenta administrare, verbum Dei annuntiare et fidelium confessiones excipere, moribundis benedictionem apostolicam impertiri, ac ceteris fungi officiis, quæ vicepastori ex lege, aut consuetudine incumbunt. Tenentur tamen in illis aliisque omnibus pastori suo reverentiam et obedientiam præstare.

Ad particularia autem descendentes jura illa viceparochorum ad duplicem reducimus classem : ad ea nempe quæ ipsis competunt respectu jurium et officiorum parochialium, et ea quæ ipsis cum parochis sunt aliquousque communia.

CC. De juribus viceparochorum respectu jurium parochialium.

510. Agentes de obligationibus parochi vidimus, quasdam ita proprias esse parocho, ut eas alteri committere non possit, nisi sit legitime impeditus; v. g. missam pro grege et prædicationem; alias vero non ita rigorose parocho incumbere, easque vel ob causam justam, vel etiam sine causa alteri committi posse.

Ex præcedentibus quoque constat omnes parochi obli-

gationes totidem constituere jura, quæ consequenter semper potest et quandoque debet sibi reservare.

His prænotatis, statui possunt quædam regulæ, e quibus facili negotio deducuntur præcipua viceparochi jura respectu jurium et officiorum parochialium.

511. *Regula 1ª*. Sine licentia parochi, regulariter expressa et semper revocabili, nequeunt vicarii sibi assumere munia parochialia primi generis; quæ sunt missa pro grege, prædicatio, catechesis, communio paschalis et prima communio puerorum.

De missa pro grege, vide supra, n. 445 s.

De prædicatione et catechesi n. 457 s., dicitur, parochum teneri per seipsum prædicare, et pueros rudesque docere, *nisi sit legitime impeditus;* impedimentum autem est absentia, infirmitas, nimia copia parochialium onerum. Verum quidem est, vicepastorem ad prædicandum et catechizandum ab Episcopo hic deputari; sed stricto jure munus illud exercere nequit, *nisi de licentia quorum interest,* ut expresse ferunt litteræ delegationis. Attamen, parochus regulariter servet necesse est consuetudinem diœcesis, et potissimum attendat, Statuta diœcesana p. 112 præscribere, ut singulus vicarius bis saltem in mense majorem instituat catechesim.

Quæ præcedunt spectant non tantum ad ecclesiam, sed etiam ad scholas, congregationes, aliaque loca pia parochiæ, nisi specialem ad ea dirigenda delegationem vicarii ab Episcopo receperint.

Communio paschalis et prima communio puerorum sunt jura et officia parochialia, uti diximus supra n. 467 ss. In his tamen parochus dispensatur rationabiliter, si justa de causa hoc munus committat vicario, qui praxim sufficientem habeat in dignoscendis parochianis et pueris instruendis. Cf. Decr. Congr. Dec. 1859, II et III.

512. *Regula 2ª*. Sine licentia parochi, regulariter ex-

pressa, aliquoties præsumpta et semper revocabili, nequeunt vicarii sibi assumere munia parochialia secundi generis. Hoc nomine vocamus quædam jura et officia, quæ parochus potest sibi reservare, vel alteri committere, etiam absque legitimo impedimento, ob quamcunque rationabilem causam; nullus enim textus juris ea tanquam onera parochi personalia habet. Talia sunt cantus divinorum officiorum, proclamationes, baptisma, benedictiones mulierum post partum, matrimonium, funera et sepultura, externum parochiæ regimen.

Vidimus supra n. 461 sub *b*/ ad parochum spectare officiaturam ecclesiæ suæ.

Hinc non possunt vicarii privata sua auctoritate, *a*/ celebrare, nec consequenter recipere missas cantatas; *b*/ cantare vesperas et laudes; *c*/ facere benedictionem et aspersionem aquæ, benedicere et distribuere solemniter candelas, cineres et palmas, benedicere fontem baptismalem, nisi ipsi missam celebrent; *d*/ celebrare officia hebdomadæ sanctæ; *e*/ instituere et facere processiones.

Ibidem diximus, parocho competere denuntiationes variasque proclamationes, sed ex usu apud nos eæ omnes permittuntur, quinimo incumbunt vicariis, præter proclamationes bannorum ordinationis et matrimonii.

Ad conferendum baptisma de jure indigent vicarii licentia vel expressa, vel rationabiliter præsumpta parochi; requiritur expressa, si parochus soleat illud sibi reservare; si secus, sufficit præsumpta.

Sed an sub disciplina hic vigenti possunt parochi omnia baptismata, exclusis vicariis, sibi reservare?

Stricte loquendo affirmative; quia baptisma est jus parochiale (supra n. 466). Generatim tamen vicariis committitur; et usus ille eo vel magis est commendandus, quod oblationes occasione baptismatis perceptæ multum quandoque conferant ad honestam vicariorum

sustentationem. Non tamen absonum est ut parochus ipse proles principaliorum parochianorum baptizet, etiamsi alias relinquat vicario; præsertim si in compensationem laboris sæpe gratis præstiti, oblata generose cedere vicario non omittat.

Ad parochum quoque spectat admittere patrinos; describere nomina in libro baptizatorum (Trid. *Sess.* XXIV, cap. 2 *de ref.* et Rit. Rom. *de sacr. bapt.*); tradere extracta baptismalia; sed cura illa generatim vicariis demandatur.

Benedictionem puerperarum, uti vidimus n. 482, Pastorale Brugense tribuit parochis. Quare vicarii sine expressa, vel rationabiliter præsumpta parochi licentia eas ad purificationem non admittant.

Assistentiam matrimonii apud nos solis parochis, non vero vicariis competere, seclusa parochi vel Episcopi delegatione, vidimus supra n. 104. Cf. tamen Gury T. II. n. 850.

Onus pariter injunctum est parocho, ut sponsos examinet; ut inquirat de statu libero, de existentia impedimentorum, et in casu procuret dispensationem; ut faciat proclamationes bannorum; ut redigat et expediat testimonium status liberi; ut benedictionem nuptialem impertiatur, et nomina conjugum et testium in libro matrimoniorum manu sua describat: idque licet alius sacerdos vel a se, vel ab Ordinario delegatus matrimonium celebraverit. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 1 *de ref. matr.* Rit. Rom. *de sacr. matr.* Ben. XIV, Bull. vol. II. const. *Nimiam licentiam* § 10.

De jure funeris et sepulturæ satis superque dictum est supra n. 475 ss.

Ad externum parochiæ regimen, adeoque ad parochum privative spectat reformatio abusuum, delegatio sacerdotis extranei ad functiones publicas, administratio

fabricæ, introductio novarum consuetudinum, promotio bonorum operum, institutio confraternitatum (non autem earum canonica erectio, quæ ad solum pertinet Episcopum), erectio scholarum, institutio locorum piorum et alia ejusmodi pro opportunitate loci et personarum; non omnia enim in qualibet parochia institui possunt.

Hinc vicarii, parocho invito, iis non se immisceant. Quod si negligantur opera præscripta, ut associatio denarii S. Petri, S. Francisci Salesii, confraternitas SS. Cordis Jesu; vel maxime commendata, ut associatio propagationis Fidei et S. Infantiæ, societas S. Vincentii a Paulo, S. Joannis-Baptistæ, S. Francisci Xaverii, scholæ dominicales, congregationes, etc. poterunt, si opportunum judicaverint, consulere superiores. Cf. Stat. diœc. p. 104.

513. *Regula 3ª*. Quod si parochus munia pastoralia per se ipsum implere non possit, vicarii jus strictum non habent ut vices ejus suppleant, sed æquitas naturalis suadet, ut cura illa ipsis potius quam extraneo committatur; *qui sentit onus, sentire debet commodum*. Cf. art. 31 Decr. 1809.

Excipe *a*/ si vicarii ad munus quoddam sint inhabiles; *b*/ si bonum parochiæ requirat vel confessarium, vel concionatorem extraneum; *c*/ si in peculiari casu ipsi parochiani justa de causa sacerdotem extraneum præsentent, v. g. propinquum, aut familiarem ad assistendum matrimonio vel baptisma conferendum.

Tenentur tamen parocho suo in omnibus obedire, et promptos se exhibere, ut alacri animo vices ejus suppleant, quotiescunque ad hoc fuerint rationabiliter invitati. Quo casu erga omnes ecclesiæ officiales, cantores, bidellos, aliosque adjutores, jura et auctoritatem parochi exercere valent.

Potest autem parochus vicario suo relinquere non

tantum onera leviora, sed munera quoque magis ardua, veluti ire de nocte ad infirmos, peragere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus; nam hoc ipsum probat recepta consuetudo, quæ est optima legum interpres; imo subinde id postulat ipsa multitudo parochialium munerum per solum parochum non facile expediendorum. Attamen suo cooperatore parochus discrete utatur necesse est, videlicet ut socio laboris, et non ut homine qui solus portet pondus diei et æstus. Quare ipsemet parochus, cessante justo impedimento, munia pastoralia principaliora personaliter præstare non intermittat; atque ubi is ob specialem quandoque erga eum conceptam confidentiam nominatim vocatur et expectatur, non recuset venire, curamque et sacramenta per semetipsum administrare. « Ubi autem acciderit, addunt Statuta diœcesana p. 88, vicepastorem aliquem plus æquo a parocho suo gravari, volumus ut in ejusmodi casu, propter bonum pacis et ordinem hierarchicum, provisorie obediat, donec res ad decanum, vel ad Nos (*Episcopum*) relata fuerit. » Cf. Reiffenstuel, L. III. tit. IV. n. 86.

CCC. De juribus parocho et viceparocho aliquousque communibus.

514. Jura communia vocamus illa, quæ, juxta disciplinam hic vigentem, et parocho et viceparocho simul competunt. Inter ea quædam ita illis sunt communia, ut parochus ea sibi reservare nequeat : talis est auditio confessionum, celebratio missæ; alia vero potest quidem, in rigore juris, parochus sibi reservare in casu aliquo particulari, non autem generatim, si cultui divino et saluti animarum consulere velit.

515. Quapropter jura communia primi generis exercere valent viceparochi, vi missionis ab Episcopo acceptæ et inde necessariæ admissionis in parochia, absque ullo

parochi consensu; sed in iis exercendis tenentur servare modum a parocho ex æquo et bono præscriptum.

Sic possunt viceparochi, etiam invito parocho :

1° Celebrare missam in ecclesia parochiali, nisi fiant publice et notorie scandalosi. Trid. *Sess.* XII, *de obs. et evit. in celebr. missæ.*

Sed ordo in ecclesiis servandus postulat, ut parochus jure polleat determinandi, *a/* qualitatem missæ, an debeat esse cantata, an vero privata; *b/* horam competentem; *c/* altare; et *d/* locum ubi celebrari debeat, an in ecclesia parochiali, an vero in sacello vel oratorio publico.

2° Distribuere sacram communionem infra missam. Trid. *Sess.* XII. cap. 6, *de sacr. missæ.*

Excipe tamen tempus paschale, dies dominicos ac festivos, et quasdam solemnitates, uti apud nos est adoratio perpetua. Cf. supra n. 511.

3° Ministrare ad altare in missis solemnibus aliisque officiis. Vide infra n. 519.

4° Excipere confessiones, sive publice in ecclesia, sive in domibus ægrotantium. Valide semper absolvunt vi jurisdictionis ab Episcopo acceptæ, et licite quoque ratione admissionis ad munus vicariale in parochia exercendum. Hac admissione impletur clausula *de licentia quorum interest,* quæ in casibus particularibus videtur potissimum servanda erga rectores aliarum ecclesiarum.

Sed rursum poterit parochus assignare vicariis sedem confessionalem, et determinare horas confessionum excipiendarum.

516. Jura vero communia secundi generis exercere nequeunt vicarii, prohibente parocho in casu particulari; sed regulariter non indigent expresso parochi consensu ad ea exercenda dum a parochianis requiruntur : sufficit rationabiliter præsumptus, qui continetur in generali

admissione ad fungendum munere vicarii in parochia.

Hinc, seclusa speciali prohibitione, possunt vicarii :

1° Instituere majorem et minorem catechesim, ut videbimus infra et dictum est supra n. 511.

2° Distribuere sacram communionem extra missam.

3° Eam deferre ad infirmos.

4° Administrare sacrum Viaticum et extremam-unctionem.

In illis tamen omnibus tenentur vicarii servare ordinem statutis, consuetudine vel præcepto parochi præscriptum.

5° Rigorose loquendo possunt etiam impertiri benedictiones mere sacerdotales. Merito tamen notat Scavini, *Theol. mor.* T. III. n. 695 : « Ad confusionem vitandam, ad ordinem conservandum, benedictiones a sacerdotibus simplicibus aut capellanis datæ oportet ut sint singulares, privatæ, quietæ ac moderatæ; item caveant sacerdotes, coadjutores maxime et capellani, ne parochianos a proprio parocho avertant, ne turpe lucrum quærant, ne superstitionem aliquam foveant. Ex quo quidem patet quare plura quæ, etsi non de jure parochiali, attamen nonnisi a parocho præstant fieri; id est vel quia id exigit consuetudo immemorialis, vel lex synodalis, vel conventio, vel bonum pacis. »

Practice igitur poterunt vicarii privatim benedicere aquam, candelas, panem, locum, domum novam, statuam, quæ publico cultui exponi non debet. Poterunt etiam, si debita facultate sint instructi, privatim benedicere scapularia, coronas, cruces et imagines. Sed has benedictiones non sunt a vicariis publice faciendæ in ecclesiis, capellis vel oratoriis, nisi de consensu rectoris.

CCCC. De juribus viceparochorum temporalibus.

517. Jura viceparochi temporalia constituunt portio congrua et casualia.

Portio congrua, quæ olim ex fructibus beneficii parochialis arbitrio Episcopi desumenda erat, hodie in Gallia et Belgio assignatur tum ex pensione annua a gubernio solvi solita, tum ex subsidio vel fabricæ, vel communitatis seu municipii, vel utriusque. Cf. legem 24 Maii 1863, quæ partim refertur in app. III. art. 66.

Quoad jura, quæ dici solent *casualia,* eo quod ministris sacris non ratione beneficii vel statutorum reddituum, sed ratione ministerii personalis, et sic *casu,* tanquam operis stipendia debentur, aut a fidelibus offeruntur, vicarii regulariter loquendo nullum jus habent ad jura *stolæ,* seu casualia parochi, ne tunc quidem, quando vices parochi supplent; omnia enim illa emolumenta spectant ad eum, cui cura habitualis commissa est; sed ad ea tantum quæ muneri viceparochorum jure vel consuetudine annexa sunt.

Hinc 1° ad parochum privative pertinent emolumenta funerum et oblationes quæ intra parœciam fiunt, occasione v. gr. missæ cantatæ, introductionis mulierum post partum, proclamationum, primæ communionis puerorum, matrimoniorum, quinimo et baptismorum, nisi conventio, consuetudo vel libera dantis voluntas contrarium legitime statuant.

2° Ad viceparochos autem pertinent :

a/ Oblationes factæ, occasione ministerii alicujus personalis, quod non sit jus et officium parochiale, v. g. occasione præsentiæ in officiis defunctorum, prædicationis verbi divini.

b/ Casualia quæ muneri vicariali per consuetudinem, tariffum, vel expressam fundatoris aut donatoris volun-

tatem annexa sunt. Talia habentur stipendia missarum quæ solo intuitu missæ, non autem intuitu personæ vel officii largiuntur, et honoraria assistentiæ in missis et officiis solemnibus. Cf. Stat. diœc. p. 90.

D. De obligationibus viceparochorum.

Viceparochi habent obligationes tum erga parochum, tum erga collegas, tum erga parochianos, quæ oriuntur sive ex natura officii, sive ex jure positivo.

518. *Erga parochum.* Cum viceparochi deputentur ut parocho præstent adjumentum, « in iis quæ pastoralis officii sunt, parocho suo subsint et obediant, eique tanquam superiori ac parenti debitum honorem et obsequium præstent; imo et promptos se exhibeant, ut, alacri animo, parochi vices suppleant, quotiescumque ad hoc fuerint rationabiliter invitati. » Stat. diœc. p. 88.

Sit igitur vicepastoris erga pastorem cooperatio filialis, uniformis et concors, venerabunda, subdita et efficax in omnibus muneribus pastoralibus, de quibus supra n. 443 ss.

Erga collegas. « In parochiis autem ubi duo pluresve sunt vicarii, studeant se invicem ad propriam sanctificationem excitare, fraternam fovere concordiam, alter alterius onera portare, invicem honore ac obsequio prævenire, in omnibus in Domino ad bonum et ad salutem animarum idem sentire atque idem velle, functionesque vicepastorales inter se, consulto pastore, ad majorem fidelium utilitatem ex æquo et bono dividere. » Stat. diœc. *Ibidem.*

Erga parochianos. Quamvis non principaliter, attamen in subsidium tenentur curam pastoralem exercere erga parochianos, quotiescunque rationabiliter fuerint ad hoc sive a parocho, sive a fidelibus requisiti.

Obligatio illa oritur ex charitate erga animas, ex obedientia superioribus debita, quinimo aliquousque ex justitia propter contractum implicitum et congruam quæ ipsis conceditur.

519. Præter generalia illa, quædam peculiaria vicepastoribus injunguntur per statuta et decreta diœcesana. Hoc capite in diœcesi Brugensi debent :

a/ Missam et divina officia celebrare et parocho celebranti assistere prout fert consuetudo et ordo a parocho præscriptus.

b/ Ubique summo sacro assistere ad altare diebus dominicis et festivis. Stat. p. 146; Decr. II. Congr. dec. anni 1859 n. 2, et anni 1866 n. 12.

Nec possunt in vicina parochia sacrum ministerium exercere sine consensu parochi. Congr. dec. anni 1861, cap. 2.

c/ In parochiis ubi duo pluresve sunt vicarii, præter concionem missæ parochialis, singulis dominicis major per unum illorum sub alia missa instituenda est catechesis. In locis vero ubi unus tantum est vicarius, singulis diebus dominicis et de præcepto festivis habenda est concio et bis saltem in mense major instituenda catechesis. Stat. p. 112 s.

d/ Præter majorem, minor catechesis per unum aut plures vicarios institui debet singulis dominicis, quibusdam tantum exceptis, hora congrua a parocho determinanda. *Ibidem,* p. 126.

e/ Quemadmodum parochi, ita et viceparochi ad continuam et personalem residentiam adstringuntur. Quare, secluso tempore sacris exercitiis impendendo, illis non licet, sine licentia decani ultra quatuor dies, computatis diebus exitus et reditus, nec sine licentia Ordinarii ultra hebdomadam, nec sine licentia parochi per notabilem dici partem a parochia abesse. Et ne contingat paro-

chum et vicarium eodem tempore extra parochiæ limites versari, horum nullus parochia egredi potest, nisi altero præmonito. *Ibidem,* p. 72 s.; Decr. II Congr. dec. 1859 n. 12.

f/ Ubi mos viget, ut vicarius et coadjutor parocho cohabitent, aliam habitationem sibi eligere nequeunt sine licentia Episcopi. Stat. p. 89.

Vicepastores autem, quibus ecclesiæ fabricæ reducto pretio habitationem tribuunt, tenentur in discessu ad stationem aliam, ad regulas in Statutis diœcesanis p. 175 pro parochis præscriptas. Congr. dec. anni 1868, n. 9.

g/ Mens Ill^mi^ D^ni^ Episcopi est, ut, quomodo parochi, ita etiam omnes præpositi, directores, *vicepastores* et coadjutores, nullo tamen modo professores, alicui conferentiæ ecclesiasticæ sint adscripti. Congr. dec. anni 1871, n. 4.

Singula conferentia constare debet quatuor ad minus membris, non tamen pluribus quam sex vel octo, præterquam inter ejusdem civitatis confratres. Congr. dec. anni 1869, n. 14.

Decani præsides sunt omnium conferentiarum, quæ in ipsorum districtibus respectivis sedem sive fixam, sive non fixam habent. Congr. dec. anni 1865, n. 20.

Singula tamen conferentia eligit suum vicepræsidem. Congr. dec. anni 1867, n. 9.

Eligit quoque suum secretarium, cujus partes sunt: præcedentis conferentiæ acta prælegere, in registro nomina eorum, qui statuta hora adfuerunt, annotare, in eoque collationis singulæ acta summarie describere; item Decanum de proxime futura conferentia monere, et habitæ conferentiæ nuntium ad Episcopum mittere. Congr. dec. anni 1871, n. 5.

Conferentia locum habet singulo mense, et inchoatur hora X 1/2 per meditationem in communi *de morte* usque ad XI.

Postea fit collatio de materiis assignatis usque ad horam XII 1/2. Congr. dec. anni 1869, n. 14.

Materiæ sunt argumenta ex S. Scriptura, ex theologia, ex jure canonico, ex historia ecclesiastica et ex rubricis.

Initio prandii legitur caput ex epistolis S. Pauli ad Timotheum et Titum; refectionem claudit lectio unius capitis ex secundo libro de Imitatione Christi.

Præterea singulæ conferentiæ regulas sibi conficere debent circumstantiis accommodatas, ab Episcopo approbandas. Stat. diœc. p. 165.

Nota. Quæ dicta sunt de conferentiis vicariorum, ea omnia conferentiis parochorum applicanda sunt.

E. De cessatione muneris viceparochi.

520. Munus viceparochi cessat :

1° Per revocationem debite intimatam. Cf. supra n. 507.

Q. Ad quem spectet hujusmodi revocatio?

R. Ad illum qui vicarium deputavit; nam juxta reg. 1^m^ juris, *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Regulariter itaque ad parochum in locis, ubi viget jus commune; ad Episcopum vero, in nostra similibusque regionibus.

Dictum est *regulariter;* nam ob causam juridicam posset Episcopus quoque removere vicarios, quos parochus elegit.

Secus vero absque hujusmodi causa, ut communissime docetur; quia alias chimerica foret potestas parochi vicarios nominandi.

De causa requisita, necne, ut vicarius valide et licite revocetur, idem tenendum est quod supra n. 495, de revocatione succursalistarum.

2° Elapso tempore, si munus concessum fuit ad tempus determinatum. Munus autem, quod in nostra diœ-

cesi conceditur usque ad determinatum examen, vel concursum, absque ulla Episcopi nova concessione prorogatur pro omnibus illis, qui examini, vel concursui interfuerunt, usque ad concursum proxime sequentem, aut examen post hoc *in scriptis* habendum, nisi aliter dicatur. Cf. Coll. epist. past. T. I. p. 92.

3° In nostra diœcesi jurisdictio vicariorum, qui ad aliam stationem mittuntur, cessat cum die qua, juxta translationis litteras, in nova statione adesse debent. Si tamen ad curam pastoralem fuerint promoti, vel officium dimiserint, jurisdictionem conservant usque ad adventum sui successoris. Optat autem Ill^mus Episcopus, ut nullus confessarius, statim ac ejus mutatio publice nota est, confessiones amplius excipiat in loco unde discedit, nisi infirmorum forsan et nupturientium. Congr. dec. anni 1868, n. 2.

4° Utrum vero cesset vicarii munus morte concedentis, distinguendum est.

Facultates, quæ ad normam juris communis concessæ fuerunt a parocho, videntur cessare cum hujus morte; quia censentur dependere a persona concedentis secundum consuetudinem; et ideo mortuo parocho mox recurritur ad Episcopum. Dens, *de pœnit.* n. 104.

Eæ vero quas Episcopus concessit, non cessant neque morte parochi, neque morte Episcopi; voluntas enim Episcopi est, ut vim habeant *donec ipsi aliter statuere placuerit :* hæc autem clausula requirit expressam delegantis revocationem.

Nota. A vicariis temporalibus vix differunt præpositi capellarum, sive annexarum, quæ in territorio alicujus parochiæ pro commoditate incolarum erectæ sunt. Nonnulla tamen regulariter ipsis conceduntur munia parochialia.

§ 4. *De coadjutoribus parochorum.*

521. Benigna mater Ecclesia statuit, parochum propter infirmam valetudinem nullatenus posse a loco suo dimoveri. Dura et periculosa ipsi videtur in tali casu privatio; quia afflicto afflictio non est addenda, imo potius ipsius miseriæ miserendum; et quia, si alii ejus essent exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri. L. III. *Decr.* tit. 6, *de clerico ægrotante vel debilitato,* cap. 1 et 5.

Cum autem rector infirmus omnia sua munia per se ipsum explere nequeat, et tamen cultui publico et curæ animarum providendum sit, indiget ope alterius validioris : inde munus *coadjutoris.*

A. De notione, divisione et constitutione coadjutorum.

522. Coadjutor parochi stricte dictus est sacerdos, Ordinarii auctoritate deputatus, ad auxiliandum parocho infirmo, vel imperito, in exercitio curæ pastoralis.

523. Distinguuntur coadjutores in *temporaneos* et *perpetuos,* seu cum futura successione, qui aliis quam Episcopis dari non solent. Cf. supra n. 175.

524. Coadjutor dari potest ac solet ob varias causas, quæ omnes revocantur ad *perennem* infirmitatem *animi,* aut *corporis,* ob quam parochus se solo parochiam suam recte regere nequit. Tales causæ sunt : senium; morbus incurabilis; mutilatio; amissio loquelæ, visus, auditus; amentia; illitteratura et imperitia. Trid. *Sess.* XXI, cap. 6 *de ref.*

Dicitur *perennem* seu *perpetuam;* quia dum infirmitas parochi est temporanea et curabilis, locus non est deputationi coadjutoris proprie dicti, sed potius assumptioni vicarii temporanei, qui vices parochi suppleat tempore

morbi. Apud nos tamen hujusmodi vicarius etiam vocatur coadjutor, eique in omnibus assimilatur.

Ex positivis juris textibus, et pro casu imperitiæ ex ipso Tridentino, l. c. habetur, coadjutorem temporalem parocho deputandum esse ab Episcopo; illius enim est coadjutorem dare, cujus est instituere et destituere in beneficiis; dein Episcopi etiam est cognoscere et judicare de qualitatibus in coadjutore requisitis.

Quæritur autem utrum parocho invito Episcopus dare possit coadjutorem ob causas canonicas?

R. Canonistæ unanimiter affirmant. Si enim agatur de constituendo coadjutore propter parochi imperitiam, id fieri posse etiam eo renitente, patet ex ipsis Tridentini verbis : *quacumque appellatione remota;* qui enim appellat profecto non consentit; sin vero agatur de casu quo dandus sit coadjutor ob corporis animive permanentem infirmitatem, idem dicendum esse probant textus juris, qui absolute loquuntur, et nequaquam consensum parochi tanquam conditionem requirunt. Cf. cap. 3 *de cler. ægrot.* et cap. 4 *de off. ordin.*

Dein alias non attingeretur legis scopus, quæ constitutione coadjutoris præcavere intendit, ne ex infirmitate parochi detrimentum parochia patiatur; siquidem recusante parocho, huic malo Episcopus mederi non posset.

Quod si parochus prætendat non adesse sufficientem causam canonicam, appellare poterit in secundo casu ad effectum etiam suspensivum; in primo vero casu, ad devolutivum tantum; per formulam enim *quacumque appellatione remota* auferri appellationem in suspensivo, non autem in devolutivo, tenent communiter auctores.

B. De dotibus, officiis et juribus coadjutoris.

525. Cum itaque coadjutor deputetur ut parochum in obeundis muniis parochialibus suppleat, debet habere

omnes qualitates, quas ad officium parochiale implendum jus, vel consuetudo requirunt. Hoc per analogiam colligitur ex Trid. *Sess.* XXV, cap. 7 *de ref.*

526. Potestas, jura et obligationes coadjutoris pendent a causis ob quas constituitur, a litteris quibus conceditur, a praxi et statutis diœcesanis.

Si ob dementiam, vel quid simile parocho datus sit, omnia munia pastoralia exequi debet perinde ac si esset ipse parochus; est enim delegatus *ad universalitatem causarum.*

Si ob illitteraturam, vel imperitiam, Episcopi est officia coadjutoris juxta necessitatem determinare.

Si ob aliam causam, præsto erit ad adjuvandum coadjutum quotiescunque ad hoc fuerit requisitus. Breviter dicamus, tunc parochi esse coadjutori suo officia sua indicare, si Episcopus id facere omiserit. Hoc itaque casu quoad jurisdictionem et officia vix a vicepastore distinguitur.

De habitatione, residentia, conferentiis, annua pensione, recole dicta de viceparochis præsertim n. 519 s. Cf. Stat. diœc. p. 72 ss.

Jura coadjutoris nostræ diœceseos describuntur in Statutis p. 89. Cf. Bouix, p. 458.

C. De cessatione muneris coadjutoris.

527. Officium coadjutoris temporanei expirat per impedimenti cessationem, revocationem, mortem coadjuti, aliosque modos quibus hic beneficium amitteret; officium vero coadjutoris perpetui, *qua coadjutorale,* cessat etiam dum coadjutus amittit beneficium, sed statim incipit ejus officium, *qua parochiale;* illico enim acquirit jus et titulum beneficii parochialis.

§ 5. *De exemptis a jurisdictione parochiali, et eorum capellanis.*

528. Communitates, quæ intra ambitum parochiæ continentur, subduci possunt jurisdictioni parochiali.

« Nullum quidem dubium est, inquit cl. Icard, T. I. n. 260, in casu quo hac de re consecutæ sunt indultum apostolicum; vel in sui favorem allegant diuturnam consuetudinem debitis conditionibus vestitam.

« Sed nec dubitandum putamus de valore exemptionis, quam proprio jure concesserit Episcopus, justa id suadente causa. »

Huic doctrinæ non adversatur Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 13 *de ref.;* eam tenet praxis, et ratio suadet: natura quippe communitatum id postulat. « Parochus præfici non potest, pergit idem auctor, curæ spirituali seminariorum et communitatum regularium; quod vero ad xenodochia et carceres publicos attinet, plerumque non magis possunt, nec per se, nec per vicarium deputatum providere sufficienter eorum necessitatibus. Idem dicendum de nonnullis collegiis puerorum, et domibus religiosis, quæ puellis educandis destinantur.

« Verum in hac materia non derogari debet jurisdictioni parochorum citra casum necessitatis; et cavendum ne ex illa exemptione hujusmodi collegia detrimentum in spiritualibus patiantur. »

529. Jam vero a jurisdictione parochi ex toto vel ex parte eximuntur :

1° Regulares exempti a jurisdictione episcopali. Vide tract. *de regularibus.*

2° Communitates monialium, quæ adstringuntur ad clausuram, licet in præsenti statu subjaceant Episcopo.

3° Capitula, præsertim cathedralia. Cf. supra n. 472.

4° Plerumque seminaria, hospitia pauperum, xeno-

dochia, carceres, et quandoque domus, quæ pueris vel puellis educandis inserviunt.

5° Milites, qui habent capellanum vel eleemosynarium, seu, ut aiunt, curionem castrensem.

6° Nautæ et vectores.

7° Confraternitates, de quibus agitur Parte II.

530. Clerici, qui præpositi sunt personis vel locis exemptis, appellantur *capellani, rectores, gubernatores, eleemosynarii,* quinimo, sed improprie, *curati* vel *pastores.*

A. De superioribus communitatum.

531. Superiores communitatum religiosarum, rectores seminariorum, eleemosynarii carcerum, capellani hospitalium curam gerunt præfecturæ et jurisdictionem quasi-parochialem habent. Proin, ait Icard, l. c. n. 261, « cuncta ad bonum spirituale membrorum communitatis conducentia, juxta regulas instituti rite probati et modum exemptionis ab auctoritate competenti acceptæ, præstare valent independenter a parocho.

« Ut vero hæc jurisdictio limites non prætergrediatur, tria sunt principia in praxi maxime attendenda :

« 1m Regulares exempti a jurisdictione Episcopi, eodem jure sunt exempti a jurisdictione parochiali... Vide tract. *de regularibus.*

« 2m Natura et extensio facultatum superioris communitatis religiosæ, subditæ jurisdictioni Episcopi, facultates item capellanorum (seminariorum, carcerum, hospitiorum) determinantur tum ex indulto apostolico, vel ex statuto Ordinarii quo datum fuit exemptionis privilegium, tum etiam ex probatis consuetudinibus.

« Hinc possunt, procul dubio, missas celebrare, sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ-unctionis conferre; non vero item licitum ipsis erit baptismum

conferre, assistere matrimonio et funera celebrare, nisi id fuerit determinatum, vel ex officio sequatur, ut in quibusdam hospitalibus.

« 3m In dubio pronuntiandum erit in favorem juris parochialis. Ratio est quod privilegia superioribus communitatum concessa exorbitant a jure communi, et contraria sunt jurisdictioni parochi, quæ maxime favorabilis reputatur; porro omnes norunt... privilegia illa esse strictæ interpretationis. » Cf. præn. p. LXVIII.

B. De capellanis militum et navium.

532. « Canonistæ communiter tradunt, ait Icard, l. c. n. 262, milites qui non habent capellanum, seu, ut aiunt, curionem castrensem, annumerari vagis, ac consequenter parochum loci, ubi degunt, esse proprium illorum sacerdotem quoad sacramentorum administrationem et assistentiam matrimoniis.

« Si habeant capellanum, qui suam jurisdictionem acceperit ab Episcopo, et contigerit exercitum duci in aliam diœcesim, capellanus debet recurrere ad Ordinarium loci, quia delegationes non se extendunt ultra territorium concedentis.

« Tandem si capellanus obtinuerit suas facultates a S. Pontifice, ubique illas exercere poterit, juxta tenorem indulti. » Cf. Reiffenstuel L. IV *Decr.* tit. 3, n. 94 ss.

533. « Quoad capellanos, aliosve sacerdotes, qui per mare iter agunt in navigiis onerariis seu commercii maritimi, usus habet ut jurisdictionem accipiant ab Episcopo diœcesis unde naves progrediuntur, et eam in nautas aliosque viatores exerceant, usquedum appulerint in loca ubi superior cum jurisdictione constitutus degit. Utrum id jure fundatum sit, quave ratione navis reputetur velut pars quædam protensa territorii diœce-

sis, cujus littora relinquit, ignoramus : tutius esset recurrere ad S. Sedem. »

C. De capellanis confraternitatum.

534. Ex Decreto Urbis et Orbis diei 10 Dec. 1703, quod refertur in appendice IV, generatim statui potest, ait Icard, l. c. n. 263, « confraternitates erectas in ecclesia parochiali, seu in oratoriis, quæ parochiæ adjiciuntur, pendere a parocho quoad omnes functiones ecclesiasticas, absque ulla distinctione : possunt ceteroquin habere suas congregationes quando voluerint, modo non impediant functiones et jura parochialia ; et administrant sua bona independentur a parocho.

« Confraternitates aliæ, quæ erectæ supponuntur in ecclesiis publicis et liberis, non pendent a parocho, nec in iis quæ referuntur ad functiones mere ecclesiasticas, nec in iis quæ ad suas congregationes suorumque bonorum administrationem. Possunt utique harum sodalitatum capellani missas celebrare, onera fundationum explere, dare benedictiones SS. Sacramenti, benedicere cineres, ova, candelas, aliaque peragere quæ... non reputantur inter jura parochialia, nec inter functiones proprias parochorum. Cf. supra n. 480 ss.

« Quod si, consentiente Episcopo seu parocho, habeant processiones publicas, capellani non debent stolam deferre extra propriam ecclesiam. » Romæ tamen hoc ipsis permittitur, ut notat Benedictus XIV, *Instit.* 105, n. 127.

§ 6. *De confessariis, matricularis, habituatis.*

535. Reliqui sacerdotes in servitium ecclesiarum deputati diligenter satisfacere debent oneri, quod conjun-

ctum est beneficio quo fruuntur, vel officio quod exercent.

Alii funguntur munere *confessarii,* de quo fuse agunt theologi in tract. *de pœnitentia.* Vide Theol. Mechl. præsertim n. 65 ss.

Aliis commissa sunt aliqua determinata munia absque jurisdictione in foro interno, iique apud nos nomine *matricul*ariorum *spiritualium* veniunt.

Alii, excepta missæ celebratione et officii recitatione, nullo alio munere funguntur, et hic vocantur *habituati.*

Alii tandem nullum habent onus, præter quotidianam officii recitationem. Hi sæpe sunt beneficiarii ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ. « Beneficiariis seu mansionariis ecclesiæ cathedralis, ait Benedictus XIV, *de Syn.* L. III, cap. X, 5, sedilia aptantur (in synodo diœcesana) statim post canonicos, non quia digniores sunt canonicis ecclesiarum collegiatarum, sed ne sejungantur a capitulo ecclesiæ cathedralis, cujus sunt addicti servitio. »

CAPUT V.

DE CLERICIS GENERATIM.

Cum in præcedentibus capitibus dictum fuerit de notione et nomine clericorum, necnon de officiis et juribus clericorum peculiaribus et propriis, ratione muneris, vel dignitatis qua donantur; cumque de regulis servandis in promotione ad statum clericalem agendum sit in Partis 2ª sectione priori, ubi *de sacris ordinationibus;* satis erit hic duplicem de clericis generatim instituere quæstionem; nempe 1ᵐ quibus obligationibus communibus clerici, vi status, teneantur; 2ᵐ quæ sint illorum jura et privilegia.

Articulus I.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM COMMUNIBUS.

536. « Ut Deus in lege veteri Levitas in suum ministerium assumpsit, sic in nova in suos ministros sibi segregavit clericos, qui quanto magis fuerunt elati in honore, tanto fidelius debent leges sibi constitutas observare, *ne sit honor sublimis et vita deformis,* ut S. Ambrosius aiebat. » Ferrari T. I. n. 66.

Multa generatim de obligationibus clericorum scribit S. Paulus, I Tim. III et IV; II Tim. IV; Tit. I et II; II Cor. VI; necnon S. Petrus, I ep. V.

De iisdem postea latæ fuerunt peculiares leges, quæ potissime continentur sequentibus *Decretalium* titulis : L. III. tit. 1, *de vita et honestate clericorum;* tit. 2, *de cohabitatione clericorum et mulierum;* tit. 50, *ne clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant;* L. V. tit. 24, *de clerico venatore;* tit. 25, *de clerico percussore.*

Concilium autem Tridentinum passim, et præsertim *Sess.* XIV, cap. 6, *Sess.* XXIV et XXV, cap. 1, *de ref.,* varia sancivit, ut clerici vitam agant sua vocatione dignam. Et merito quidem; etenim « *nihil est,* ait *Sess.* XXII, cap. 1 *de ref., quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt... Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima sunt, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* »

In hunc finem renovat sancta Synodus et sub iisdem pœnis confirmat ea omnia, quæ clericis præcepta, vel prohibita fuerunt a RR. Pontificibus et a SS. Conciliis.

§ 1. *De iis quæ clericis communiter præcepta sunt.*

Præcepta ista referuntur ad vitam ac mores, ad doctrinam, ad obedientiam Episcopo debitam, ad externum corporis cultum, et ad ecclesiasticum ministerium.

537. Morum integritas in clericis tanta requiritur, ut eorum vita sit exemplum virtutis et speculum sanctitatis. Ad eam pertinet :

1° *Frugalitas.* Varia disciplinæ ecclesiasticæ capita, et præsertim loca citata e Tridentino clericis interdicunt compotationes et lauta convivia, tam in propria, quam aliena domo.

Statuta Brugensia, p. 23, peculiariter improbant cœnam apud laicos sumere; prohibent vero conviviis puerperarum, vel conviviis nuptialibus, quantumvis honestissimis, ipso nuptiarum die, sub quocumque prætextu interesse. Quod potiori jure intelligendum est de iis conviviis, in quibus chorcæ et tripudia ducuntur, quovis tempore et loco hæc tandem instituantur. Cf. *ibidem* p. 16, 20-24 et 165; Congr. dec. anni 1865, n. XIX et anni 1866, n. V.

2° *Castitas.* In hac materia abstineant clerici non tantum a malo, sed ab omni specie mali. Cf. Trid. ll. cc.; Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. IV, 4 ad 7; *Instit eccl.* 82 et 83; Stat. diœc. p. 17-20 et 24; *Decr.* Congr. dec. 14 Maii 1861, I et X.

a/ Huc præsertim spectat L. III. *Decr.* titulus 2 *de cohabitatione clericorum et mulierum.* Regulæ est inhærendum Concilii Nicæni I, can. 3, quæ sic sonat : Non licet clerico « introductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt. »

Postea consuetudine obtinuit, ut mulieres in primo, vel secundo gradu affines eodem loco habeantur ac con-

sanguineæ. Quinimo licitum clericis jam est retinere ancillas, modo sint provectioris ætatis, et præsertim integris moribus probatæ; quod judicium ad Episcopum spectat.

Ceterum, ubi mali suspicio est, et Ordinarius mulierem dimittendam judicat, obediendum est. Hanc obedientiam Ill. Episcopus noster inhibet *sub pœna suspensionis*. Stat. diœc. p. 19.

b/ Huc etiam pertinet lex sacri cœlibatus, qua in Ecclesia Latina tenentur omnes constituti in sacro aliquo ordine, ita quidem ut ordo sacer sit impedimentum dirimens matrimonium (Trid. *Sess.* XXIV, can. 9), et clericus hoc attentans incidat in pœnas statutas pro apostasia ab ordine. Cf. Perrone. *de Ordine,* cap. V.

3° *Humilitas, modestia, charitas.* Fugiant clerici superbiam, ambitionem, prodigalitatem et maxime avaritiam. Cf. Stat. Brug. p. 28 ss., et p. 20, ubi modestiæ et prudentiæ causa stricte prohibent, ne clerici, tam sæculares, quam regulares, maris littora adeant, balnea sumendi causa, nisi de expressa Episcopi licentia, nonnisi ex præscripto medici concedenda.

538. « Doctrina et scientia requiritur in clericis, qui si ignorent, ignorabuntur, et si sint stulti in culpa, erunt sapientes in pœna. Non tamen eminens scientia in iisdem absolute requiritur; sed scientia sufficiens ad populum docendum et ad sacramenta administranda...

« Quamvis hæc clericorum scientia omnia complecti debeat bona studia... tamen necessaria est ipsis potissimum scientia sacrarum Scripturarum, quia juxta S. Hieronymum *ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est;* scientia sacræ theologiæ, præcipue moralis, et scientia juris canonici, quia *nulli sacerdotum licet canones ignorare,* uti legitur can. 4, dist. 38. » Ferrari T. I. n. 76.

539. « *Obedientia* Episcopo a clericis debita indicatur ab Apostolo Paulo, ad Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis*

vestris et subjacete eis ; sancitur a Clemente Papa, qui clericos Episcopo inobedientes efficit infames, et extorres a regno Dei, et specialiter promittitur ab unoquoque sacerdote in propria ordinatione... Quare clerici Episcopo juste imperanti obedire omnino tenentur...

« Hinc absque Episcopi licentia nequeunt deserere ecclesiæ servitium cui fuerunt addicti ; nequeunt discedere a diœcesi, nequidem ratione sanctæ peregrinationis ; et quod notabilius est, in vim prædictæ obedientiæ debent clerici Episcopos adjuvare, eorum curas lenire precibus, concordia, charitate ; quibus nisi opitulentur quibuscumque possunt modis, et vitæ sors ipsis peribit, et tota in scopulos impinget sapientia, ut aiebat S. Joannes Chrysostomus, *de S. Philog.* Sed debent maxime ab eorum offensione abstinere ; nam si clericus sit Episcopo infestus, eumve accuset vel insectetur, infamis fit, et a clero submotus in monasterium detrudendus est ad agendam pœnitentiam omnibus suæ vitæ diebus. » *Ibidem,* n. 78.

540. Ad externum corporis cultum refertur obligatio deferendi *habitum clericalem* et *tonsuram.*

1° Quamvis lex *vestis clericalis* deferendæ antiquissima sit, primis tamen Ecclesiæ sæculis minime exstitit. Ast jam a quarto, vel quinto sæculo Ecclesia sollicita fuit, ut vestes clericorum modestia saltem a laicis distinguerentur, quod constat ex Concilio Carthaginiensi IV an. 398, can. 45 : *Ut clerici professionem suam in habitu et incessu probent, nec vestibus et calceamentis decorem quærant.*

Q. Qualis debeat esse clericorum habitus ?

R. Habitus clericalis in genere loquendo debet esse conformis consuetudini cujusque regionis, et talis ex quo quis visus in populo prima statim facie clericus judicetur, non laicus. In specie autem, præsertim pro sacris functionibus, SS. Pontifices insistere consueverunt,

ut vestis sit talaris coloris nigri, quibusdam exceptis Prælatis. Vestem talarem, seu subtaneam injunxerat Sixtus V, 1589, const. *Cum sacrosancta;* sed Concilium Trid. *Sess.* XIV, cap. 6, et XXIII, cap. 16 et 18, nihil circa formam habitus determinavit; eam reliquit prudenti arbitrio Episcopi.

Ill. Malou pro diœcesi Brugensi præscripsit pileum triangularem, caligas nigras, collare ecclesiasticum, vulgo *rabat* (ab anno 1870 permittitur collare tæniola alba circumductum, et vulgo dictum *romanum*), cingulum, togam talarem pro civitatibus; ruri vero, vel in itinere, si verum commodum hoc postulat, permittit vestes oblongiores nigri coloris, vulgari et simplici modo confectas. Hæ sensim sine sensu evanescunt, seu potius evanuerunt. Cf. Stat. diœc. p. 4 et 48.

2° Eadem fere ratione inducta fuit lex *tonsuræ*. Tonsura triplex in ecclesiasticis monumentis occurrit, nempe tonsura *pœnitentium, monachorum* et *clericorum sæcularium*. Publice pœnitentibus, in signum humilitatis et luctus, totum ad cutem tondebatur caput. Inde monachi in signum abjectæ vanitatis mundi, pœnitentium morem susceperunt. Clerici vero sæculares per priora sæcula nulla peculiari tonsura a laicis distinguebantur; ipsis solummodo præscripta erat modestia in capillitio, ac vetitum nutrire comam. Sæculo autem sexto, ut multorum opinio est, æmulati humilitatem monachorum, comæ ornamentum deponere cœperunt, et coronam in capite gerere ad spineam coronam Salvatoris nostri præcipue significandam.

Tonsura autem debet esse conspicua, atque ordini et dignitati cujusque clerici congrua.

Ex sententia communi doctorum obligatio deferendi vestem clericalem et tonsuram urget sub gravi, hoc sc. sensu, quod peccet graviter qui, nulla seria ratione excusante, per tempus notabile legem transgreditur.

541. Q. Quinam, et sub quibus pœnis ad habitum clericalem et tonsuram teneantur?

R. ad 1m. Clerici in sacris constituti et beneficiati. Minoritæ non gaudentes beneficio, non quidem obligantur ad habitum clericalem deferendum; si tamen non detulerint, privilegio fori ipso facto excidunt (Trid. *Sess.* XXIII, cap. 6); non autem privilegio canonis, nec capitis *Odoardus*. Illud recuperant reassumpto habitu.

R. ad 2m. Clericus in sacris, vel beneficiatus, per hujus legis violationem non amittit privilegia clericorum; ast si post monitionem, etiam generali modo ab Ordinario factam, habitum non deferat, suspendi debet ab ordinibus, officio et beneficio, eorumque fructibus. Si semel correptus denuo delinquit, coercendus est etiam per privationem officii et beneficii. Trid. *Sess.* XIV, cap. 6 *de ref.*

Dantur tamen causæ, ob quas vel in toto vel in parte ab habitu et tonsura deferenda clericus potest excusari. Hujusmodi justa causa foret magna difficultas, infirmitas, longum iter, et damni vel mortis periculum.

542. « Ecclesiasticum denique ministerium a clericis adimplendum nedum debet consistere in contemplatione et oratione pro se et pro populo; sed in aliis pluribus divinis officiis.

« Hinc clerici in minoribus tantum officiis constituti, nullumque habentes beneficium, pro ministerii sui ratione tenentur ecclesiæ deservire, cui fuerunt ab Episcopo adscripti, in eaque doctrinam christianam docere, ita ut dici possit, eos in via esse ad majores ordines suscipiendos; aliter si ecclesiæ non deserviant a fori privilegio cadunt.

« Clerici vero sacris ordinibus aucti juxta Christi Domini exemplum tenentur omnia facere et docere, quæ ad animæ salutem æternamque felicitatem sunt ab Ecclesia præscripta, de quibus supra in propriis locis agitur. » Ferrari, T. I. n. 83.

§ 2. *De iis quæ clericis communiter prohibentur.*

Propter honorem et decentiam status clericalis sequentia sunt strictissime clericis prohibita :

543. *Quilibet luxus.* Maxima et nobilis relucere debet simplicitas et mundities in omnibus quæ ad clericos pertinent, et ab omnibus exulare vanitas. Quapropter iis prohibetur :

a/ Jactantia et ornatura in fulgidis et claris vestibus. Conc. Nic. II.

b/ Prodigalitas in mensa, vel supellectili. Stat. diœc. p. 29; Congr. dec. anni 1865, n. XIX.

c/ Comæ, vel barbæ nutritio et relaxatio, quæ morem vanum et fœmineum præ se fert. « Comam vero et barbam ne studiose nutriant, ait Synodus prov. Mediolanensis; capillis simplicem cultum adhibeant. » Cf. Rev. des sciences eccl. an. 1871 p. 402.

Quæritur utrum possint clerici absque licentia comam fictitiam (gallice *perruque*), vel circulos gestare?

Inprimis certum est, comam suppositiam a sacerdote infra missam non posse gestari absque licentia Sedis apostolicæ; idque sub pœna suspensionis a divinis officiis. Prohibitionis ratio est, quod illicitum sit tecto capite missam celebrare. Cf. S. Alph. L. VI. n. 398.

Extra missam, si coma sit modesta et ex rationabili causa gestetur, atque tonsuram non tegat, alii nullam, alii cum Maschat arbitrantur licentiam Ordinarii necessariam esse. In nostra diœcesi praxis habet, ut prævie petatur Episcopi licentia.

Usus *circulorum*, seu fasciolarum, quæ loco capillorum deficientium nativis capillis adnectuntur, per se ne quidem sacerdoti celebranti prohibetur, sed prohiberi potest. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. IX, 5; *Instit. eccl.* 96, 34, n. 14; *de sacr. missæ*, T. I. cap. IX, 3 s.

d/ Gestatio *annuli,* exceptis iis quibus competit ratione dignitatis aut doctoratus. Iis ipsis S. Congregatio annulum in digitis gerere vetat, dum missam conficiunt; quod tamen semper permittitur Episcopis; Prælatis inferioribus vero, dum pontificaliter celebrant. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 34, n. 15.

e/ De usu fibularum in calceis, vide Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. IV, 2.

f/ De luctu externo in morte propinquorum, *ibid.* n. 3.

g/ De tabaci fumo, aut pulvere naribus attracto, *ibid.* cap. XIII, 3. Hac de re existit speciale decretum Congr. decanorum diœc. Brug. 6 Maii 1856, ubi tit. I ad IV legitur : « Usum tabaci fumici sacerdotibus diœcesis nostræ prorsus interdicimus in locis publicis quibuscumque, exempli gratia : in plateis, in viis, in rhedis, in stationibus, aut vehiculis viæ ferreæ, in conventibus laicorum, aut sacerdotum, etc. »

544. *Ministerium sæculare. a*/ Clericis non licet famulatui laicorum sese addicere, vel alicujus familiæ administrationem suscipere, pro aliis fide jubere, munera judicis, gubernatoris, advocati, etc. in negotiis sæcularibus obire, nisi causæ piæ agantur.

b/ Clerici suscipere generatim nequeunt officium tutoris et curatoris; permittente tamen Episcopo, clericus potest tutelam suscipere consanguineorum usque ad 4^{m} gradum, et personarum miserabilium. Vide Stat. diœc. Brug. p. 27.

c/ Ipsis prohibitum est exercitium artis medicæ, vel chirurgicæ, maxime quæ fit cum incisione vel adustione; adeo ut clerici, si sint in sacris, vel beneficiati, et eam tali modo exercuerint ut mors, aut mutilatio sequatur, fiant irregulares. Non loquimur hic de medicina improprie dicta, seu paterna et domestica, quæ, positis ponendis, ex jure canonico, et etiam ex nostro jure civili licet;

Attamen attendantur Statuta diœc. p. 26 : Clericis « prorsus prohibemus, aiunt, exercitium artis chirurgicæ, aut medicæ, tum erga viros, tum maxime, et quidem sub gravi peccato, erga fœminas. »

Placet hic quædam notare circa dispositiones legis civilis :

aa/ Tout individu qui, sans avoir reçu de diplôme, exerce la médecine ou la chirurgie, sera poursuivi et condamné à une amende pécuniaire par les tribunaux correctionnels. Pour constituer le délit d'exercice illégal de chirurgie, il n'est pas nécessaire qu'il y ait exercice habituel : une seule opération chirurgicale suffit.

bb/ Tout débit au poids médicinal de drogues, de préparations médicamenteuses est sévèrement interdit à ceux qui ne sont pas reçus pharmaciens. Poids médicinal, *id est,* aux poids et doses, auxquels les remèdes doivent être employés par les malades.

cc/ Les ecclésiastiques, comme toutes autres personnes, peuvent aider de leurs conseils les malades qu'ils visitent, toutes les fois qu'il ne s'agira d'aucun accident qui puisse intéresser la santé publique, et pourvu qu'ils ne se permettent ni de signer des recettes, ni de rédiger des consultations, et que leurs visites soient absolument gratuites. Cf. Journ. fr. des fabr. T. VIII; Revue cath. 1850-51, p. 450 ss.; Mém. belge T. X. p. 79.

d/ A fortiori clericis interdictum est exercitium artis vilis et sordidæ, ut cauponis et lanii, vel etiam minus honestæ, veluti in scena ludere, mimos vel comicos agere, et id genus alia quæ clericos omnino dedecent.

545. *Cooperatio ad judicium sanguinis,* sc. ad sententiam qua mors, vel mutilatio alicui infligitur. Hujusmodi cooperatio adversatur spiritui lenitatis et mansuetudinis, qui statui clericali proprius est.

Eadem de ratione stricte vetat clericis Episcopus Bru-

gensis ne, « dum rei alterutrius sexus, vel ad palum publice exponuntur, vel pœnis gravioribus afficiuntur, vel morte plectuntur, misero huic spectaculo adsint. » Stat. diœc. p. 26.

546. *Gestatio armorum,* excepta causa justa defensionis propriæ, vel aliorum, et itineris. Ben. XIV, *de Syn.* L. X. cap. II, 3.

547. *Venatio.* Duplex distinguitur venatio : altera clamorosa, quæ fit cum magno tumultu et strepitu armorum et canum, ad occidendas majores feras; altera quieta, quæ nempe laqueis retibusque, aut etiam balista ignea, et sine strepitu ad capiendas volucres minoresque belluas non feroces instituta est. Quanquam magis consentanea sacris canonibus opinio sit, utrumque genus venationis clericis interdici, multorum tamen sententia est, ob diuturnam consuetudinem, clamorosam tantum venationem eisdem prohiberi.

In diœcesi nostra prohibitum est quodcumque venationis exercitium. Stat. Brug. p. 26.

Pœna a jure communi lata contra transgressores clericos in sacris constitutos, vel beneficiatos, est suspensio ferendæ sententiæ, ad quam incurrendam requiritur frequentia actuum.

548. *Ludus alearum seu taxillorum,* et generatim ii omnes qui a fortuna maxime pendent, loco et tempori non conveniunt, vel lucri causa aguntur. Trid. *Sess.* XXII, cap. 1 *de ref.*

De aliis lusis, recreationis vel exercitii causa, qui in se honesti sunt, et ad eutrapeliam pertinent, judicabit Episcopus. Cf. Dens, *de contr.* n. 69; et præsertim Stat. Brug. p. 25, ubi inter alia prohibent, ne clericis in locis publicis pila palmaria aut globis ludant, vel ad psittacum aut scopum jaculentur, sub quocumque prætextu.

549. *Popinarum, seu tabernarum ingressus.* Hæc pro-

hibitio fertur multis in locis; inter alia L. III. *Decr.* tit. 1, cap. 15, his verbis : « Et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. »

Q. I. Quid intelligatur nomine *tabernarum?*

R. Sunt illæ domus, ubi potus aliquis venalis præstatur, quæque vulgo audiunt *cabaret, estaminet, café,* vel etiam pro non viatoribus *débarcadères.*

Sub eodem nomine comprehenduntur atria, horti, aliave loca ad tabernas spectantia eisve adjacentia : non autem diversoria, *auberges, hôtels,* quæ fere unice ad refectionem vel hospitium destinata sunt.

Q. II. Quis prohibeatur accessus tabernarum et sub qua pœna?

R. ad 1^m. Omnis accessus ad potandum, edendum vel ludendum. Ubique excipitur causa itineris, vel necessitatis, de qua morali appretiatione judicandum est. Declarant præterea Stat. Brug. p. 21 in nostra diœcesi « sub prohibitione non comprehendi illos, qui occasione exequiarum, installationis pastoris, adventus primi magistratus, aut etiam visitationis propinqui tabernarii, in taberna ad refectionem vel hospitium *gratis* admittuntur. »

R. ad 2^m. Post Tridentinum pœna relicta est arbitrio Ordinarii. In diœcesi Brugensi nulla imponitur; simpliciter habent Statuta : « volumus hoc præceptum sub gravi (in veteri editione addebatur *peccato*) obligare. »

550. *Choreæ, comœdiæ et spectacula.* « Enimvero sive antiquas, sive recentiores post Tridentinum coactas Synodos percurramus, omnes vehementer clericis succensuisse comperimus ab hisce fœdis oblectamentis sese non continentibus, » inquit Ben. XIV, *de Syn.* L. XI. cap. X, 11. Cf. Stat. diœc. p. 24.

551. *Negotiatio.* Omnibus clericis in sacris et in minoribus ordinibus constitutis, prohibita est, nisi urgeat necessitas, negotiatio causa lucri, sive per se, sive per

interpositam personam. Id apertissime constat ex innumeris textibus juris canonici, quorum aliqui graves decernunt pœnas, imo excommunicationem ferendæ sententiæ, contra hujus legis transgressores. Ratio est, quod clerici per negotiationem, cum status sui dedecore, implicentur sæcularibus curis, avocentur a rebus divinis, exponantur periculo adhibendi fraudes, avaritiæ suspicionem incurrant, etc. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus,* ait S. Paulus, II Tim. II, 4.

Negotiatio prohibita est sub gravi, ut patet ex gravitate pœnarum contra negotiatores clericos statutarum. Excusatur autem a peccato, saltem gravi, qui semel aut iterum quemdam negotiationis actum exercet absque dedecore et scandalo; quia negotiator non dicitur, nisi a frequentatis actibus.

Dicitur *a| Nisi urgeat necessitas.* An ergo possunt clerici in necessitate honesta aliqua negotiatione consulere suæ suorumve parentum sustentationi?

Distinguere oportet inter necessitatem præsentem et futuram; id est, videndum utrum clerici ex nunc inopia premantur, an potius providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, etc. lucrum aliquod ex negotiatione comparare velint, ut opportuna hac cautione futuram egestatem devitent.

Si prius, poterunt commercium exercere ad sustentationem propriam, in quantum necesse est ut honestum parcimonium constituant. Si posterius, requiritur indultum pontificium. Instr. Pii VI dici 18 Martii 1784.

Dicitur *b| Causa lucri;* nam si clericus ad fidelium utilitatem objecta quædam minoris momenti, puta cruces, coronas, libros emerit, ut eodem pretio revendat, non argui debet commercii vetiti. Attamen multo magis expedit ut hæc viro laico committantur.

Toleranda vero nullatenus est agendi ratio clerici, qui

verum negotium exerceat sub prætextu lucra inde reportata impendendi in pauperum sublevamen, vel alias pias causas. Ratio est quod ille clericus vere negotietur, et a suo commercio directe percipiat lucrum, de quo pro arbitrio disponere valet.

Dicitur *c/ Per se, vel per interpositam personam.* Nam Benedictus XIV, const. *Apostolicæ servitutis,* 25 Febr. 1741, declaravit et edixit, nullam negotiationem, alias clericis prohibitam, posse ab iisdem, sub alieni nominis velamine exerceri; eique etiam per alios operam dantes, obnoxios fecit pœnis, statutis contra clericos negotiatores. « Et recte quidem, ait *de Syn.* L. X. cap. VI, 4; quoniam juxta regulam 72 juris *in 6 : Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Nec verum est, addit, clericos, per interpositam personam cambiis alteriusve generis negotiationi vacantes, a curis liberari quibus negotiatores implicantur; scimus quippe, experientia edocente, eos continuo anxios et sollicitos esse de lucro, quod ex data alteri pecunia sint reportaturi, plenosque timoris, ne a socio decipiantur. »

Non licet proinde clericis negotiari per alium, etiamsi laicus interpositus suo proprio nomine operetur, si reipsa sit simplex mandatarius clerici; hæc enim esset negotiatio palliata.

Nec etiam licet clericis societatem commercialem cum laicis inire, si debent se immiscere in rerum gestionem.

Qui vero aliquod negotium clericis illicitum, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter obtinent, quam primum moraliter possunt, illud dimittere tenentur, et interea laico administrandum committere, impetrata licentia S. Congregationis Concilii, si intra Italiam morentur, Ordinarii vero loci, si extra illam. Cf. Ben. XIV, const. *Apostolicæ servitutis,* § 2. (Bull. vol. I. p. 64.)

552. Q. I. Quid sit negotiatio?

R. Negotiatio generatim dicitur omnis commutatio mercis, operis, pecuniæ, seu alterius cujuslibet rei pretio æstimabilis, causa lucri.

Ex variis modis quibus fit negotiatio, tres præcipuos indicare sufficiat, ad quos alii facile reducuntur. Nimirum: vel merces emuntur ut deinceps vendantur carius, sub eadem forma, quod gallice vocatur *trafic, vente en gros ou en détail;* vel emuntur ut, mutata forma in aliam per fabricationem, vendantur cum lucro; vel demum fit cambium, aut alia operatio cum pecuniis ad lucrandum.

553. Q. II. Quid de singulis hisce negotiationibus relative ad clericos dicendum est?

R. *a*/ Negotiatio primæ speciei, quæ est negotiatio proprie dicta, ipsis severe prohibetur. Ita omnes, et ratio in promptu est.

Licitum tamen est ecclesiasticis, e rebus ad propriam et familiæ sustentationem emptis, ea quæ supersunt etiam carius quam emerint vendere, modo justi pretii non prætergrediantur limites. Ben. XIV, l. c. cap. VI, 2.

b/ Negotiatio secundæ speciei, seu negotiatio minus proprie talis, est aliquando illicita, aliquando licita, pro ratione modi quo exercetur.

Interdicitur negotiatio, qua res emptæ, aut ex alieno fundo comparatæ immutantur labore mercenarii conductitii, ut in alia forma vendantur lucri causa. Prohibitum igitur est clericis, ne lucri studio aliena prædia conducant, et quasi villicos se constituant; vel ne uvas emant, ut vinum ex eis per famulos ad id conductos exprimant et postea vendant. Talis operatio in communi hominum existimatione veram constituit negotiationem.

Verum quædam sunt species negotiationis improprie talis clericis minime interdictæ. Istarum præcipua est, qua quis manuum suarum labore, vel honesto artificio

victum sibi suisque comparare studet. Hanc approbavit S. Paulus, Act. xx, 34, de seipso dicens : *Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Cf. II Thess. III.

Possunt igitur clerici ex marmore, ligno, vel lana, statuam aut tabulam arte sua conficere; commoditatis causa hortulum locare et fructus inde provenientes vendere. Hæc non reputatur negotiatio in sensu canonum.

Verum illicitum censetur citra dispensationem artem exercere librariam vel aromaticam, ut exteris vendantur medicamenta, liquores aliave id genus. Hoc prohibuere sæpe SS. Pontifices regularibus in Urbe, et S. Congregatio prohibitionem ad alios omnes, ubivis locorum morentur, extendit.

Altera impropriæ negotiationis species, clericis permissæ, est vendere res ex propriis prædiis collectas, suæque sustentationi superfluas.

c/ Negotiatio quæ fit per cambium activum est clericis prohibita; « Declaramus, ait Clemens XIII, const. *Cum primum*, ac definimus cambium activum, natura sua esse actum veræ negotiationis; ideoque omnibus ecclesiasticis vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere. » Cf. Ben. XIV, *de Syn.* L. X. cap. VI, 3.

Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia.

Cambium verum triplex distingui potest : nempe *manuale*, quo permutatur, causa lucri, pecunia cum alia pecunia præsente, aurum v. g. cum argento, moneta unius regionis cum moneta alterius; *locale*, quo pecunia præsens permutatur cum pecunia in alio loco percipienda, aut vicissim; *temporale*, seu potius *temporaneum* (à terme), quo permutatur pecunia præsens cum pecunia post certum tempus solvenda, licet non semper in alio loco.

Qui cambium manuale exercent proprie dicuntur *cam-*

biatores seu *campsores*, gallice *changeurs;* qui locale, etiam dicuntur *campsores*, sed magis proprie vocantur *bancarii*, gallice *banquiers*. Cambium autem temporale varia sortitur nomina pro variis civitatibus, in quibus est in usu; sic dicitur cambium Lugdunense, Francofordiense, etc. Cf. Carrière, *de contr.* n. 1081 ss.; Ben. XIV, l. c. cap. V, 7.

Lex omne cambium attingit.

Prohibitum quoque est emere in foro argentario titulos (vulgo *actions, obligations*), cum intentione eos ibidem carius dividendi, quod gallice dicitur *jouer à la bourse.*

Nec magis licet clericis mutuam recipere pecuniam cum obligatione quotannis fructum fixum (*intérêt*) solvendi, eamdemque collocare apud mercatorem, vel campsorem, vel cum ea emere actiones aut obligationes, ut ex illa pecuniæ negotiatione majores quotannis fructus percipere valeant.

Ast possunt clerici, non secus ac laici, acquirere census, credita, obligationes cum fructu fixo, modo in hunc finem non emant, ut majori pretio divendant, ut fit in commercio chirographorum et in negotiatione censuum.

Utrum vero clericis liceat cum propria pecunia emere et retinere actiones et obligationes societatum commercialium et industrialium, doctioribus decidendum relinquimus. Interim consulantur Anal. jur. pont. IV, 7ª ser. col. 473 ss.; Rev. Théol 1858, 5ª ser.; Bouix, *Rev. des scienc. eccl.* T. II. an. 1860; Icard, T. II. n. 552 ss.

Nota. Ea omnia, quæ decentiæ causa clericis interdicuntur, a fortiori religiosis utriusque sexus prohibita sunt.

Articulus II.

DE JURIBUS, PRIVILEGIIS ET IMMUNITATE CLERICORUM.

§ 1. *De juribus clericorum communibus.*

554. Clerici, quemadmodum multo graviora quam laici habent onera, ita etiam ampliora habent jura.

Jura clericorum ad tria capita revocari possunt.

1° Jus habent ad obedientiam et reverentiam, secundum dignitatis gradum, quem in hierarchia ecclesiastica tenent. Hoc jus involvit prærogativam occupandi in ecclesia locum nobiliorem et præcedendi collegiis laicorum, maxime in publicis precibus.

2° Ipsi soli capaces sunt actuum ordinis et jurisdictionis, solique ecclesiasticas dignitates et beneficia, ex iisque pensiones obtinere valent.

3° Jus habent ad honestam sustentationem.

§ 2. *De privilegiis clericorum communibus.*

555. Jure Decretalium varia clericis competunt privilegia : nempe :

1° Privilegium *canonis,* ita dictum a canone XV Concilii Lateranensis II, quo excommunicatio latæ sententiæ S. Pontifici reservata infligitur in eum, qui maligno animo clericum graviter percusserit. Cf. const. *Apostolicæ Sedis.* P. I. 2.

Ratio hujus canonis est, quod clerici sint personæ Deo dicatæ, de quibus ipse Deus Ps. 104 mandavit : *Nolite tangere Christos meos,* et Zach. II, 8 : *Qui enim tetigerit eos, tangit pupillam oculi mei.* Cf. Dens, *de pœnit.* n. 227 ; Theol. Mechl. *de cas. res.* n. 8.

2° Privilegium *competentiæ,* seu capitis *Odoardus,*

L. III. *Decr.* tit. 23 *de solutionibus,* vi cujus clerici in jus vocati a creditoribus non possunt adeo privari suis bonis, ut cogantur victum quæritare et egere cum dedecore et contemptu ordinis clericalis. Hoc privilegium in Belgio frustra invocaretur.

3° Privilegium *fori,* quo clericorum personæ exemptæ sunt a jurisdictione et foro sæculari. Hinc jure communi nequeunt clerici, sive volentes, sive inviti in causa civili aut criminali, personali aut reali, ad judicem sæcularem trahi, vel a judice sæculari puniri. At lapsu temporis hoc privilegium per SS. Pontificum indulta favore Principum aut nationum pluries limitatum fuit, præsertim quoad causas reales civiles et graviora clericorum crimina. Cf. supra n. 44.

Apud nos privilegium istud abrogatum est, et vestigium duntaxat illius superest in præscriptione, qua clerici, priusquam coram judice laico se sistant, debent ab Episcopo obtinere licentiam comparendi. Stat. diœc. p. 28.

4° Privilegium *exemptionis* ab omnibus officiis et oneribus, quæ cum status clericalis dignitate et functionibus sacris componi nequeunt. Quare clerici jure communi exempti sunt a militia, et officiis municipiorum; a gerendo magistratu sæculari; ab exercendo officio advocati, procuratoris, notarii publici aut tabellionis; a tributis et vectigalibus, sive realibus, sive personalibus a potestate laica impositis, nisi talis sit reipublicæ status, *ut absque illa exactione ad relevandas publicas utilitates, vel necessitates, laicorum non suppetant facultates,* ut dicitur cap. 4 *de immun. in 6.* Hæc autem exemptio fere ubique sublata est.

De exemptione a militia exstat in Belgio lex civilis 8 Jan. 1817, quam vide in ephem. Rev. cath. an. 1866, p. 142 ss., quamque fere suppressit detestanda lex 5 Junii

anni 1870, societati civili ac societati catholicæ summopere nociva. Hæc autem inter alia statuit :

Art. 28. *Sont dispensés de l'incorporation, mais réputés au service quant à la formation du contigent :*

Définitivement, les ministres des cultes ;

Provisoirement, à moins qu'ils n'appartiennent à une famille qui soit dans l'aisance :

Ceux qui, après leurs études moyennes, se destinent au ministère ecclésiastique, et sont élèves en théologie dans un établissement reconnu par la loi, s'il en existe pour leur culte.

Sont assimilés aux élèves en théologie, les étudiants en philosophie et qui se vouent à l'état ecclésiastique, tant qu'ils n'ont pas accompli leur vingt et unième année. Cf. Mém. belge, T. XIV. p. 481.

Citata privilegia competunt clericis vi immunitatis personalis et realis, de qua breviter dicendum in § seq.

§ 3. *De immunitate clericorum.*

556. Immunitas generatim sumpta definitur privilegium, quo res aliqua, locus, vel persona a communi quadam obligatione, seu onere eximitur.

Immunitas igitur ecclesiastica est jus, quo ecclesiæ aliave loca sacra, personæ ecclesiasticæ et res ipsarum liberæ sunt a jurisdictione laicali, a muneribus et oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiæ debitæ repugnantibus.

557. Hinc immunitas recte dividitur in *personalem, realem* et *localem.*

Personalis est, qua clerici exempti sunt a muneribus civilibus, tributis mere personalibus, atque a foro laicali.

Realis, qua bona ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum libera sunt ab oneribus et vectigalibus.

Localis, qua *a*/ nullus actus profanus, qui minus decet loci sanctitatem, in loco sacro exerceri potest; *b*/ debitores, ac rei criminum, quibusdam exceptis, ad illum confugientes, tuti sunt, neque illinc divelli possunt. De postrema vide Devoti, T. I. p. 624; Dens, T. IV. n. 198; et inferius P. II. ubi de *jure asyli*, seu immunitate ecclesiarum.

Hic tantum loquimur de prioribus, quæ veniunt sub nomine *immunitatis clericorum*.

558. Quæritur autem quo jure inducta fuerit immunitas clericorum?

R. Doctores catholici consentiunt clericos in iis, quæ vere et proprie spiritualia et ecclesiastica sunt a jurisdictione sæculari *jure divino* esse immunes.

Ast quod spectat res temporales et criminales, non una est omnium sententia.

Prima politicorum est, qui hanc immunitatem deducunt a mero *jure civili*, et tuentur eam libere fuisse a Principibus concessam, et libere posse ab iisdem retractari.

Hanc sententiam condemnavit SS. Pius IX *in Syllabo*:

Prop. XXX. *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.*

Prop. XXXI. *Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus, sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.*

Secunda præsertim canonistarum est, qui existimant eam *jure divino* inductam esse.

Hæc opinio sequentibus nititur argumentis: *a*/ quando traditio est constans ac perpetua, ostendere solet jus divinum, præsertim quando non apparet ratio eam tribuendi apostolicæ institutioni. Talis autem esse videtur traditio hujus exemptionis; est nempe adeo antiqua, ut

nullum ejus agnoscatur initium; nam pro temporum opportunitate semper servata est, præcipue vero post tempora christianorum Imperatorum.

b/ Hæc sententia auctoritate Conciliorum mirifice comprobatur. Namque Concilium Later. V anni 1512-17, *Sess.* IX, inquit : « *Cum a jure tam divino, quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit.* » Et Concilium Trid. *Sess.* XXV, cap. 20 *de ref.* : « *Ecclesiæ*, ait, *et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta est.* »

Tertia sententia, quæ plurium theologorum est, eam a *jure positivo humano* profectam asserit. Inducta fuit, inquiunt, concessionibus Principum, sed Ecclesiæ acceptatione et consuetudine consecrata est, ita ut sit irretractabilis. Et merito quidem, addunt; nam necessaria est ad melius et liberius ministrandum ecclesiis.

Sententiam suam fundant in eo quod nulla sit novi Testamenti lex, quæ clericos a jurisdictione Principum sæcularium exemerit; quin potius Christus Dominus et Apostoli proclamant independentiam status civilis in ordine rerum temporalium, et exigunt a fidelibus subjectionem potestatibus sublimioribus. Id autem in primitiva Ecclesia obtinuit. Cf. Epist. ad Rom. cap. XIII, 1; I S. Petri cap. II, 13 ss.

559. Inter duas ultimas opiniones mediam tenent Bellarminus, *de clericis* § 28, aliique probati auctores. Juxta quos immunitas clericorum non est juris divini hoc sensu quod expresse et formaliter in S. Scriptura statuatur; sed eo sensu quod deducatur a nonnullis exemplis veteris Testamenti. Sic etiam non est juris naturalis hoc sensu quod fundetur in primariis juris naturalis principiis, eorumve proximioribus et necessariis consequentiis; sed eo sensu quod juri naturali, æquitati, reverentiæ, quæ

Religioni et statui clericali debeatur, valde conveniat et consona sit. Hæ sunt juris naturæ deductiones remotæ, quæ debent jure positivo humano determinari. Quæ determinatio reipsa facta est jure tam universaliter, et ab Ecclesia, et a potestate civili sancito, ut ad jus gentium prope accedat.

In hac igitur sententia immunitas clericorum profecta est a jure naturali et divino suadente et inducente, a jure ecclesiastico determinante, et a jure civili et gentium obsequente.

Hæc doctrina rite componitur *a*/ cum textibus Conciliorum, quos supra citavimus.

Ad argumentum desumptum ex Concilio Later., quo probatur immunitatem esse juris divini, respondent hujus sententiæ auctores, olim verbis *Jus divinum* sæpe intellectum fuisse jus canonicum; verbis vero *Jus humanum,* jus civile; vide v. g. cap. 2 *de Privil. in 6,* et cap. 1 *de juram. calumniæ.*

Deinde ad hoc, quemadmodum et ad argumentum ex Tridentino respondetur, similes locutiones rite componi cum tradito sensu de immunitate inducta jure humano, juri divino conformi et in eo fundato.

b/ Cum locutionibus RR. Pontificum, inter quos SS. Pius IX, brevi *Multiplices inter,* 10 Junii 1851 asserit, Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* constitutam.

c/ Cum modo agendi Ecclesiæ, quæ semper ex una parte contra juris hujus læsionem reclamavit; ex altera tamen sæpe indulgentiam, vel tolerantiam hac in re adhibuit.

Ex his intelligitur, quare SS. Pius IX scripserit ad Episc. Montisregalensem, 29 Sept. 1864, *legem de clericis militiæ adscribendis esse iniquissimam, omnibus divinis, ecclesiasticis, humanisque juribus vel maxime adversam,*

omnino reprobandam et damnandam esse. Cf. Breve 25 Martii 1869.

Intelligitur quoque quare Pontifex damnarit in *Syllabo* Prop. XXXII. *Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.*

560. Hæc sufficiant de immunitatibus clericorum, quæ successu temporum adeo limitatæ et restrictæ fuerunt apud nos, ut vix aliqua hodie veteris disciplinæ supersint vestigia. Clerici tributa solvunt, conveniuntur a judice sæculari pro causis criminalibus et civilibus, ac pœnis plectuntur ut ceteri cives, si contra leges patrias deliquerint. Remanet autem species aliqua exemptionis a militia et a publicis officiis, quam juris divini esse ostendere conatur Ex. Moulart, *Rev. cath.* 1866, p. 77 ss. Cf. inferius P. II.

CAPUT VI.

DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

Personis ecclesiasticis accensentur familiæ religiosæ, quæ, ut ait Pius IX, *Encl.* 17 Junii 1847, *ad majorem omnipotentis Dei gloriam, et salutem animarum procurandam a sanctissimis viris divino afflante Spiritu institutæ,..... lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt, quæ maxime tum christianæ, tum civili reipublicæ usui, ornamento atque præsidio fuerunt.*

De iis agunt L. III. *Decr.* tit. 31, 35, 36; eisdem *in 6;* et Trid. *Sess.* XXV *de regularibus et monialibus.* Cf. Decr. Brug. *de regimine monialium,* etc. 3 Junii 1851.

In hoc tractatu breviter inquirimus de natura status religiosi; de ejus origine et præstantia; de diversis ordi-

num speciebus et religiosorum distinctione; de admissione ad statum religiosum; de obligationibus et officiis regularium et monialium; de Prælatis regularibus; de privilegiis regularium; demum de regulis a regularibus servandis quoad doctrinam, curam animarum et disciplinam.

Nota. Quæ dicuntur de regularibus, monialibus quoque sunt applicanda, modo materia ipsis sit adaptabilis. Quæ his propria sunt, notantur suis locis.

Articulus I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

561. « *Religio* varias significationes habet; accipitur enim *a/* pro virtute, qua Deo debitus exhibetur cultus; *b/* pro communitate, seu universitate verum Deum rite colentium ..... et sic comprehendit omnes christianos, unde etiam Religio christiana dicitur; *c/* pro communitate, quæ per specialem vivendi modum se Deo ejusque obsequio dedicat; quod dupliciter fieri potest : *minus stricte,* per ordinem susceptum, votum castitatis, vel quoddam vinculum; et *strictius* per tria vota substantialia in religione ab Ecclesia approbata.

« Sic accepta religio *status religionis* dicitur; quia hominem in certo et ex natura sua pepetuo statu collocat. Illi autem qui eam profitentur, vocantur religiosi et regulares : *religiosi* quidem a religione quam profitentur; *regulares* autem a regula sub qua vivunt. » Schmalzgr. L. III. *Decr.* tit. 31, n. 1 et 2.

Ad essentiam quidem status religiosi strictius sumpti requiritur et sufficit : 1° ut serventur tria consilia evangelica; 2° ut hæc consilia voto, perpetuam obligationem continente, firmentur.

Ast ex præsenti saltem Ecclesiæ disciplina necessariæ

insuper sunt 3° aliqua regula in vita communi servanda, et 4° aliqua approbatio, sive expressa, sive tacita, auctoritatis ecclesiasticæ.

Unde religio, seu proprie dictus status religiosus, qualis eum præsens Ecclesiæ disciplina agnoscit, communiter definitur : *fidelium ad christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuæ obedientiæ, paupertatis et castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.* Regularis autem seu religiosus est persona, quæ emissis tribus illis votis in approbata aliqua religione vivit, ut se perficiat, Deoque perfectius, quo fieri potest, serviat.

§ 1. *De fine status religiosi.*

562. Varii status vitæ christianæ adæquate dividuntur in *statum vitæ communis*, et *statum perfectionis*. Inter eos enim qui proprium bonum spirituale prosequuntur alii sunt qui, ex instituto publice profitentur statum perfectionis; alii vero qui simplicem tantum mandatorum observantiam prosequuntur, etiamsi alias privatim perfectionem intendant.

Status autem perfectionis subdividitur in statum *perfectionis acquisitæ*, ut est episcopatus; et statum *perfectionis acquirendæ*, ut est status religiosus.

Finis igitur proprius et primarius status religiosi est prosecutio perfectionis, non tantum perfectionis essentialis, quæ in charitate consistit, et consequenter omnibus intimatur per verba Christi, Matth. v, 48 : *Estote ergo vos perfecti;* verum perfectionis illius specialis, quæ paucis tantum a Deo ipso selectis proponitur, de qua Matth. xix, 21 : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.*

Huic fini primario et substantiali, omnibus religioni-

bus communi, adjungi possunt fines accidentales, qui in aliquibus tantum inveniuntur, etsi forte pro iis æque principales sint.

Non tamen tenetur religiosus vi suæ professionis esse perfectus; sed solum perfectioni studere, exercendo virtutem, et removendo impedimenta divini amoris, per observantiam non tantum præceptorum, sed et consiliorum evangelicorum.

§ 2. *De mediis ad finem status religiosi, seu de votis et regula.*

563. Media sunt triplex votum perpetuum, sc. obedientiæ, paupertatis et castitatis, atque regula in vita communi servanda et unicuique religioni propria. Hæc ceteroquin a votis non omnino discernitur, quippe quæ, pro maxima sua parte, votorum est applicatio et aptatio ad finem specialem cujusque religionis.

Dicitur *Triplex votum;* nam *a/* licet plura sint consilia evangelica, tria tantum ad status religiosi completi essentiam requiruntur; ideo substantialia vocantur, suntque omnibus institutis communia; *b/* alia possunt adesse vota, quæ accidentalia dicuntur, et quibusdam ordinibus particularia sunt.

Dicitur *Votum perpetuum;* quamvis enim ad perfectionem efficaciter prosequendam, sufficiat a parte rei observantia trium consiliorum, ratione tamen stabilitatis ad statum religiosum completum, seu strictius sumptum, requiritur ut, voto emisso, eorum obligatio in perpetuum suscipiatur.

Non additur *solemne;* quia ad essentiam religionis non requiruntur vota *solemnia* sed sufficiunt *simplicia;* siquidem per ea homo possit se perpetuo mancipare Deo in ordine ab Ecclesia approbato. Constat insuper ex Bulla

Gregorii XIII *Ascendente Domino,* an. 1584, ubi statuitur eos, qui in Societate Jesu tria vota substantialia, etsi simplicia, emittunt, vere et proprie religiosos esse.

A. De solemnitate votorum.

564. Vota religiosorum et monialium vel simplicia sunt, vel solemnia.

Hæc vota natura sua non distinguuntur, cum a parte rei nihil habeatur in voto solemni quod non habetur in voto simplici; sed voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione repetenda est. « Sententia, inquit autographia Seminarii Brugensis anni 1872, *de voto*, sententia quæ jure merito communior jam est doctrina, ponit hanc solemnitatem, non in vi quadam intrinseca ipsius voti, sed in sola Ecclesiæ dispositione; ita ut vota simplicia et solemnia distinguantur, non ratione promissionis et inde exortæ obligationis, sed solum ratione ecclesiasticæ constitutionis, quatenus votum solemne, ex Ecclesiæ constitutione et acceptatione, voventem *absolute* et *perpetuo* ad actum oppositum inhabilem reddat. » Vide *ibidem* illius sententiæ probationem.

565. Ex Ecclesiæ igitur statuto vota solemnia ratione sui potestate ordinaria solvi nequeunt, et inducunt inhabilitatem, incapacitatem, invaliditatem actuum votis oppositorum; vota vero simplicia potestate ordinaria solvi possunt, nisi reserventur, et inducunt tantum illiceitatem illorum actuum pro tempore, quo vota durant; nisi per exceptionem R. Pontifex tribuat voto simplici aliquem effectum voti solemnis. Sic voto solemni castitatis annexa est inhabilitas ad matrimonium; voto solemni paupertatis incapacitas dominii; voto solemni obedientiæ, juxta Suarez, Pellizzari, Gury T. II. n. 170, incapacitas se obligandi per contractum sive naturalem,

sive civilem, quoad ea quæ subsunt potestati superioris.

Hoc ultimum multi non admittunt, et docent votum solemne obedientiæ non differre quoad effectus morales a voto simplici. Cf. Daris, vol. IV. n. 81.

Ab illo tamen multo difficilius obtinetur dispensatio, quæ non nisi a Papa et gravissima de causa conceditur.

B. De triplici regularium voto.

566. Votum *obedientiæ* obligat religiosum ad obediendum superiori in iis omnibus, quæ regulæ et constitutionibus sunt conformia, sive expresse, sive tacite in iis contineantur. Cf. Gury, *de stat. part.* n. 168.

« Votum simplex reddit quidem illicitam obligationem sine consensu superioris contractam; non tamen *per se* invalidam efficit, licet superior, vi potestatis in voluntatem subditi hujusmodi obligationem irritare valeat.

« Votum autem solemne ita subditi voluntatem oblatione absoluta, perpetua et irrevocabili in ordine religioso auctoritati superioris adstringit, ut religiosus nullam amplius obligationem, neque naturalem, neque civilem valide contrahere possit, » quoad ea scilicet quæ subsunt potestati superioris. Vide supra n. 565.

567. Votum *paupertatis* obligat religiosum ut nihil proprii habeat, vel saltem nulla re ut propria utatur sine superioris licentia. Qui enim hoc votum emittit, abdicat in perpetuum omne dominium rerum temporalium, vel saltem liberum earum usum. Trid. l. c. cap. 2.

Votum autem solemne paupertatis reddit religiosum personaliter incapacem cujuslibet dominii, etiam directi. Ordines tamen ipsi in communi possidere queunt, nisi speciali lege impediantur, uti Capucini, Minores de observantia et domus professæ Societatis Jesu. *Ibidem,* cap. 3. Cf. Gury, *ibidem,* n. 153.

Quæritur autem an cum voto paupertatis componi queant Livella et peculium?

Livella sunt quædam pensio vitalitia, a consanguineis annualiter soluta religioso, et præsertim moniali. *Peculium* est quodlibet bonum temporale, ad particulares alicujus religiosi, non autem ad communes monasterii usus destinatum.

R. Ex textu Tridentini l. c. cap. 2, graviter certo peccant superiores, ea absque necessitate in conventum primum inducentes; sed praxis contraria, etsi ægre eam ferat Sedes Apostolica, dici non potest illicita, dummodo religiosus de iis disponere non possit independenter a superiore. Cf. S. Alph. L. V. n. 15.

568. Votum *castitatis* peccato religiosi contra castitatem sive interno, sive externo, addit sacrilegii reatum. Illud insuper votum, si simplex, est impedimentum prohibens; si vero solemne, dirimens matrimonium contrahendum et matrimonium contractum non consummatum. Cf. Theol. Mechl. *de matrim.* n. 65 et 73.

Ad majorem castitatis custodiam introducta est lex clausuræ, de qua dicemus ubi de obligationibus regularium et monialium. Trid. l. c. cap. 5. Cf. Gury. l. c. n. 164.

Qui plura cupierit circa vota, adeat moralistas.

C. De hodierna conditione votorum religiosorum in Gallia et Belgio.

569. Post perturbationes sæculi elapsi multæ domus, tum regularium, tum monialium, in Gallia et Belgio restitutæ sunt juxta formam a S. Sede approbatam; plures etiam aliæ sub variis formis, ab Episcopis sancitis conditæ sunt.

Instituta religiosa in Gallia et Belgio hodie existentia ad triplicem classem referri possunt. Prima complectitur

ea, quæ essentia status religiosi carent; secunda ea, in quibus simplicia, sed perpetua vota emittuntur; tertia ea, in quibus membra profitentur religionem cum votis solemnibus a S. Sede approbatam.

570. Jam vero, cum stare nequeat essentia status religiosi absque triplici perpetuo voto, Dei et Ecclesiæ nomine acceptato, sequitur eas omnes congregationes status religiosi essentiam non habere, quæ vel nullum ex instituto votum emittunt, vel ad tempus dumtaxat vovent, vel uno alterove perpetuo voto, non autem triplici, sese astringunt, vel tria perpetua vota privatim emittunt, quæ a nullo Dei et Ecclesiæ nomine acceptantur.

571. Ad secundam classem quod spectat, distinguendum est. Istæ congregationes vel fuerunt cum regulis suis a S. Sede approbatæ, vel non. Si prius, habent status religiosi essentiam cum effectibus indicandis infra n. 580. Si posterius, earum membra dici possunt in statu religioso existere, sed absque illis effectibus.

572. His duabus classibus sepositis, gravior multo est agitanda quæstio an regulares et moniales valeant hisce temporibus solemniter profiteri in Gallia et Belgio. Orta est quæstio ex eo quod secundum jus commune in professione solemni tria requirantur vota solemnia; si enim unum alterumve sit simplex, cetera etiam simplicia evadunt. Jam vero leges civiles videntur ibi obstare, ne votum paupertatis inducat incapacitatem dominii, ac consequenter ne sit solemne (C. C. art. 791 et 1130).

573. Q. I. Utrum *regulares* Galliæ et Belgii profitentes in iis ordinibus, qui ex instituto a S. Sede approbato vota solemnia habent, 1° fiant eorumdem ordinum professi; 2° vota vere et proprie solemnia emittant?

R. Affirmative ad utrumque; admittendum enim est jus commune pro eis vigere, nisi obstet, vel præsens con-

ditio legis civilis, vel derogatio aliqua Sedis apostolicæ; atqui neutrum obtinet; ergo.

a/ Non obstant dispositiones legis civilis. Cum enim solemnitas votorum ejusdemque effectus sint res undequaque spirituales, lex civilis, quæcumque sit, nec eam constituere, nec impedire, nec quam minimum immutare potest contra institutionem Ecclesiæ; secus potestas civilis dirimere posset leges Ecclesiæ, quod repugnat. Hæc sola potest intuitu legum civilium, vel alia de causa, in aliquo regno institutionem suam temperare.

b/ Non obstat derogatio Pontificia. Nam quod pro monialibus Galliæ et Belgii S. Sedes statuit, id nullibi pro viris religiosis, saltem universim, statutum comperimus.

E contra in documentis, quæ moniales concernunt, tam accurata semper fit inter eas et viros religiosos distinctio, ut nova juris dispositio nulla inductione extendi possit ad viros. Sic inter alia S. Pœnitentiaria *ad Ep. Cenomanensem,* 2 Jan. 1856, ad dubium IV : « *An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, uti videtur?* respondit : *Decreta per S. Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales.* »

Dein non obstantibus legibus civilibus, Sedes apostolica positive admisit vota solemnia in instaurata religione Benedictina in Galliis; adeoque hujus saltem ordinis membra veri sunt religiosi, et vota solemnia habent. Quare idem non foret dicendum de ceteris, pro quibus juri communi non fuit derogatum?

Stant igitur hæc duo : sc. *a*/ in Gallia et Belgio dari vota solemnia in religionibus virorum; *b*/ hanc solemnitatem universim et ex jure communi obtinere in institutis ab Ecclesia approbatis, nisi dispositione speciali pro aliquo, vel alicujus parte derogatum sit.

Vota autem solemnia emittunt Dominicani, Jesuitæ, Carmelitæ, Benedictini, Capucini aliique. Trappistæ,

utpote Cistercienses, per se vota solemnia habent; sed ex decreto Gregorii XVI vota eorum in Gallia emissa a die 1 Martii 1837 habebantur ut simplicia; dubia vero res erat de votis antea emissis. Hodie autem ex decreto SS. Pii IX, 5 Febr. 1868, Trappenses ubique locorum vota solemnia emittere possunt et valent. Cf. Rev. des sciences eccl. T. V. p. 286 s.

574. *Obj.* 1° Lex civilis reapse obstat professioni solemni; statuit enim omnes cives habiles esse ad possidenda et ad acquirenda bona; ergo.

R. Omnes cives habiles sunt in foro civili, *conc.;* in foro ecclesiastico et conscientiæ, *neg.* Ecclesia enim expresse statuit hanc inhabilitatem pro religiosis. Lex civilis spectanda est ut effectus mere externos habens; et sic omnia componuntur.

Obj. 2° Stante lege impossibilis est professio solemnis; quia religiosus non potest renuntiare bonis futuris. Non potest ante professionem obstante lege civili, qua prohibetur renuntiare successioni nondum apertæ; neque post professionem, successione aperta, siquidem tunc cujuslibet dispositionis factus est incapax. Ergo.

R. Religiosus, etiam facta solemni professione paucis ordinibus exceptis, hæreditates, vel legata semper acceptare potest pro monasterio, de consensu superiorum. Potest etiam ante professionem, non obstante lege civili, disponere de bonis futuris pro aliis. Hanc doctrinam sequuntur Bouix, *de jure reg.* T. I. p. 387-490; Dens, vol. IV, n. 89 aliique apud Gury, n. 184, contra D. Carrière, *de just. et jure,* T. I. n. 221 ss. aliosque.

575. Q. II. An *moniales Galliæ,* professentes in iis religionibus, quæ ex jure communi vota solemnia habent, ut Carmelitæ, Benedictinæ, Visitandinæ, etc. 1° vota solemnia emittant; 2° sint religiosæ proprie dictæ?

R. Negative ad utrumque.

Prob. 1m. *a*/ Ex variis documentis ostendunt Anal. jur. pont., *fasc.* 21-22, S. Sedem non agnoscere domum monialium cum votis solemnibus, nisi erecta fuerit, vel etiam instaurata Sedis apostolicæ auctoritate. Ergo juxta Analecta jam ante declarationes, erant simplicia vota monialium Galliæ, defectu canonicæ instaurationis, seu propter non petitam S. Sedis pro instauratione licentiam.

b/ Sic pluries fuit a S. Sede declaratum; v. g. a S. Congregatione Ep. et Reg. 25 Febr. 1835, 1 Jul. 1836, 2 Jan. 1837, 1 Aug. 1839, 21 Aug. 1846; a S. Pœnitentiaria 28 Nov. 1818, 23 Jan. 1821, 19 Maii 1829, 2 Jan. 1836, 2 Dec. 1854. Varia responsa affert Gury, l. c.

Hæ autem declarationes non solum innituntur defectui licentiæ apostolicæ, aut clausuræ; vel intentioni monialium se conformandi legi civili, et retinendi capacitatem dominii; sed alio motivo; continuo enim dicunt vota monialium *in præsenti rerum statu* emissa in Gallia, haberi a S. Sede ut simplicia. Ob versatilitatem itaque rerum politicarum non expedire videtur, ut hodiernis temporibus in Gallia vota monialium solemnia habeantur.

Prob. 2m. Moniales Galliæ, quamvis pertineant ad ordines per se habentes vota solemnia, attentis peculiaribus circumstantiis, a S. Sede non spectantur ut vere professæ horum ordinum, neque earum monasteria ut ordines vere et proprie religiosi, sed tantum uti familiæ piissimarum fœminarum æstimantur. Id constat ex declarationibus S. Pœnitentiariæ 23 Jan. 1821, 2 Jan. 1836 et 26 Nov. 1852. Cf. Bouix, l. c. p. 493-513.

576. Q. III. An idem dicendum sit de iisdem *monialibus in Belgio?*

R. Negat Bouix, l. c. p. 514-520. Attamen donec aliter a S. Sede fuerit statutum, affirmandum videtur. Pro his enim æque militant motivum et ratio supra indica-

ta; et declaravit S. Pœnitentiaria, 2 Dec. 1854 : « *Vota monialium in Gallia et Belgio habentur ut simplicia.* » Cf. Daris, vol. IV. n. 91 ss.

Hinc sequitur : *a/* Episcopos Galliæ et Belgii, rebus sic stantibis, posse, sufficienti data ratione, dispensare in votis a monialibus emissis, voto perpetuæ castitatis remanente. S. Pœn. *ad Ep. Cenom.* 2 Jan. 1856, ad III.

b/ Votum ingrediendi religionem in monasteriis monialium, prout nunc in Gallia et in Belgio existunt, non esse S. Sedi reservatum. *Ibidem* ad II.

c/ Prædictas moniales non gaudere exemptione, qua gauderent si haberent vota solemnia. Unde ut hodie aliquis conventus monialium in Gallia, vel Belgio, ordinariæ Episcopi jurisdictioni non subjaceat, requiritur specialis dispositio S. Sedis. Non ergo possunt superiores regulares ullam sibi vindicare jurisdictionem in conventus monialium suorum ordinum.

Observandum autem est, Episcopum non posse mutare regulas monialium a S. Sede approbatas. Cf. Decr. Brug. cap. XII, et infra *de priv. exempt.*

d/ Eas ad clausuram de jure communi non teneri, pœnasque in hanc violantes latas ad eas non posse extendi; nam leges clausuram imponentes non agunt nisi de monialibus solemnium votorum. Verumtamen papali etiam clausuræ subjacent, si ipsis fuerit imposita. Quod si Episcopus aliquam clausuram præscripserit, eam servare debent. S. Pœn. *ad D. Gely*, 23 Jan. 1821. Cf. Decr. Brug. cap. V.

e/ Pro ipsis per se, seu vi juris universalis, non urgere obligationem divini officii. Rigorosa enim obligatio horas recitandi imponitur tantum religiosis professis in ordine approbato. Alia proin obligatione (gravi vel levi) non tenentur, nisi ea quæ deducitur ex specialibus earum constitutionibus. Gury, l. c. n. 182.

Attamen practice loquendo generatim habendæ sunt ut lege divini officii constrictæ, tum quia pro hac obligatione stat consuetudo generalis; tum quia ipsæ piæ mulieres, religionem ingrediendo, se ad breviarium adstrictas reputant. S. Pœn. *ad Ep. Petrocor.* 26 Nov. 1852. Cf. cit. Dec. Brug, cap. IV.

Ceterum lucrantur indulgentias aliasque hujusmodi gratias spirituales monialibus sui ordinis, quæ vota solemnia habent, concessas. Gury, l. c. n. 179.

D. De regula religiosorum.

Status religiosus requirit quamdam communitatem, saltem communem superiorem et communem regulam sub quibus vivant religiosi.

577. Nomine *regulæ* intelliguntur statuta a fundatore data, quibus implicite continentur omnia quæ moraliter necessaria sunt ad conservationem instituti, ad mutua charitatis officia, ad correctionem defectuum et ad disciplinam regularem servandam, ut convenienter obtineatur finis proprius instituti.

Statutis illis deinceps a legitima auctoritate additæ sunt præscriptiones, sub nomine *ordinationum, constitutionum,* aliove titulo, quæ una cum regula indicant finem et media propria ordinum, ac proin constituunt præcipuum signum distinctionis inter varios ordines; si enim plures ordines diversam sequantur regulam, vel etsi eamdem regulam, diversas tamen constitutiones, inter se diversi sint necesse est.

578. Regula autem debet approbari, ut videbimus infra, vel ab Episcopo, vel a R. Pontifice.

Inter approbatas a S. Sede præcipuæ sunt quatuor sequentes :

1ª S. *Basilii* (sæculo IV), qua utuntur fere omnes monachi græci et orientales.

2ª *S. Augustini* (sæculo IV), quam sequuntur Eremitæ et Canonici regulares S. Augustini, Præmonstratenses, Dominicani, religiosi ordinum SS. Trinitatis et B. Mariæ de mercede redemptionis captivorum, ordo Servorum B. Mariæ, Cruciferi, Brigittini, Theatini, ordines militares plures, ordo S. Joannis de Deo, Barnabitæ, Clerici Regulares Somaschæ, ordo S. Camilli de Lellis, aliique in occidente.

3ª *S. Benedicti* (sæculo VI), sub qua militant Benedictini Camaldulenses, Cistercienses, seu Bernardini, ordines quidam militares, Cœlestini, Olivetani, etc.

4ª *S. Francisci* (sæculo XIII), quam profitentur omnes Franciscani, sc. Observantes, Recollecti, Reformati, Capucini.

Aliæ sunt religiones et congregationes, quæ nullam e quatuor illis regulis sequuntur; vel vivunt juxta peculiares regulas et constitutiones a S. Sede approbatas. Tales sunt Carthusiani, Carmelitæ, Fratres Minimi sancti Francisci de Paula, Patres Societatis Jesu, Clerici Scholarum Piarum, Redemptoristæ, Lazaristæ, etc.

Ordines SS. Dominici, Francisci et Augustini, item Carmelitæ, Servitæ ac Minimi S. Francisci de Paula, præter principalem regulam, unam pro viris, alteram pro feminis, habent etiam *tertiam* regulam pro personis in sæculo degentibus. Lapsu autem temporis hæc Tertii Ordinis membra hic illic in congregationes coaluerunt; unde sub duplici forma propagata sunt : collegialiter nempe viventium, et sejunctim degentium in privatis domibus. Vocantur autem *Tertiarii* et *Tertiariæ*, et variis gaudent privilegiis a S. Sede concessis. Cf. Ben. XIV, *Inst.* 105, n. 60.

Tertiarii non solent collegialiter vivere, sed aut degere sejunctim in sæculo, quo casu quoad administrationem sacramentorum, etc. æquiparantur sæcularibus;

aut esse vere familiares in aliquo conventu. Si tamen collegialiter vivant, iis applicanda sunt quæ passim dicentur de exemptis et non exemptis.

Tertiariæ in privatis domibus sejunctim habitantes, etiam reliquis fidelibus æquiparantur, quoad sacramentorum administrationem et jura parochialia. Ad regulares tamen, quorum est tertius Ordo, pertinet eas ad habitum admittere, servatis conditionibus præscriptis a Ben. XIV, *de Syn.* L. IX. cap. XV, 11. Collegialiter viventibus applica quæ traduntur de variis speciebus monialium. Cf. Bouix, T. I. *de reg.* p. 315.

Circa quæstionem : quænam religio alia arctior, seu strictior dicenda sit? discrepant theologi et canonistæ. Quia vero canonistarum doctrina juri conformior est, cum his dicimus rem desumendam esse, non ex perfectiori fine, et ex aptitudine mediorum ad finem, ut volunt theologi, sed ex duriore, districtiore, vel fortiore modo vivendi. Cf. Ferraris, v. *relig. reg.* artt. 2-6; et cit. Decr. Brug. cap. III et IV.

§ 3. *De approbatione Ecclesiæ.*

Prænotanda. I. Quanquam voces *ordo, religio, congregatio religiosa, institutum religiosum* latiori sensu soleant promiscue adhiberi, proprie tamen *ordo* et *religio* indicant ea instituta, in quibus vota solemnia emittuntur; *congregatio* autem *religiosa,* ea quæ habent sola vota simplicia. *Institutum religiosum* latissimum sensum habet, et tum ordines, seu religiones, tum congregationes religiosas comprehendit.

Nonnullæ etiam ex illis denominationibus subinde late usurpantur, ad designandas pias illas congregationes, quæ statum religiosum completum non habent.

Quod ad domos monialium attinet, *monasterium* dici-

tur domus monialium solemnia vota habentium; *conservatorium* vero, domus vota simplicia habentium, vel universim etiam domus in pia communitate simul viventium fœminarum.

II. Ecclesiæ approbatio non afficit essentiam ipsam status religiosi, sed determinatum in eo vivendi modum, formam, regulam.

Approbatio autem duplex distinguitur : altera *speculativa,* seu *judiciaria,* qua decernitur modum esse sanctum et perfectioni acquirendæ idoneum; altera *practica,* qua hujusmodi vivendi modus in religionem erigitur, ita ut, qui eum amplectuntur, vere sint personæ religiosæ.

579. Q. I. Cuinam competat approbatio institutorum religiosorum?

R. 1° Indubitatum est, ad solum R. Pontificem spectare jus approbandi ordinem pro universa Ecclesia, vel eum ita approbandi ut vota solemnia habeat. Vide supra n. 177.

Antiquitus Episcopi in sua diœcesi ordines approbabant; sed postea lege Ecclesiæ positiva soli Sedi apostolicæ hæc potestas reservata fuit. Concilium Later. IV, sub Inn. III, cap. 13, hæc decrevit : « *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat; sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* » In Concilio Lugdunensi II, anno 1274, Gregorius X præcedentem constitutionem confirmavit ampliavitque.

His sanctionibus accessit anno 1566 pro monialibus S. Pii V constitutio *Circa pastoralis,* in qua de Tertiariis, in congregatione viventibus, absque clausura et votis solemnibus, decernit ut, vel vota solemnia emittant et clausuræ se subjiciant, vel novitias in posterum recipere nequeant. Hæc constitutio, quam confirmavit Gre-

gorius XIII, const. *Deo sacris virginibus,* afficit quasvis religiosarum congregationes; adeoque fœminæ veræ religiosæ non sunt, nisi emittant vota solemnia et sub clausura vivant.

Constanter observat illam constitutionem Sedes apostolica; et quoties regulas approbat religiosarum, quæ vivunt absque clausura, fere semper adjicit se id facere « *citra approbationem conservatorii,* » ne sc. agat contra dictam constitutionem.

Ad novæ religionis institutionem requiritur et sufficit simplex S. Sedis approbatio quoad regulas et quoad institutum. Cf. Bouix, *de reg.* T. I. p. 224 s.

Sed ut aliquod institutum censeatur approbatum cum votis solemnibus, necesse est ut mentio fiat solemnitatis votorum, vel in approbatione, vel in formula et regulis instituti approbati. Ut vero censeatur approbatum cum votis simplicibus, sufficit ut cum approbatione apostolica adsint omnia ad statum religiosum completum requisita.

2° Episcopus in sua diœcesi legitime erigere potest domus votorum simplicium.

Probatur a/ ex constitutionibus apostolicis, quæ confirmant religiosa instituta absque approbatione pontificia inchoata.

b/ Ex praxi; passim enim novæ congregationes de sola Episcoporum licentia inchoantur.

Quinimo, non obstante præfata S. Pii V constitutione, hodie saltem tolerantur monialium congregationes, clausura et votis solemnibus carentes. Ben. XIV, const. *Quamvis,* 30 Apr. 1749.

580. Q. II. Quænam sit conditio canonica congregationum ab Ordinariis erectarum?

R. Distinguendo inter domum, seu institutum, et instituti membra. Domus est certo locus religiosus, id est, locus auctoritate ecclesiastica erectus.

Membra vero, spectata hodierna disciplina, dici possunt vere in statu religioso existere, non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia, absque tamen effectibus huic statui a jure tributis. Non enim veniunt nomine religiosorum, vel monialium, etiam extra materiam privilegiorum; neque nomine clericorum, in materiis licet favorabilibus.

Quod si hujusmodi congregatio approbetur a Sede apostolica, hæc approbatio efficit ut membra coram Ecclesia in statu religioso constituantur; et licet in materia exemptionis, vel privilegiorum ordinibus votorum solemnium competentium, non veniant nomine religiosorum, in reliquis tamen eo intelliguntur et ipsa, suntque veræ personæ ecclesiasticæ, quæ nomine clericorum comprehenduntur in lege favorabili. Cf. supra n. 134.

Praxim Sedis apostolicæ in approbatione vide apud Soglia, *Jur. priv.* § 129.

Articulus II.

DE ORIGINE ET PRÆSTANTIA STATUS RELIGIOSI.

§ 1. *De origine status religiosi.*

581. Status religiosus, ait Suarez, *de relig.* Tr. VII. L. III. cap. 2, secundum se et quoad substantiam suam, ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit; notum enim est, ipsum non semel ad tria substantialia vota exhortatum fuisse (Matth. XVI, 24, XIX, 12 et 21; Luc. XVI, 33); unde status ille dici potest de jure divino non præcipiente, sed consulente. Dein eum ab ipsa Apostolorum ætate viguisse, tradunt eruditi (Act. Ap. IV, 32).

Quod autem attinet ad accidentalia status religiosi, sc. ad determinatum modum in eo vivendi, institutum, re-

gulam cum his, vel illis circumstantiis, hæc excogitarunt et constituere labentibus sæculis viri sanctitate conspicui, eaque proposuerunt Ecclesiæ, ab ea recognoscenda.

Status religionis igitur quoad substantiam est institutionis divinæ, quoad accidentalem ejus determinationem, est institutionis humanæ.

582. « Primis duobus sæculis aluit in suo sinu sancta mater Ecclesia quosdam ferventiores christianos, qui ob vitam pœnitentem, rerumque divinarum meditationibus exercitam, appellati fuerunt *ascetæ*, a græco verbo, quod sonat exercitationem virtutis.

« Deinde sæculo III quidam fideliores christiani, qui ad evitandas ethnicorum superstitiones et persecutiones, se abdiderunt inter montium sylvarumque anfractus *monachi* dicti sunt, ab alio nomine græco, quod *solum* vel *solitarium* sonat. Et qui ex istis seorsum ab aliis in eremo vivebant, *anachoretæ* (separati), vel *eremitæ* (solitarii): qui vero in unum convenientes in conventu sub cujusdam superioris obedientia vivere incœperunt, *cœnobitæ* (in communi vita) vocati fuerunt. » Ferrari, T. I. n. 212.

Origo autem monialium seu monacharum cum ipso religiosorum ortu conjuncta est. Constat ex primis Ecclesiæ sæculis fuisse virgines, quæ se Deo consecrabant per consiliorum executionem, quæque initio *ascetriæ*, postea *sanctimoniales* (a vitæ sanctimonialia) antonomastice dici cœperunt. Cf. Bergier, *Dict.* v. *Religieuse;* Wouters, *Hist. eccl.* T. I. p. 52, 169 et 197.

§ 2. *De utilitate et præstantia status religiosi.*

583. « Hinc maxime elucet vitæ religiosæ utilitas, quod in observatione consiliorum evangelicorum fundetur, qua impedimenta salutis præcipua removentur, et auxilia plurima ad debellandos animæ hostes suppeditantur.

« Accedit personis religiosis, in communi viventibus, auxilium regulæ monasticæ, experientia præpositorum, solitudo loci, exemplum sororum, pax cordis, quies, animi libertas, oratio assidua et omne genus bonorum operum, quæ totidem sunt vitæ religiosæ beneficia et efficacissima consequendæ æternæ beatitudinis adjumenta. Ideo ipse Dominus vitam religiosam *meliorem partem* appellavit, et veluti salutis pignus proposuit, dum dixit non omnes capere verbum quo vita perfecta suadetur, sed eos tantum qui speciali gratia a Patre edocti sunt. » Decr. Brug. cap. I.

584. Quanta hujus vitæ est utilitas, tanta est etiam dignitas. Qui eam amplexi sunt, ipsius Christi Domini, B. M. Virginis et Apostolorum vestigia premunt; quinimo vitam angelorum in terris ducunt; quod patet ex fine, quem sibi proponunt, studium nempe christianæ perfectionis, et ex mediis quibus utuntur ad propositum finem assequendum.

Præterea ad rem hic veniunt quæ habet Sapf, *Theol.* § 154 s. : « Monasteria, ait, non tantum hominibus, qui se ad sublimiora vocatos sentiunt, certum perfugium præbent...; sed etiam mundo viva identidem vitæ sanctioris exempla proponunt, atque suis tum precibus, tum sacris functionibus publicæ saluti insignem plane operam navant. Ne quid de illis dicam, quorum præcipuus labor est erudire juventutem, assistere infirmis, aliisque tum spiritualibus, tum corporalibus operibus misericordiæ insudare. Ipsi adversarii negare nequeunt, quam præclare monachi... de posteritate meruerint, utpote quorum indefessis conatibus, non tantum christianam Religionem, sacras æque ac profanas scientias, artes liberales, sed ipsam quoque terræ fertilitatem debemus, ut adeo ipso opere comprobaverint quod Apostolus inquit : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens*

vitæ quæ nunc est et futuræ (1 Tim. IV). Est ergo pessima illorum illatio, qui dum unum alterumve monachum degenerem vident, totum mox collegium, vel omnino universum regularium statum contemnendum ducunt.

« Probrosum sane, ut catholici nonnulli a protestante Leibnitio veritatem ediscant; ait enim : *Fateor mihi semper religiosos ordines, qui in sola catholica Ecclesia reperiuntur, mire probatos fuisse.* »

Hinc nihil mirum si contra nefanda et turpissima improperia, quibus pseudo-philosophi ac politici in religiosos debacchati sunt, innumeri ipsorum apologiam invincibiliter texerint. Videantur inter ceteros Raynaudi, opusc. *malevoli erga religiosos maledicti;* Cauchy, *consid. sur les ordres religieux,* Paris 1844; Bouix, *de reg.* T. I. p. 173; Balmès, *le protest. comparé avec le cathol.* T. II. chap. 38 à 43; Lenormant, *des associations religieuses dans le catholicisme;* Segneri, panégyrique : *la cause des religieux devant le tribunal des laïques.*

Articulus III.

DE DIVERSIS ORDINUM SPECIEBUS ET DISTINCTIONE RELIGIOSORUM.

§ 1. *De diversis ordinum speciebus.*

585. Quamvis in omnibus religionibus idem proponatur necessarius finis, seu perfectio propria prosequenda, eademque adhibeantur media essentialia, seu triplex votum paupertatis, castitatis et obedientiæ, status religiosus tamen admittit præterea alios fines secundarios, vel minus principales, vel etiam æque principales, aut sub eodem fine alia media aliquatenus a mediis essentialibus diversa. Ex hac diversitate accidentalium oritur respectiva diversitas religionum.

Duo igitur sunt principia, ex quibus desumitur diver-

sitas religionum : unum quod præstantius est, scilicet finis proprius ad quem fuerunt institutæ; alterum, media et peculiaria exercitia, quibus utuntur ad obtinendum finem primarium et finem sibi proprium.

586. Ex fine sibi proprio alia religio est contemplativa, alia activa, alia mixta.

Contemplativa specialiter se exercet in contemplatione rerum divinarum et oratione ad ipsorum religiosorum perfectionem; ut religiones SS. Basilii, Benedicti, Bernardi, Brunonis, etc.

Activa principaliter se exercet in operibus misericordiæ et charitatis erga proximum, sive spiritualibus, sive corporalibus; ut religiones militares et hospitalariæ.

Mixta conjungit vitam contemplativam et activam; ut religiones SS. Augustini, Dominici et Francisci, Societatis Jesu, etc.

Mixtam communiter dicunt perfectiorem ceteris, et contemplativam præponunt activæ.

587. Ex mediis et peculiaribus exercitiis distinguuntur religiones in monachales, clericales, mendicantes, militares, hospitalarias.

Monachales vi instituti sui ordinantur ad vitam contemplativam et solitariam.

Clericales ad ministeria spiritualia deputantur. Clerici regulares appellantur ii, qui sub certa regula in communi vivunt, et vota solemnia emittunt, ut Theatini, Somaschi, Barnabitæ, Ministri infirmorum et Clerici Scholarum Piarum, a quibus multum differunt clerici sæculares in congregatione viventes; nam licet hi sub quadam regula sint congregati, tamen vel nulla emittunt vota, vel tantum simplicia, quales sunt Philippini a S. Philippo Nerio, Missionarii a S. Vincentio a Paulo, et Redemptoristæ a S. Alphonso de Liguorio instituti.

Mendicantes ex primæva sua institutione excludunt

possessionem immobilium, etiam in communi, et vel ex piorum eleemosynis emendicatis, vel ex liberalitatibus sponte oblatis, vel ex manuum labore vivunt.

Dicitur *ex primæva sua institutione;* quia ex ordinatione Concilii Trid. *Sess.* XXV, cap. 3 *de reg.,* omnes religiones, olim vere mendicantes, exceptis Minoribus de observantia et Capucinis, in communi bona immobilia jam possidere possunt; ita ut hodie soli dicti Minores et Capucini in propria acceptione juris antiqui mendicantes sint.

Idem mendicantium nomen, quod de jure communi competebat quatuor tantum religionibus, sc. FF. Prædicatoribus, Minoribus, Eremitis S. Augustini et Carmelitis, horumque privilegia ex speciali concessione hodie habent plures alii ordines, quamvis stricte mendicantes non sint.

Militares ordinantur ad militandum pro defensione Religionis christianæ. Hi hodie vix existunt. Abhinc aliquibus annis restitutus fuit ordo Hierosolymitanus S. Joannis, seu Melitensis.

Ordines militares dici non possunt ii, in quibus sola castitas conjugalis servatur, ut olim aliqui erant.

Hospitalariæ demum ordinantur ad curam infirmorum.

Ad duplicem speciem ordines pertinere possunt, et reipsa plures pertinent, v. g. ad clericales et mendicantes.

De religionibus *solitariis* et *cœnobiticis* consulantur historici. Hodie vix supersunt.

§ 2. *De distinctione religiosorum.*

588. Præter distinctiones illico assignatas inter varios ordines, ipsi religiosi ejusdem ordinis dividi possunt :

in *oblatos, conversos,* ac præcipue in *novitios* et *professos.*

589. Oblati vocantur impuberes, qui a parentibus vitæ monasticæ instituto offeruntur. « Quæ oblatio efficit, ait Devoti L. I. tit. IX § 13, primum ut filius impubes a religione recipi possit; deinde ut pater in ipsum patria potestate amplius uti nequeat, ut eum ad sæcularem vitam revocet; denique ut etiamsi filio impuberi ante annos pubertatis monasterii claustra deserere non liceat, (quod tamen ipse facere potest cum ad eam pervenit ætatem, in qua plenum habet suæ voluntatis arbitrium) possit tamen religio proprio jure uti, ut eum dimittat etiam ante annos pubertatis, nisi forte se onere obstrinxerit eum retinendi, donec pubes evadat. » Cf. Ben. XIV bull. const. 54.

Oblati nec veri monachi sunt, nec clerici. Nihilominus ob specialia privilegia, quibus fruuntur, sicuti inter clericos, ita quoque inter monachos computantur.

Conversi dicuntur illi, qui temporalibus religionis ministeriis deputantur, et loco divini officii determinatas recitant preces.

De novitiis et professis agetur infra, ubi de novitiatu et professione religiosa.

Articulus IV.

DE ADMISSIONE AD STATUM RELIGIOSUM.

§ 1. *De ingressu in religionem.*

Ad ingressum in religionem, etiam quatenus distinguitur a professione, varia requiruntur, nempe : vocatio, ætas competens, exemptio a vinculo, testimonium Ordinarii, observantia statutorum ordinis.

590. *Vocatio;* hi enim soli ad statum religiosum ad-

mittendi sunt, qui prudenter reputantur divinitus vocati ad hoc genus vitæ amplectendum.

591. *Ætas competens.* Neque pro masculis, neque pro feminis in jure est ætas determinata; sed convenientius est ut non admittantur, nisi in ea circiter ætate, qua possint, finito novitiatu, professionem emittere.

592. *Exemptio a vinculo.* Hac de causa prohibentur ingredi religionem :

1° Servi proprie dicti, nisi de licentia domini sui.

2° Conjugati. Attamen excipitur *a/* conjux tempore bimestri, quod Ecclesia concedit initio matrimonii non consummati; *b/* uxor de ingredienda religione eo tempore deliberans, quamvis consummato per vim matrimonio; *c/* conjux, consummato licet matrimonio, si consentiat compars, et ipsa vel religionem ingrediatur, vel, si sit provectæ ætatis et ab incontinentiæ suspicione immunis, votum simplex castitatis emittat coram superiore ecclesiastico et testibus; *d/* conjux, post crimen compartis, adulterium sc., vel apostasiam, servatis servandis. Cf. Bouix, l. c. p. 530.

3° Consanguinei, quando parentes suos, vel liberos relinquunt in gravi necessitate, aut fratres et sorores in extrema. Cf. S. Alph. L. V. n. 66.

4° Gravati magno ære alieno. S. Alph. l. c. n. 71.

5° Obnoxii reddendis rationibus, sive publicis, sive privatis.

6° Criminosi, infames, notabiliter deformes, infirmi vel corpore vitiati, ut sunt cæci, muti, surdi, lepra, morbo caduco aut gallico affecti.

7° Ligati ex officio, puta *a/* Episcopus, vel alia excellenti Prælatura donatus, qui sine licentia S. Pontificis dignitatem dimittere non possunt; *b/* religiosus, qui servare debet conditiones requisitas pro transitu ad alium ordinem (SS. Pii IX, *Encycl.* an. 1847 *ad Sup. reg.; decr.*

S. Cong. *super statu reg.* 25 Jan. 1848 et 1 Maii 1851, pro Italia et insulis adjacentibus; Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. XI, 7); *c/* clericus, casu quo Ecclesia quædam grave damnum pateretur ex transitu ejus ad religionem, vel ipse peculiari titulo, v. g. pacto, impediretur quominus ingrediatur. Tunc jus haberet Episcopus non tantum eum retinendi, sed etiam repetendi post professionem. Ceteroquin ad tempus tantum, donec nempe ecclesiæ et populo provisum fuerit, vel clericus suæ obligationi satisfecerit, a proposito implendo poterit impediri.

Extra illos casus liberum est clericis omnibus, etiam beneficiariis, necnon curam animarum habentibus, absque Episcopi sui licentia, quinimo ipso contradicente, ingredi religionem a S. Sede approbatam. Nemo tamen dubitat quin presbyter, ecclesiæ regimen aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire; in quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis præcepto satisfaciet. Cf. Ben. XIV, const. *Ex quo* (*Bull.* v. IV. p. 357).

593. *Testimonium Ordinarii.* Auctoritate SS. Pii IX, S. Congregatio *super statu regularium* decreto *Romani Pontifices* anni 1848 ubique locorum servando, statuit, neminem posse admitti ad habitum in quibuscumque religiosis institutis, sive solemnium sive simplicium votorum, « absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit. » Contra regulares, qui hoc decretum non servarent, fertur pœna privationis officiorum, vocisque activæ, necnon inhabilitatis ad alia officia in posterum obtinenda.

Circa istius decreti applicationem varias edidit decla-

rationes eadem S. Congregatio 1 Maii 1851, a SS. Pio IX approbatas. In iis habetur : *a/* sufficere testimoniales privatas; *b/* sufficere eas quæ in genere tantum testantur de qualitatibus postulantis, dummodo ipsi superiores inquirant de reliquis a jure requisitis; *c/* si Ordinarii nolint dare litteras testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui postulantis, quod tamen eis non licet, tunc recurrendum esse ad eamdem S. Congregationem; si vero ob aliam causam, puta quia prohibiti sunt a potestate civili, posse admitti postulantem supplente alia informatione et fide digna relatione, etc.; *d/* nec habitus susceptionem, nec professionem, si fiant omissis testimonialibus invalidas esse, sed illicitas tantum; et ubi omissæ sunt ad susceptionem habitus quamprimum obtinendas esse, ne jam illicite receptus, postea illicite profiteatur.

Hoc statutum, ut patet, etiam applicandum est clerico; proinde cum illo temperamento sunt intelligenda ea, quæ supra traduntur de non requisita Episcopi licentia.

Dictæ informationes et litteræ testimoniales requiruntur in quocumque ordine, congregatione, societate, instituto, monasterio, domo religiosorum, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia; non vero præscribuntur pro admissione monialium.

594. *Observatio constitutionum peculiarium ordinis,* cujus postulatur ingressus, et decreti Tridentini, l. c. cap. 5, quo cautum est, ne plures in monasterio admittantur, quam sustentari possunt.

§ 2. *De novitiatu.*

In monasterium ingressi antequam possint ad vota in religiosa professione nuncupanda admitti, debent novitiatum peragere, ut eorum ad religionem vocatio probetur.

595. Novitiatus est probatio, seu competens experimentum vitæ religiosæ, habitum cum libertate eam dimittendi, vel postea suscipiendi.

Ex lege Tridentini, l. c. cap. 15, in congregationibus, tam virorum, quam mulierum, ad validam professionem requiritur annus probationis mathematice completus de momento ad momentum. Iste annus computatur a momento suscepti habitus, vel a momento ingressus cum animo manendi in iis ordinibus, in quibus nulla requiritur habitus susceptio. In aliquibus institutis constitutiones longiorem exigunt probationem.

596. Ut rite transigatur novitiatus servari debent *tempus, habitus* et *locus*.

1° Annus novitiatus non tantum debet esse integer, sed etiam continuus. Interruptio novitiatus officit validitati professionis. Censetur autem interrumpi : *a/* quoties novitius egreditur e monasterio cum animo non revertendi, etiamsi statim revertatur; *b/* quoties absolute dimittitur a superioribus, et dein iterum admittitur.

2° Jure communi gestatio habitus ordinis essentialiter requiritur; sed jure particulari potest novitius hac obligatione solvi.

3° Ad locum quod attinet, novitiatus saltem aliquo anni tempore peragi debet in quodam monasterio ordinis, in quo professio est emittenda. Pro Italia peculiaria quædam præscripta sunt a Clemente VIII.

Currente probationis anno, quovis tempore novitius plena fruitur libertate recedendi; et ne aliquo humano motivo invitus detineatur, statuit Tridentinum, l. c. cap. 16, quod « nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ..... aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa re-

nuntiatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus. » Excipiuntur tamen donationes modicæ, quæ honestæ oblationis et eleemosynæ vice funguntur.

In eumdem finem vetat Concilium, *ibidem,* ne « ante professionem, excepto victu et vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; » idque « sub anathematis pœna dantibus et recipientibus. » Excipitur Societas Jesu, cujus novitii quocumque tempore, et absque licentia Ordinarii, bonis suis cedere possunt. Excipiuntur quoque per se instituta votorum simplicium.

Finito tempore novitiatus, superiores debent novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittere, aut e monasterio ejicere.

597. Quamquam novitii ordinis a S. Sede approbati non sint veri religiosi, habentur tamen ut personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio fori et canonis, ac lato sensu veniunt nomine regularium. Fruuntur etiam privilegiis ac indulgentiis ordinis, ac jus quæsitum habent, ne sine justa causa dimittantur. Ad regulas autem et statuta per se et directe non tenentur; multo minus ad vota; quia ad ea se necdum obligarunt; tenentur tamen de convenienti. Cf. Bouix, T. I. *de reg.* p. 555-600; et Decr. Brug. cap. VI.

§ 3. *De professione religiosa.*

598. Professio religiosa est actus sacer, quo novitius, servatis servandis, in religione approbata, per emissionem trium votorum substantialium se Deo voluntarie tradit, interveniente auctoritate superioris illam traditionem acceptantis.

599. Professio religiosa dividitur in *expressam* et *tacitam,* in *solemnem* et *minus solemnem.*

Expressa fit verbo, scripto, aliove signo externo, consensum sufficienter exprimente.

Tacita colligitur ex uno, vel pluribus actibus professis propriis. Sic tacita censetur professio cum novitius, tempore probationis elapso, in religione voluntarie perseverat, cum se ingerit actibus qui solis professis conveniunt, etc. Professio tacita est hodie pro viris abrogata, uti constat ex declaratione S. Congr. regul. 17 Julii 1858. Professio solemnis, quæ proprie et stricte professio religiosa est, dicitur ea, in qua emittuntur vota solemnia.

Minus vero solemnis dicitur ea, in qua tantum emittuntur vota simplicia. Cf. supra n. 564 ss.

600. Q. I. Quænam requirantur ut valide fiat professio?

R. 1° Aptitudo voventis; sc. *a/* ut sit baptizatus, sui juris, et decimum sextum annum ætatis suæ integre expleverit; Trid. l. c. cap. 15; *b/* ut novitiatum rite transegerit; *c/* ut nullo ligetur impedimento, quod ex statutis a S. Pontifice confirmatis substantialiter ordini opponatur.

2° Libertas voventis; id est, ut professio sponte fiat, nulla vi, metu gravi, dolo, vel errore extorta.

3° Consensus mutuus et acceptatio expressa, vel tacita legitimi superioris. Fit enim ad instar contractus, quo profitens adstringitur ad servandum vota et regulas, religio vero ad tractandum voventem juxta ordinis constitutiones. Cf. Bouix, l. c. p. 611 et 667.

Hic in memoriam revocari debet decretum 19 Martii 1857, editum a S. Congr. *super statu reg.,* quod generale est, licet nondum in omnibus ordinibus executioni mandatum. Respicit ordines virorum vota solemnia habentium, et sic sonat : « Peracta probatione et novitiatu

..... novitii *vota simplicia* emittant, postquam expleverint ætatem annorum sexdecim ..... vel aliam majorem, quæ forsan a statutis proprii ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint ætatem (an. 21), quæ in constitutione Clementis VIII *In supremo* præfinita est.

« Professi post triennium, a die quo vota simplicia emiserunt computandum, si digni reperiantur, ad professionem *votorum solemnium* admittantur; nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. » Cf. etiam ejusdem Congr. decr. 12 Junii 1858, datum pro ordine Prædicatorum.

601. Q. II. Quinam sint validæ professionis effectus?

R. Effectus alii *gratiosi* sunt, alii *onerosi*. Præcipui sunt sequentes : professio *a*/ obligat profitentem ad servanda vota et statuta; *b*/ ligat religionem professo, et hunc religioni, nisi forte causa perfectionis ad rigidiorem ordinem transire cupiat; *c*/ ipso jure extinguit omnia vota in sæculo emissa, modo non sint jurata, vel in ipsa professione reservata, vel in favorem tertii facta; *d*/ matrimonium nondum consummatum dissolvit, contrahendum vero dirimit; *e*/ relaxat irregularitatem, ortam ex defectu natalium, ad recipiendos sacros ordines et beneficia ecclesiastica, exceptis prælaturis et dignitatibus; *f*/ inducit incapacitatem dominii, amissionem, seu vacationem beneficiorum, si quæ professus obtinebat; *g*/ communicat professo omnia privilegia regularibus et ordini concessa; etc. Inter hæc præcipuum est privilegium *exemptionis,* de qua infra.

Illi effectus jure communi tribuuntur professioni solemni.

An et quatenus competant institutis votorum simplicium a S. Sede approbatis, eruendum est ex eorum con-

stitutionibus et approbatione; nam per se professio minus solemnis habet tantum effectus quos producit ipsa natura votorum.

De ratificatione professionis invalidæ consule Bouix, l. c. p. 620; Ben. XIV, const. *Si datam* an. 1748, (Bull. v. VI. p. 36).

Articulus V.

DE OBLIGATIONIBUS ET OFFICIIS REGULARIUM ET MONIALIUM.

602. Regulares et moniales tenentur : 1° tum ad custodiam votorum substantialium, et specialium, si quæ sunt in religione ad quam pertinent; tum ad regulæ ejusdem observantiam. Cf. Decr. Brug. cap. III.

2° Ad divini officii in choro recitationem. Aliqui tamen ordines ab horis canonicis eximuntur; alii choro vacant. De cetero in ipsis ordinibus choro obligatis, non tenentur ad horas, neque novitii, neque conversi.

3° Ad clausuræ custodiam.

4° Ad perseverantiam in statu religioso, et quidem in illa religione, in qua professi sunt; nisi tamen permittatur, vel imponatur recessus.

De duabus ultimis obligationibus pauca subjicienda sunt.

§ 1. *De lege clausuræ.*

603. Clausura formaliter sumpta est lex canonica, qua prohibetur tum liber egressus religiosorum e conventu, tum aliorum liber ingressus in illum.

Sub lege clausuræ est totum illud spatium, quod intra septa monasterii, seu conventus continetur : id est, claustra, cellæ, officinæ, cænaculum, dormitorium, valetudinarium, coquina, etiam viridaria, seu horti et prata, nisi a clausura sint separata clavi et muro convenienti.

604. Q. I. Quænam lege clausuræ prohibeantur regularibus?

R. Prohibetur *a/* egressus e conventu; Trid. l. c. cap. 4.

b/ Et quidem severius, ingressus mulierum, idque sub pœna excommunicationis S. Pontifici reservatæ, ipso facto latæ tam in ingredientes, quam in superiores aliosve eas admittentes. Const. *Apostolicæ Sedis,* II. 7. Recipientes præterea ipso facto incurrunt privationem officiorum suorum, inhabilitatem ad ea et quævis alia, et suspensionem a divinis. Ben. XIV, const. *Regularis disciplinæ* 3 Jan. 1742.

Imperatrices tamen, Reginas, earumque filias et comitatum non cadere sub prohibitione, plerique auctores docent.

Ingressus virorum in clausuram regularium non ita stricte prohibetur. Eos tamen in certis temporibus et circumstantiis regulares recipere non possunt.

605. Q. II. Quænam lege clausuræ prohibeantur monialibus?

R. Tantus est clausuræ monialium rigor, ut,

a/ Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, « nemini liceat exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus. » *De statu reg. in 6;* Trid. l. c. cap. 5.

S. Pius V, const. *Decori,* tres causas determinat : sc. magnum incendium, lepram et epidemiam; quibus adjungi debent inundatio, ruina domus et aliæ æque graves, quas vide apud Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. XII, 26.

b/ Similiter et sub eadem pœna prohibetur omnibus, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, ne monialium monasteria ingrediantur, sine manifesta et legitima causa, ab Episcopo in scriptis pro-

banda. Pariter excommunicantur eos introducentes vel admittentes. Const. *Apostolicæ Sedis,* II. 6. Trid. *ibidem.*

Episcopus et superior regularis, cui monasterium subest, ingredi non possunt, nisi in casibus necessariis, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati.

Medici et chirurgi, de licentia superioris legitimi, possunt clausuram ingredi ad munia obeunda, quæ commode extra monasterium exercere non possunt. Confessarii autem, tam ordinarii, quam extraordinarii, absque speciali licentia possunt ingredi septa monasterii, ad sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ-unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium. Recole dicta supra n. 575 s.

§ 2. *De recessu a religione.*

Statum regularem, quem quis semel valide assumpsit, amplius dimittere nequit; ex quo fluit illud doctorum effatum : *Semel monachus, semper monachus.* Attamen a suscepta religione quandoque religiosus sive licite, sive illicite recedit. Hoc autem fit per *transitum ad alium ordinem;* per *ejectionem* vel *dimissionem ab ordine;* per *apostasiam et fugam;* per *dispensationem in votis,* et per *indultum,* quod *sæcularizationis* appellant.

606. *Per transitum ad alium ordinem.* Jura non permittunt transitum a regula strictiori ad laxiorem, nisi de licentia S. Sedis, et propter gravem omnino causam, quæ solet esse infirmitas vel debilitas.

Transitus ad ordinem æqualis rigiditatis, neque est prohibitus, neque permissus a jure. Hodie requiritur venia S. Pontificis.

Transitus ad arctiorem ordinem jure communi conceditur sub sequentibus conditionibus : ut fiat *a/* petita

prius, licet non obtenta, proprii Prælati licentia, et regulariter interveniente S. Sedis consensu, qui semper requiritur pro transitu superioris regularis; *b*/ ex causa laudabili; *c*/ absque gravi jactura, vel injuria ordinis a quo transitur.

Quævis autem translatio monialis votorum solemnium ad aliud monasterium, vel alium ordinem, ex S. Pii V const. *Decori,* 1 Febr. 1569, licentiam S. Pontificis requirit.

607. *Per ejectionem ex ordine.* Ejectus dicitur religiosus votorum solemnium, quem ob mores incorrigibiles superior e monasterio expulit. Causa ejiciendi debet esse gravissima, sc. excessus scandalosus et nocivus ordini, et quidem notorius.

Religiosus ejectus verus religiosus remanet, et vota ceteraque substantialia religionis onera observare debet, quantum patiuntur circumstantiæ præsentis ejus status; sc. castitatem perfecte, minus stricte paupertatem ac obedientiam, quam exhibere debet, non jam Prælato regulari, sed Ordinario loci.

Ejectus non fruitur ordinis privilegiis; tenetur gestare habitum clericalem; suspensus est ab exercitio ordinum suspensione S. Sedi reservata, et beneficium obtinere nequit.

Interea tenetur curare emendationem morum, ut in monasterio possit redintegrari, quo casu nova professione opus non est. Cf. Ben. XIV, l. c. cap. XI, 15, 18 s.

608. *Per dimissionem ab ordine.* Dimissionem vocamus recessum religiosi votorum simplicium. Dimissio fit aut consentiente professo, et hæc non est valida, nisi adsit justa causa; aut professo renitente, et hæc absque justa causa est invalida et illicita.

Dimissus est ipso facto a votis omnino solutus; hæcque ne meri voti ordinarii vim retinent. Cf. Ben. XIV, l. c. n. 21-26, 29.

609. *Per apostasiam et fugam.* Apostasia est criminosa discessio a religione animo non revertendi, idque sive habitu dimisso, sive retento. Differt a fuga in eo quod hæc fiat absque tali animo, et potius cum animo redeundi.

Attamen pœnæ statutæ in apostatas fere omnes etiam plectunt fugitivos; sed proprie respiciunt professos votorum solemnium. Sunt autem sequentes : *a/* suspensio ab ordinibus, quæ hodie tolli potest a superiore regulari vi privilegiorum; *b/* privatio privilegiorum ordinis. Trid. l. c. cap. 19; const. *Apostolicæ Sedis,* II. 5.

Præterea apostatæ aliis pœnis puniri possunt juxta ordinum constitutiones. Cf. Ben. XIV, l. c. n. 6-14.

610. *Per dispensationem in votis.* Hodie indubitatum est, potestatem dispensandi in votis solemnibus competere S. Pontifici, qui tamen ea uti non solet nisi gravissimis de causis. Ipsi etiam soli potestas est dispensandi in votis simplicibus, sive in aliquo eorum, emissis in instituto a S. Sede approbato; non autem superiori regulari, vel Episcopo.

In institutis autem non approbatis a S. Sede, potest Episcopus cum consensu instituti dispensare in voto obedientiæ et paupertatis regularium; et in iisdem votis monialium Galliæ et Belgii absque illo consensu, ex facultate ei a S. Sede concessa. Vide supra n. 575 s.

611. *Per indultum in sæculo degendi.* Religiosi qui talem facultatem a S. Sede, quæ sola eam concedere potest, obtinent, nequaquam, ut patet, sunt confundendi cum ejectis. Remanent autem votis obstricti, quamvis cum aliquo temperamento, ex ipsa præsentis eorum status conditione proveniente.

Indultum illud est, vel *ad tempus,* vel *in perpetuum.* Si prius, religiosus jus habet redeundi ad monasterium etiam durante indulto. Si posterius, jus illud non retinet, sed

ad hoc indiget consensu religionis, vel ipsius S. Sedis, si facultas illa locum tenuerit expulsionis.

Quando sæviente persecutione religiosi violenter disperguntur, remanent votis obligati, sicut statim dictum est.

De religiosis dispersis cf. Bouix, l. c. p. 346-360.

Articulus VI.

DE PRÆLATIS REGULARIBUS.

§ 1. *De nomine et varia specie Prælatorum regularium.*

612. Prælatus regularis est ille, qui auctoritate legitima præpositus est regendis religiosis.

613. Triplex generatim religionis Prælatus distinguitur, pro latitudine imperii quod quisque obtinet. Est enim vel *supremus,* si toti præsit religioni, et vocatur generalis, abbas, aut prior generalis, magister, minister, præpositus generalis; vel *medius,* si Prælatus superiorem et etiam inferiores habeat; communiter vocatur provincialis; vel *infimus,* seu localis, si uni tantum domui, vel monasterio præsit, ut prior, guarduanus, custos, rector, etc.

De dotibus, electione, confirmatione Prælatorum regularium et superiorissarum, seu abbatissarum monialium, vide Bouix, T. II. *de reg.* p. 411-424.

§ 2. *De potestate Prælatorum regularium.*

614. In institutis religiosis duplex est distinguenda potestas : *jurisdictionalis* et *dominativa.*

615. Potestas *jurisdictionis* omnino spiritualis est : pertinet ad potestatem clavium et a publico regiminis fonte promanat.

Omnes igitur ordines primario subjiciuntur R. Pontifici, et secundario Ordinario loci. Unde non necessario requiritur ut aliquis ex regularibus habeat potestatem jurisdictionis in religiosos. Attamen jam inde a sæculo XII, una cum generali exemptione, jurisdictio a RR. Pontificibus concessa fuit Prælatis ordinum exemptorum; qui omnes, etiam infimi, in religiosos suos habent jurisdictionem ordinariam fori interni et externi; suntque Prælati proprie dicti, habentes potestatem quasi-episcopalem. Ut in diversis materiis singillatim indicabitur infra, triplicem hæc jurisdictio complectitur potestatem, legislativam scilicet, judiciariam et coercitivam.

Superiores ordinum virorum a S. Sede approbatorum, sed non exemptorum, jurisdictionem habent, quam ipsis RR. Pontifices specialiter concesserunt. Superiores vero institutorum non approbatorum illam, quam Ordinarius loci eis delegavit. Pro iis igitur inspici debent indulta, regulæ, praxis.

Ex monasteriis monialium, quæ vota solemnia emittunt, alia subsunt Episcopo, alia Prælatis regularibus ejusdem ordinis. Quoad instituta non exempta, sed a S. Sede approbata, consulendæ sunt concessiones pontificiæ; in institutis autem a S. Sede non approbatis jurisdictio est penes Ordinarium loci.

616. Potestas *dominativa,* seu gubernativa, est jus acquisitum religioni et Prælatis ejus ad imperandum religiosis, et utendum operibus eorum, prout juxta instituti regulas et statuta expedire judicaverint. Orta est radicaliter ex libera voluntate profitentium, qui institutum amplexi sunt cum promissione et obligatione obediendi juxta regulas ejus.

Hæc igitur potestas pertinet ad substantiam status religiosi, et proinde necessario existit in quovis religioso instituto, tam virorum, quam fœminarum.

Vi potestatis dominativæ possunt superiores et superiorissæ :

1° Professis suis intimare quæcumque regulis sunt conformia, eorumque opera uti ad instituti finem, atque paternis pœnis in eos animadvertere.

2° Directe irritare eorum vota, exceptis votis substantialibus, aliisque his ex regula annexis, et voto ingrediendi strictiorem religionem. Cf. Dens, T. IV. n. 108.

3° Administrare bona ad institutum pertinentia, eaque in judicio et extra judicium tueri, et juxta mentem instituti dispensare.

4° Paternam instituere visitationem.

Ex his intelligitur quoad varia majorem esse potestatem jurisdictionis potestate dominativa. Sed observandum utramque ad eumdem actum concurrere posse, v. g. præcipiendo tum in virtute obedientiæ, tum sub pœna censuræ.

Articulus VII.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

In prænotionibus p. LXVI ex professo de privilegiis actum est; hic itaque tantum dicendum occurrit de communicatione et revocatione privilegiorum regularium, necnon speciatim de privilegio exemptionis.

§ 1. *De communicatione privilegiorum regularium.*

Triplici modo acquiritur privilegium : *concessione Principis, consuetudine legitima* et *communicatione.*

617. *Communicari* dicuntur privilegia, quando concessio privilegiorum uni ordini facta ad alios extenditur.

Communicatio privilegiorum (sub quo nomine intelliguntur etiam indulgentiæ aliique favores) inter regulares non fit *accessorie,* sed *pariformiter,* ut aiunt, æque

principaliter, id est, quod privilegium communicatum habeatur tanquam primario concessum, per se stet, nec sequatur vicissitudines principalis.

Privilegia personalia alicui religioso, et particularia ob specialem rationem concessa alicui ecclesiæ, altari, imagini, loco, etc., non communicantur. Idem dicendum est de iis, quæ conceduntur prohibita communicatione, et de exorbitantibus.

His præmissis, dicimus : 1° ordines mendicantes omnes et Societas Jesu habent inter se absolutam et plenissimam communicationem privilegiorum, prout unanimiter docent auctores, atque ex variis constitutionibus pontificiis, præsertim Julii II, Leonis X et Pii V manifeste patet. Reiff. L. V. *Decr.* tit. 33.

2° Mendicantes communicant etiam privilegiis non mendicantium; et hodie variis de causis etiam non mendicantes fere omnes communicant cum mendicantibus.

Communicatio currit de Prælatis ad Prælatos, de fratribus privatis (id est, sine prælatura) ad fratres privatos, de conventibus, ad conventus, de festivitatibus ad festivitates.

Ceterum hæc communicatio existit duntaxat inter ordines votorum solemnium, nisi aliis fuerit a S. Sede specialiter concessa.

De conservatoribus privilegiorum ac de Cardinalibus protectoribus ordinum, cf. Bouix, T. II. p. 157-173.

§ 2. *De privilegiorum regularium revocatione.*

618. A Tridentino non omnia quidem sunt revocata regularium privilegia ante Tridentinum concessa; sed ea tantum, quæ adversantur 1° decretis *Sess.* XXV *de reg.*; 2° cuicumque ejus decreto, munito clausula privilegiorum revocatoria. Cf. Trid. l. c. cap. 20 et 22.

Quoad cetera privilegia, Tridentinis decretis hujusmodi clausula non munitis contraria, nec *Sess.* XXV comprehensa, opinamur contra Reiff. l. c., Bouix aliosque, per const. *In Principis,* 17 Febr. 1565, præstitisse Pium IV, quod non fecerat Concilium Tridentinum; hac scilicet bulla revocasse privilegia et indulta quæcumque tandem, etiam regularium, in his omnibus et singulis, in quibus illa statutis et decretis Concilii contrariantur.

§ 3. *De privilegio exemptionis.*

619. Exemptio est privilegium, quo personæ, aut loca a jurisdictione Episcoporum, aut Ordinariorum liberantur et subtrahuntur, ac S. Pontifici immediate subjiciuntur.

Non obstante tamen exemptione, regulares in pluribus subsunt potestati Episcoporum, et ordinariæ, et delegatæ, ut vidimus supra n. 529 et 555 ss.

Privilegium exemptionis lege generali competit tantum conventui duodecim habenti religiosos, et viget apud omnes ordines virorum, in quibus vota solemnia emittuntur. Moniales vero votorum solemnium aliæ exemptæ sunt, aliæ non : exemptæ subsunt, vel superioribus regularibus ejusdem ordinis, vel Episcopis tanquam Sedis apostolicæ delegatis.

620. Q. An regulares et moniales Galliæ et Belgii hodie gaudeant privilegio exemptionis?

R. 1° *Regulares* affirmative. « SS. Domini Nostri voluntas est, aiebat Em. Card. Sterckx, Archiep. Mechl., ut regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit, *exemptio* conservetur, cujus utilitas ecclesiasticis sanctionibus longaque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæreticorum et incredulorum in illam odio comprobata est. »

2° *Moniales* Galliæ certo non sunt exemptæ. Idem affirmandum videtur de monialibus Belgii. Cf. supra n. 576.

Articulus VIII.

DE REGULARIBUS QUOAD DOCTRINAM, CURAM ANIMARUM ET DISCIPLINAM.

§ 1. *Quoad doctrinam et prædicationem Verbi divini.*

621. Ex Trid. *Sess.* IV, *de edit. et usu SS. Librorum,* regulares, etiam exempti, in causis fidei Episcopo subsunt; eorumque libri indigent approbatione, tum Episcopi, tum superioris regularis.

622. De prædicatione Verbi divini vide supra n. 334 et 354.

Potest autem Episcopus regulares extra ecclesias sui ordinis prædicare volentes, etiamsi ab aliis approbatos, examini suo subjicere, et defectu doctrinæ eis licentiam prædicandi denegare, vel concessam revocare. Præterea aliqua justa et rationabilis causa sufficit, ut Episcopus prohibeat ne regularis prædicet, non tantum in alienis, sed etiam in proprii ordinis ecclesiis. Non potest tamen omnibus simul alicujus ordinis regularibus prohibere, ne in ecclesiis sui ordinis prædicent.

§ 2. *Quoad curam animarum et administrationem sacramentorum.*

623. Hic bene animadvertendum, regulares esse vel exemptos, vel non exemptos, hosque vel approbatos a S. Sede, vel non approbatos.

Etenim I. Moniales et religiosi a solo Ordinario approbati ab eo pendent, et legi parochiæ subduntur. Solent

tamen Episcopi eorum instituta committere alicui sacerdoti ipsis præposito.

II. Religiosi non exempti, etsi a S. Sede approbati, ad administranda sacramenta, sive religiosis subditis, viris aut fœminis, sive sæcularibus, subjacent *per se* potestati ordinariæ Episcopi. Exceptiones, si quæ sint, deduci debent ex regulis, vel e peculiari concessione R. Pontificis, aut Ordinarii.

III. Quoad regulares exemptos distinguendum est.

624. 1° Respectu *subditorum* habent, ut vidimus jurisdictionem quasi-episcopalem; proinde ad eis administranda sacramenta, superiores aut religiosi ab eis delegati nulla indigent Episcopi, vel parochi approbatione aut licentia; et si in administratione delinquant, solius superioris regularis correctioni subjacent.

Nomine subditorum hic intelliguntur non tantum regulares professi, sed etiam novitii et familiares continui, seu sæculares famuli aut commensales, qui vere sunt de familia monasterii, seu domus regularium; ad quod tres requirit Tridentinum, l. c. conditiones; sc. *a/* ut actu monasterio inserviant; *b/* ut habitent septa seu claustra; *c/* ut vivant sub obedientia regularium, non quidem voto promissa, sed præstita ut solet a famulis præstari dominis in famulato perpetuo suscepto.

Alii sæculares etiam continuo intra septa habitantes, non ratione servitii, sed alia de causa, v. g. hospitii, et puellæ puerique, educationis causa in conventibus regularium et monialium degentes, æquiparantur reliquis sæcularibus. Cf. supra n. 469 ss.

Regulares exempti ad excipiendas confessiones *monialium exemptarum* indigent approbatione Episcopi. Si non subsint regularibus, Episcopus dat jurisdictionem una cum approbatione; sin autem ipsis subsint, jurisdictio datur a superiore regulari, approbatio ab Episcopo.

Sacramenta vero parochialia recipiunt moniales ab eo cui earum cura commissa est, et nequit parochus sese immiscere.

Quod dictum est de novitiis et familiaribus regularium, applicandum est novitiis et familiaribus monialium.

625. 2° Regulares exempti respectu *sæcularium,* vel habent curam animarum parochialem, quam suscipere nequeunt, nisi ex dispensatione pontificia; vel non habent, sed alio titulo sacramenta sæcularibus administrant.

Si prius, ex Trid. *Sess.* XXV, cap. 11 *de reg.*, « subsunt immediate in iis, quæ ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt sita » monasteria. Indigent igitur approbatione Ordinarii loci, et si in illa administratione delinquant, ab eo possunt puniri. In iisdem præterea subjacent potestati Episcopi, tanquam Sedis apostolicæ delegati, ex const. *Inscrutabili* Greg. XV anni 1622.

Ab hac subjectione Concilium ibidem excipit : *a/* monasteria seu loca, in quibus abbates generales, aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent; *b/* monasteria seu domus, « in quibus abbates, aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent. »

De variis dubiis quoad hoc punctum occurrentibus, consule Ben. XIV, const. *Firmandis,* an. 1744, (Bull. v. II. p. 449 § 5-11). Cf. supra n. 354.

Si posterius, indigent prævia Episcopi licentia et approbatione, *a/* ad valide excipiendas sæcularium confessiones, ex Trid. *Sess.* XXIII, cap. 15 *de ref.; b/* ad cetera administranda sacramenta, ex citata Gregorii XV constitutione.

Nihil generaliter expressit Tridentinum de potestate Episcopi contra exemptos, curam animarum parochia-

lem non habentes, et in administratione sacramentorum delinquentes; sed Gregorius XV eos subjecit delegatæ Ordinarii potestati. Ceterum declaravit S. C. Congregatio illam consititutionem non comprehendere personas *nullius diœcesis*.

His generatim præmissis, particularia quædam de singulo sacramento a regularibus exemptis servanda adjungimus.

626. *Quoad baptismum*. Religiosi utriusque sexus nequeunt esse susceptores, ne quidem per procuratorem. Hæc prohibitio respicit illos tantum, qui in jure veniunt nomine religiosorum; sed recta ratio postulat, ut etiam extendatur ad instituta ab Episcopo approbata. Ferr. v. *baptismus*, art. 6. Cf. supra n. 466; Past. Brug. *de patrinis* III.

627. *Quoad confirmationem*. Subditi regularium eam recipere debent ab Episcopo diœcesis; ratio est quod ea, quæ ab ordine episcopali proveniunt, teneantur regulares etiam exempti accipere ab Ordinario loci. Excipitur: *a/* si habeant speciale privilegium; *b/* si regularis nondum confirmatus ab alieno Episcopo sit Ordines suscepturus.

628. *Quoad missæ sacrificium*. Regulares exempti in suis ecclesiis missæ sacrificium libere celebrant, campanas pulsant etiam ante vel intra missam parochialem, excepto Sabbato Sancto, quo eas pulsare non possunt antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ loci; et fideles ibidem satisfaciunt præcepto audiendi sacrum diebus dominicis et festis. Cf. supra n. 444.

Verum regularibus non licet admittere sacerdotes exteros, sive sæculares, sive regulares alterius ordinis, nisi servatis statutis diœcesis et decretis Tridentini. Vide supra n. 461 sub *b/*.

629. *Quoad SS. Eucharistiam*. Regulares exempti in suis ecclesiis et oratoriis domuum religiosarum possunt:

a/ omnibus anni diebus SS. Eucharistiam subditis suis libere administrare; *b*/ possunt eam ministrare reliquis fidelibus per totum annum, excepto die Paschatis. Hi tamen ibi communicando, præcepto communionis paschalis non satisfaciunt, nisi parochi, vel Ordinarii sui licentiam obtinuerint. Cf. supra n. 468.

Verumtamen prohibetur ne regulares, absque dicta licentia, extra necessitatem, eam aliis quam subditis suis ministrent *per modum Viatici,* idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ et Sedi apostolicæ reservatæ. Cf. const. *Apostolicæ Sedis* II. 14.

Prohibitum ipsis quoque est eam ita ministrare extra domum religiosam *devotionis causa,* saltem si publice fiat.

c/ Quod ad expositionem SS. Sacramenti attinet, ex variis SS. Congregationum decretis constat, regularibus nefas esse SS. Sacramentum exponere ex causa publica, nisi eam Ordinarius approbaverit. Excipitur expositio intra hebdomadam Corporis Christi, inter missarum solemnia et ad vesperas. Ast ex causa privata id ipsis licet sine Episcopi licentia, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit.

630. *Quoad sacramentum pœnitentiæ.* Distinctione hic opus est. Ad excipiendas confessiones *sæcularium* regulares exempti, juxta communiorem sententiam, immediate a S. Pontifice jurisdictionem accipiunt. Ut autem illas valide excipiant, requiritur præterea ut habeant vel curam parochialem, vel approbationem Episcopi, in cujus diœcesi confessiones sunt excipiendæ.

De approbatione regularium late disserunt Gury, *de pœn.* n. 557 ss.; Theol. Mechl. *de pœn.* n. 68 et 69.

Obtenta licet approbatione ad excipiendas confessiones sæcularium, non possunt regulares, absque speciali licentia, illos absolvere a casibus Episcopo reservatis;

ab hæresi, licet occulta, aliisve casibus Bullæ Cœnæ; a falsa accusatione de sollicitatione contra confessarium; ab absolutione data complici in peccato turpi; ab acceptatione muneris notabilis dati a religiosis, nisi restitutione facta.

Ad excipiendas vero confessiones *subditorum,* regulares exempti accipiunt approbationem a superioribus sui monasterii, vel ordinis, simul cum jurisdictione.

Possunt eos absolvere a casibus et censuris soli Episcopo reservatis; non vero a casibus per superiores regulares reservatis, nisi facultatem a superiore acceperint. Cf. const. *Ap. Sedis,* al. *ceterum* in fine.

631. Hac occasione Q. I. Quibusnam confiteri debeant regulares exempti et moniales?

R. ad 1^m. Regulares exempti, in conventu degentes, non possunt absque licentia superioris, valide confiteri aliis quam proprii ordinis confessariis. Verumtamen regulares *in itinere,* si desit socius ejusdem ordinis idoneus, et tempore jubilæi confiteri possunt cuilibet sacerdoti approbato, sive regulari, sive sæculari.

Novitii vero ac vere familiares, nisi specialis in aliquo ordine existat prohibitio cum decreto irritante, valide confiteri possunt sacerdoti approbato, etiam sæculari vel alterius ordinis, sine superioris licentia.

R. ad 2^m. Moniales etiam exemptæ et regularibus subjectæ, confiteri non possunt nisi sacerdoti specialiter pro ipsis approbato ab Episcopo loci. Id autem intelligitur de monialibus votorum solemnium, earum novitiis, aliisque fœminis intra clausuram degentibus; aliæ enim religiosæ a communi confessario absolvi possunt, nisi speciatim excipiantur ab Episcopo, ut communiter locum habet. Cf. Stat. Brug. p. 105; Gury, n. 565 s.

632. Q. II. Quotuplex sit confessarius monialium?

R. Confessarius monialium est, vel *ordinarius,* vel *extraordinarius.*

Ordinarius est ille, qui regulariter sacramentum pœnitentiæ communitati administrat.

Extraordinarius vero ille, qui certis anni temporibus ab Episcopo et aliis superioribus monialibus conceditur. Uterque deputatur a superiori regulari, si agatur de monialibus quæ sunt subjectæ regularibus; secus ab Episcopo, qui omni casu dare debet utrique specialem suam approbationem.

Jubet Tridentinum, *Sess.* XXV, cap. 10 *de reg.,* ut confessarius extraordinarius, coram quo se sistere debent omnes personæ intra claustra degentes, saltem bis, aut ter in anno offeratur; et quamvis lex illa de solis loquatur monialibus sub clausura pontificia viventibus, Benedictus XIV tamen, const. *Pastoralis* (Bull. v. VI. p. 190), enixe hortatur Ordinarios, ut eamdem servent disciplinam erga omnes pias fœminas collegialiter viventes.

Tempore deputationis confessarii extraordinarii, expedit ut ordinarius ad monasterium, vel piam domum non accedat. Cf. Stat. Brug. l. c.

Quod ad potestatem confessarii, sive sæcularis, sive regularis monialium generatim attinet, consideranda est tum potestas, quæ ipsi, sive ex privilegio ordinis sui, sive aliunde, competit; tum potestas, quæ ipsi accedit ex privilegiis instituto monialium concessis.

633. *Quoad extremam-unctionem.* In hujus sacramenti administratione, sub eadem pœna a regularibus servandæ sunt regulæ, quas supra pro administrando SS. Viatico præscriptas comperimus.

Sed quæri hic potest a quo debeant regulares recipere sacra olea?

R. Dist. Regulares parochi tenentur ea recipere ab Episcopo loci; regulares vero non parochi debent solum oleum infirmorum ab eodem recipere.

634. *Quoad sacramentum ordinis,* remissive ad tract. *de sacris ordinationibus.*

635. *Quoad matrimonium.* Post Tridentinum, *Sess.* XXIV, cap. 1 *de ref. matr.* regularis, absque parochi, vel Episcopi licentia matrimonium solemnizans, incurrit ipso facto suspensionem Ordinario reservatam. Hæc pœna afficit tum solam benedictionem solemnem, tum assistentiam, seu conjunctionem matrimonii.

§ 3. *Quoad disciplinam.*

636. *Quoad disciplinam generalem* tenentur regulares etiam exempti : 1° servare dies festos, quos in diœcesi sua servandos Episcopus præceperit. Trid. *Sess.* XXV, cap. 12 *de reg.* Cf. Bouix, *de jure liturg.* p. 519.

2° Ad publicas processiones vocati accedere, iis tantum exceptis, qui vel in strictiori clausura perpetuo vivunt, ut Carthusiani, Camaldulenses; vel indulto speciali Sedis apostolicæ gaudent, ut Clerici regulares Scholarum Piarum. *Ibidem,* cap. 13. Cf. *Decr.* Congr. dec. Brug. anni 1852, art. 14 et 16.

3° Servare jejunia ab Ordinario præscripta, si ab antiquo ea servare consueverunt. Ben. XIV, *de Syn.* L. XIII. cap. IV, 5.

4° Abstinere a publicatione novarum indulgentiarum, et ab expositione insolitæ imaginis, vel novarum reliquiarum, nisi Episcopi licentiam obtinuerint. Trid. *Sess.* XXI, cap, 9, et XXV, *Decr. de invoc.; de Indulg.*

637. *Quoad disciplinam regularem* ita subjacent suis superioribus regulares exempti, ut ne quidem in casu negligentiæ superioris possit Episcopus sese immiscere. Cf. Trid. *Sess.* XXV, *de reg.* cap. 1, 20-22.

Nonnulla tamen Tridentinum Episcopo commisit quoad hujus disciplinæ observantiam : *a/* præsertim respectu

religiosorum extra conventum degentium; sic quoad visitationem et correctionem; Trid. l. c. cap. 4, 14 et 19; quoad generales congregationes; *ibidem,* cap. 8, etc. Cf. supra, n. 354 et 607.

b/ Respectu monialium, quoad clausuram, Trid. l. c. cap. 5; quoad electionem superiorissæ, cap. 7; quoad curam spiritualem, cap. 10; quoad explorationem voluntatis, cap. 17 et 18. Cf. supra, n. 355, 576 et 603 ss.

Singillatim autem notandum est, Episcopum amota appellatione, et non obstantibus quibuscumque, omnes controversias de præcedentia, ortas etiam inter regulares, componere posse. Trid. l. c. cap. 13. Cf. Ferraris, v. *Præcedentia.*

Nota quoque Episcopum regularibus suæ diœcesecos non posse prohibere mendicationem, bene vero regularibus monasterii extra diœcesim existentis.

De bonis novitiorum recole dicta supra, n. 596. De erectione monasteriorum, et de administratione bonorum regularium dicetur in tr. *De locis et rebus eccl.*

Porro ad disciplinam regularem tuendam duplex a Tridentino præscribitur medium adhibendum : scilicet celebratio capitulorum generalium, et visitatio monasteriorum.

A. De capitulis regularibus.

638. Capitula regularium sunt vel *conventualia,* vel *universalia,* seu *generalia.*

Quemadmodum Episcopus in regimine diœceseos, indiget interdum consilio, interdum etiam consensu sui Capituli, ita et Prælatus regularis in gubernando monasterio.

Ad istud capitulum, quod *conventuale* dicitur, convocandi sunt hodie omnes conventus professi in sacris constituti. Trid. *Sess.* XXII, cap. *4 de ref.*

In quibus autem negotiis *consensum,* vel *consilium* tantum capituli Prælatus regularis adhibere teneatur, partim expressum est in jure, L. III. *Decr.* tit. 22, cap. 4, *de fidejuss.; ibid.* tit. 23, cap. 2, *de solut.; ibid.* tit. 10, cap. 6, *de his quæ fiunt a Præl.,* partim pendet a variis ordinum constitutionibus.

Loco capituli quidam Prælati, præsertim ordinum recentiorum, utuntur consiliariis, qui *seniores, definitores, consultores, assistentes* audiunt, sine quorum consilio, aut consensu pro rei arduitate et constitutionum exigentia, negotia expedire nequeunt.

Præter capitulum conventuale, datur et universale, seu *generale,* ad quod ex toto ordine convocandi sunt abbates, rectores, aut ceteri omnes, quibus ex consuetudine aut constitutionibus id juris competit.

In his capitulis, ad normam Conciliorum provincialium, vel etiam generalium institutis, tractantur negotia, quæ totam religionem concernunt. Jubet autem Tridentinum, *de reg.* cap. 8, post Conc. Lat. IV, ut quolibet triennio celebrentur.

B. De visitatione.

639. Jus visitandi oritur ex jurisditione in foro externo, eique conjunctum est. Trid. *Sess.* XXIV, cap. 3 *de ref.* Vide supra, n. 338.

Quoad *viros religiosos,* jus visitandi eorum loca, res et personas solis eorum superioribus regularibus competit. Episcopo jus visitandi tantum est in casibus exceptis, de quibus supra, n. 637. Cf. Trid. *de reg.,* cap. 8 et 20.

Quoad *moniales* distinguendum est : si non sint exemptæ, visitandæ sunt per Episcopum jure ordinario; si sint exemptæ, sed non subjectæ regularibus, per Episcopum jure delegato; si tandem sint exemptæ et re-

gularibus subjectæ, per superiores regulares. Verumtamen hæ quoque subjiciuntur visitationi Episcopi, quoad clausuram et quoad rationes administrationis bonorum. Cf. Bouix, T. II. p. 475 et 322; Trid. l. c. cap. 9.

De benedictione ecclesiarum et cœmeteriorum, necnon de sepultura regularium dicetur in tract. *De locis et rebus eccl.*

APPENDICES.

I.

REGULÆ JURIS CANONICI.

A. Gregorii IX, in V lib. Decretalium.

1. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
2. Facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.
3. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.
4. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.
5. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.
6. In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum.
7. Quidquid in sacratis Deo rebus, et Episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur.
8. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debeat, facit, et ideo jam non facit.
9. Offendens in uno factus est omnium reus.
10. Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et Pastor nescit.
11. Indignum est, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

B. Bonifacii VIII, in VI lib. Decretalium.

1. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.
2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.
3. Sine possessione præscriptio non procedit.
4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
5. Peccati venia non datur nisi correcto.
6. Nemo potest ad impossibile obligari.

7. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.

8. Semel malus, semper præsumitur esse malus.

9. Ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum.

10. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.

11. Cum sunt partim jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.

12. In judiciis non est acceptio personarum habenda.

13. Ignorantia facti, non juris excusat.

14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.

15. Odia restringi, et favores convenit ampliari.

16. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.

17. Indultum a Jure beneficium non est alicui auferendum.

18. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

19. Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

21. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse.

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea, quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsisunt.

27. Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus.

28. Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

30. In obscuris minimum est sequendum.

31. Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

32. Non licet actori, quod reo licitum non existit.

33. Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.

34. Generi per speciem derogatur.

35. Plus semper in se continet quod est minus.

36. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

37. Utile non debet per inutile vitiari.

38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

40. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

43. Qui tacet, consentire videtur.

44. Is, qui tacet, non fatetur : sed nec utique negare videtur.

45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

46. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

47. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, et jactura.

49. In pœnis benignior est interpretatio facienda.

50. Actus legitimi conditionem non recipiant, neque diem.

51. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.

52. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

54. Qui prior est tempore, potior est jure.

55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.

56. In re communi potior est conditio prohibentis.

57. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

58. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem.

60. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

62. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

63. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

64. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

65. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

66. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

68. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.

69. In malis promissis fidem non expedit observari.

70. In alternativis electoris (debitoris) est electio, et sufficit alterum adimpleri.

71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

72. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.

73. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.

75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.

76. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

80. In toto partem non est dubium contineri.

81. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

82. Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

83. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

84. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

86. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

87. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

88. Certum est, quod his committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

III.

SYLLABUS

complectens præcipuos nostræ ætatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis, aliisque Apostolicis Litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX.

§ 1.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iccirco immutationibus obnoxius ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846.
Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 Martii 1856.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

VII. Prophetiæ et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

§ 2.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, iccirco thologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 Decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 Decembris 1862.
Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 Decembris 1862.
Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 Decembris 1862

XII. Apostolicæ Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohærent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 Junii 1857, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 Aprilis 1860.

§ III.

Indifferentissimus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846.
Alloc. *Ubi primum* 17 Decembris 1847.
Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 Martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 Decembris 1854.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 Augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 Decembris 1849.

§ IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 Decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9 Decembris 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur mœrore* 10 Augusti 1863.

§ V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 Decembris 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 Septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXV. Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris 1856.
Epist. encycl. *Incredibili* 17 Septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris 1856.

XXIX. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tamquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris 1856.

XXX. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.
Alloc. *Numquam fore* 15 Decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus maxime in societate ad formam liberioris regimis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 Septembris 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis po-

testatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia doctrina est, quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio res ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris 1860.
Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 Martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862

XL. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846.
Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1 Novembris 1850.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas ecclesiæ pastores ad conscientiarum norman pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum adminstratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali* 1 Novembris 1850.
Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in dilectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali* 1 Novembris 1850.
Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 Septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac

publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opiniorum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 Julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 Julii 1864.

IL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant diœcesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris 1856.

LI. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplicer inter* 10 Junii 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunqam fore* 15 Decembris 1856.

LIII. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac

collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.
Alloc. *Probe memineritis* 22 Januarii 1855.
Alloc. *Cum sæpe* 26 Julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

LVIII. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ, quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10 Augusti 1863.

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 Martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28 Septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846.
Alloc. *Quibus vestrum* 4 Octobris 1847.
Epist. encycl. *Noscitis et nobiscum* 8 Decembris 1849.
Litt. Apost. *Cum catholica* 26 Martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849.

§ VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.
Lettera di S. S. Pio IX al. Re di Sardegna, 9 Settembre 1852.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 Decembris 1860.

LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. (Confodiuntur, prior in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846, posterior in Litteris Apost. *Multiplices inter* 10 Junii 1851.)

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849.

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. (Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 Martii 1860; in Alloc. *Novos* 28 Septembris 1860; in Alloc. *Jamdudum* 18 Martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.)

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 Julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populores mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 Decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 Martii 1861.

III.

ARTICLES ORGANIQUES DU CONCORDAT.

Loi du 18 Germinal an X (8 Avril 1802).

TITRE PREMIER.

DU RÉGIME DE L'ÉGLISE CATHOLIQUE DANS SES RAPPORTS GÉNÉRAUX AVEC LES DROITS ET LA POLICE DE L'ÉTAT.

ART. 1. Aucune bulle, bref, rescrit, décret, mandat, provision, signature servant de provision, ni autres expéditions de la Cour de Rome, même ne concernant que les particuliers, ne pourront être reçus, publiés, imprimés, ni autrement mis à exécution, sans l'autorisation du gouvernement.

2. Aucun individu se disant nonce, légat, vicaire, ou commissaire apostolique, ou se prévalant de toute autre dénomination, ne pourra, sans la même autorisation, exercer sur le sol français ni ailleurs aucune fonction relative aux affaires de l'Église gallicane.

3. Les décrets des synodes étrangers, même ceux des conciles généraux, ne pourront être publiés en France, avant que le gouvernement en ait examiné la forme, leur conformité avec les lois, droits et franchises de la République française, et tout ce qui, dans leur publication, pourrait altérer ou intéresser la tranquillité publique.

4. Aucun concile national ou métropolitain, aucun synode diocésain, aucune assemblée délibérante, n'aura lieu sans la permission expresse du gouvernement.

5. Toutes les fonctions ecclésiastiques seront gratuites, sauf les oblations qui seraient autorisées et fixées par les règlements.

6. Il y aura recours au conseil d'État dans tous les cas d'abus de la part des supérieurs et autres personnes ecclésiastiques. — Les cas d'abus sont, l'usurpation ou l'excès de pouvoir, la contravention aux lois et règlements de la République, l'infraction des règles consacrés par les canons reçus en France, l'attentat aux libertés, franchises et coutumes de l'Église gallicane, et toute entreprise ou tout procédé qui, dans l'exercice du culte, peut compromettre l'honneur des citoyens, troubler arbitrairement leur conscience, dégénérer contre eux en oppression ou en injure, ou en scandale public.

+ 7. Il y aura pareillement recours au conseil d'État, s'il est porté atteinte à l'exercice public du culte, et à la liberté que les lois et les règlements garantissent à ses ministres.

+ 8. Le recours compétera à toute personne intéressée. A défaut de plainte particulière, il sera exercé d'office par les préfets. — Le fonctionnaire public, l'ecclésiastique ou la personne qui voudra exercer ce recours, adressera un mémoire détaillé et signé, au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes, lequel sera tenu de prendre, dans le plus court délai, tous les renseignements convenables; et sur son rapport, l'affaire sera suivie et définitivement terminée dans la forme administrative, ou renvoyée, selon l'exigence des cas, aux autorités compétentes.

TITRE II.

DES MINISTRES.

Section I. *Dispositions générales.*

9. Le culte catholique sera exercé sous la direction des archevêques et évêques dans leurs diocèses, et sous celle des curés dans leurs paroisses.

10. Tout privilége portant exemption ou attribution de la juridiction épiscopale, est aboli.

11. Les archevêques et évêques pourront, avec l'autorisation du gouvernement, établir dans leurs diocèses des chapitres cathédraux et des séminaires. Tous autres établissements ecclésiastiques sont supprimés.

12. Il sera libre aux archevêques et évêques d'ajouter à leur nom le titre de *Citoyen* ou de *Monsieur*. Toutes autres qualifications sont interdites.

Section II. *Des archevêques ou métropolitains.*

13. Les archevêques consacreront et installeront leurs suffragants. En cas d'empêchements ou de refus de leur part, ils seront suppléés par le plus ancien évêque de l'arrondissement métropolitain.

14. Ils veilleront au maintien de la foi et de la discipline dans les diocèses dépendant de leur métropole.

15. Ils connaîtront des réclamations et des plaintes portées contre la conduite et les décisions des évêques suffragants.

SECTION III. *Des évêques, des vicaires-généraux et des séminaires.*

16. On ne pourra être nommé évêque avant l'âge de trente ans, et si on n'est originaire Français.

17. Avant l'expédition de l'arrêté de nomination, celui ou ceux qui seront préposés, seront tenus de rapporter une attestation de bonnes vie et mœurs, expédiée par l'évêque dans le diocèse duquel ils auront exercé les fonctions du ministère ecclésiastique; et ils seront examinés sur leur doctrine par un évêque et deux prêtres qui seront commis par le premier consul, lesquels adresseront le résultat de leur examen au conseiller d'état chargé de toutes les affaires concernant les cultes.

18. Le prêtre nommé par le premier consul fera les diligences pour rapporter l'institution du pape. — Il ne pourra exercer aucune fonction, avant que la bulle portant son institution ait reçu l'attache du gouvernement, et qu'il ait prêté en personne le serment prescrit par la convention passée entre le gouvernement français et le saint-siége. — Ce serment sera prêté au premier consul, il en sera dressé procès-verbal par le secrétaire d'État.

19. Les évêques nommeront et institueront les curés. Néanmoins ils ne manifesteront leur nomination, et ils ne donneront l'institution canonique, qu'après que cette nomination aura été agréée par le premier consul.

20. Ils seront tenus de résider dans leur diocèse; ils ne pourront en sortir qu'avec la permission du premier consul.

21. Chaque évêque pourra nommer deux vicaires-généraux, et chaque archevêque pourra en nommer trois : ils les choisiront parmi les prêtres ayant les qualités requises pour être évêque.

22. Ils visiteront annuellement et en personne une partie de leur diocèse, et, dans l'espace de cinq ans, le diocèse entier. — En cas d'empêchement légitime, la visite sera faite par un vicaire-général.

23. Les évêques seront chargés de l'organisation de leurs séminaires, et les règlements de cette organisation seront soumis à l'approbation du premier consul.

24. Ceux qui seront choisis pour l'enseignement dans les séminaires, souscriront la déclaration faite par le clergé de France en 1682, et publiée par un édit de la même année : ils se soumettront à y enseigner la doctrine qui y est contenue, et les évêques adresseront une expédition en forme de cette soumission au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes.

25. Les évêques enverront, toutes les années, à ce conseiller d'État, le nom des personnes qui étudieront dans les séminaires, et qui se destineront à l'état ecclésiastique.

26. Ils ne pourront ordonner aucun ecclésiastique, s'il ne justifie d'une propriété produisant au moins un revenu annuel de trois cents francs, s'il n'a atteint l'âge de vingt-cinq ans, et s'il ne réunit les qualités requises par les canons reçus en France. — Les évêques ne feront aucune ordination avant que le nombre des personnes à ordonner ait été soumis au gouvernement et par lui agréé.

Section iv. *Des curés.*

27. Les curés ne pourront entrer en fonctions qu'après avoir prêté, entre les mains du préfet, le serment prescrit par la convention passée entre le gouvernement et le saint-siége. Il sera dressé procès-verbal de cette prestation par le secrétaire général de la préfecture, et copie collationnée leur en sera délivrée.

28. Ils seront mis en possession par le curé ou le prêtre que l'évêque désignera.

29. Ils seront tenus de résider dans leurs paroisses.

30. Les curés seront immédiatement soumis aux évêques dans l'exercice de leurs fonctions.

31. Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés. — Ils seront approuvés par l'évêque et révocables par lui.

32. Aucun étranger ne pourra être employé dans les fonctions du ministère ecclésiastique sans la permission du gouvernement.

33. Toute fonction est interdite à tout ecclésiastique, même français, qui n'appartient à aucun diocèse.

34. Un prêtre ne pourra quitter son diocèse pour aller desservir dans un autre, sans la permission de son évêque.

Section v. *Des chapitres cathédraux, et du gouvernement des diocèses pendant la vacance du siége.*

35. Les archevêques et évêques qui voudront user de la faculté qui leur est donnée d'établir des chapitres, ne pourront le faire sans avoir rapporté l'autorisation du gouvernement, tant pour l'établissement lui-même que pour le nombre et le choix des ecclésiastiques destinés à les former.

36. Pendant la vacance des siéges, il sera pourvu par le métropolitain, et, à son défaut, par le plus ancien des évêques suffragants, au gouvernement des diocèses. — Les vicaires-généraux de ces diocèses continueront leurs fonctions, même après la mort de l'évêque, jusqu'à son remplacement.

37. Les métropolitains, les chapitres cathédraux, seront tenus, sans délai, de donner avis au gouvernement de la vacance des siéges, et des mesures qui auront été prises pour le gouvernement des diocèses vacants.

38. Les vicaires-généraux qui gouverneront pendant la vacance, ainsi que les métropolitains ou capitulaires, ne se permettront aucune innovation dans les usages et coutumes des diocèses.

TITRE III.

DU CULTE.

39. Il n'y aura qu'une liturgie et un catéchisme pour toutes les églises catholiques de France.

40. Aucun curé ne pourra ordonner des prières publiques extraordinaires dans sa paroisse, sans la permission spéciale de l'évêque.

41. Aucune fête, à l'exception du dimanche, ne pourra être établie sans la permission du gouvernement.

42. Les ecclésiastiques useront, dans les cérémonies religieuses, des habits et ornements convenables à leur titre : ils ne pourront, dans aucun cas ni sous aucun prétexte, prendre la couleur et les marques distinctives réservées aux évêques.

43. Tous les ecclésiastiques seront habillés à la française et en noir. — Les évêques pourront joindre à ce costume la croix pastorale et les bas violets.

44. Les chapelles domestiques, les oratoires particuliers, ne pourront être établis sans une permission expresse du gouvernement, accordée sur la demande de l'évêque.

45. Aucune cérémonie religieuse n'aura lieu hors des édifices consacrés au culte catholique, dans les villes où il y a des temples destinés à différents cultes.

46. Le même temple ne pourra être consacré qu'à un même culte.

47. Il y aura, dans les cathédrales et paroisses, une place dis-

tinguée pour les individus catholiques qui remplissent les fonctions civiles et militaires.

48. L'évêque se concertera avec le préfet pour régler la manière d'appeler les fidèles au service divin par le son des cloches. On ne pourra les sonner pour toute autre cause, sans la permission de la police locale.

49. Lorsque le gouvernement ordonnera des prières publiques, les évêques se concerteront avec le préfet et le commandant militaire du lieu, pour le jour, l'heure et le mode d'exécution de ces ordonnances.

50. Les prédications solennelles appelés *sermons*, et celles connues sous le nom de *stations* de l'avent et du carême, ne seront faites que par des prêtres qui en auront obtenu une autorisation spéciale de l'évêque.

51. Les curés, aux prônes des messes paroissiales, prieront et feront prier pour la prospérité de la République française et pour les consuls.

52. Ils ne se permettront, dans leurs instructions, aucune inculpation directe ou indirecte, soit contre les personnes, soit contre les autres cultes autorisées dans l'État.

53. Ils ne feront au prône aucune publication étrangère à l'exercice du culte, si ce n'est celles qui seront ordonnées par le gouvernement.

54. Ils ne donneront la bénédiction nuptiale qu'à ceux qui justifieront, en bonne et due forme, avoir contracté mariage devant l'officier civil.

55. Les registres tenus par les ministres du culte, n'étant et ne pouvant être relatifs qu'à l'administration des sacrements, ne pourront, dans aucun cas, suppléer les registres ordonnés par la loi pour constater l'état civil des Français.

56. Dans tous les actes ecclésiastiques et religieux, on sera obligé de se servir du calendrier d'équinoxe établi par les lois de la République; on désignera les jours par les noms qu'ils avaient dans le calendrier des solstices.

57. Le repos des fonctionnaires publics sera fixé au Dimanche.

TITRE IV.

DE LA CIRCONSCRIPTION DES ARCHEVÊCHÉS, DES ÉVÊCHÉS ET DES PAROISSES; DES ÉDIFICES DESTINÉS AU CULTE, ET DU TRAITEMENT DES MINISTRES.

SECTION I. *De la circonscription des archevêchés et des évêchés.*

58. Il y aura en France dix archevêchés ou métropoles et cinquante évêchés.

59. La circonscription des métropoles et des diocèses sera faite conformément au tableau ci-joint.

SECTION II. *De la circonscription des paroisses.*

60. Il y aura au moins une paroisse dans chaque justice de paix. — Il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger.

61. Chaque évêque, de concert avec le préfet, réglera le nombre et l'étendue de ces succursales. Les plans arrêtés seront soumis au gouvernement, et ne pourront être mis à exécution sans son autorisation.

62. Aucune partie du territoire français ne pourra être érigée en cure ou en succursale, sans l'autorisation expresse du gouvernement.

63. Les prêtres desservant les succursales sont nommés par les évêques.

SECTION III. *Du traitement des ministres.*

64. Le traitement des archevêques sera de 15,000 fr.

65. Le traitement des évêques sera de 10,000 fr.

66. Les curés seront distribués en deux classes. — Le traitement des curés de la première classe sera porté à 1500 fr.; celui des curés de la deuxième classe, à 1000 fr. (*).

(*) En Belgique depuis l'arrêté royal du 28 Mai 1865, les traitements des membres du clergé catholique sont fixés comme suit :

Évêques, 16,000 francs.
Curés de 1re classe, 2,047 fr. 50 cs.
Curés de 2e classe, âgés de moins de 60 ans, 1,365 fr.
Id. âgés de 60 à 70 ans, 1,500 fr.
Id. âgés de 70 ans et au-dessus, 1,600 fr.
Desservants, âgés de moins de 60 ans, 950 fr.
Id. âgés de 60 à 70 ans, 1,100 fr.
Id. âgés de 70 ans et au-dessus, 1,200 fr.
Vicaires, âgés de moins de 60 ans, 600 fr.
Id. âgés de 60 à 70 ans, 700 fr.
Id. âgés de 70 ans et au-dessus, 800 fr.
Coadjuteurs des curés, 600 fr.

67. Les pensions dont ils jouissent en exécution des lois de l'Assemblée constituante seront précomptées sur leur traitement. — Les conseils généraux des grandes communes pourront, sur leurs biens ruraux ou sur leurs octrois, leur accorder une augmentation de traitement, si les circonstances l'exigent.

68. Les vicaires et desservants seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés en exécution des lois de l'Assemblée constituante. — Le montant de ces pensions et le produit des oblations formeront leur traitement.

69. Les évêques rédigeront les projets de règlement relatifs aux oblations que les ministres du culte sont autorisés à recevoir pour l'administration des sacrements. Les projets de règlement rédigés par les évêques ne pourront être publiés, ni autrement mis à exécution, qu'après avoir été approuvés par le gouvernement.

70. Tout ecclésiastique pensionnaire de l'État sera privé de sa pension, s'il refuse, sans cause légitime, les fonctions qui pourront lui être confiées.

71. Les conseils généraux de département sont autorisés à procurer aux archevêques et évêques un logement convenable.

72. Les presbytères et les jardins attenants, non aliénés, seront rendus aux curés et aux desservants des succursales. A défaut de ces presbytères, les conseils généraux des communes sont autorisés à leur procurer un logement et un jardin.

73. Les fondations qui ont pour objet l'entretien des ministres et l'exercice du culte ne pourront consister qu'en rentes constituées sur l'État : elles seront acceptées par l'évêque diocésain, et ne pourront être exécutées qu'avec l'autorisation du gouvernement.

74. Les immeubles, autres que les édifices destinés au logement et des jardins attenants, ne pourront être affectés à des titres ecclésiastiques, ni possédés par les ministres du culte à raison de leur fonction.

Section iv. *Des édifices destinés au culte.*

75. Les édifices anciennement destinés au culte catholique, actuellement dans les mains de la nation à raison d'un édifice par cure et par succursale, seront mis à la disposition des évêques par arrêtés du préfet du département. Une expédition de ces arrêtés sera adressée au conseiller d'État chargé de toutes les affaires concernant les cultes.

76. Il sera établi des fabriques pour veiller à l'entretien et à la conservation des temples, à l'administration des aumônes.

77. Dans les paroisses où il n'y aura point d'édifice disponible pour le culte, l'évêque se concertera avec le préfet pour la désignation d'un édifice convenable.

Suivent 44 articles organiques du culte protestant.

IV.

DECRETUM S. CONGREGATIONIS RITUUM DIEI 10 DEC. 1703,

circa jura parochialia, functiones et præeminentias inter parochos et confraternitates laicorum, earumque capellanos et officiales.

URBIS ET ORBIS.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter parochos et confraternitates sæculares, earumque capellanos et officiales, super juribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque præeminentiis seu prærogativis frequenter exoriri solent; in Sacra Rituum Congregatione ab eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Coloredo propositis infra scriptis dubiis, videlicet :

I. An confraternitates laicorum, legitime erectæ in ecclesiis parochialibus, habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?

II. An dictæ confraternitates erectæ in capellis vel oratoriis, tam publicis, quam privatis, adnexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones?

III. An confraternitates erectæ in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a parocho, intra cujus parochiæ limites sitæ sunt ecclesiæ? — negative ad 3. 4.

IV. An confraternitates erectæ in oratoriis, tum publicis, tum privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a parocho?

V. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum sint de juribus mere parochialibus? — negative

VI. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de juribus mere parochialibus? negative ad 1. sunt functiones parochiales = debent fieri a parocho

VII. An functiones omnes hebdomadæ sanctæ sint de juribus mere parochialibus?

VIII. An celebratio missæ solemnis feria V in Cœna Domini sit de dictis juribus parochialibus? — neg. sed est functio parochialis —

IX. An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis juribus parochialibus? — neg. sed spectat ad ecc. dignioram.

X. An celebratio missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus parochialibus?

XI. An expositio quadraginta horarum, et benedictio quæ fit super populo sit de dictis juribus mere parochialibus?

XII. An expositio quæ fit cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio quæ cum eis fit super populo, sit de dictis juribus parochialibus?

XIII. An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressæ, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parocho?

XIV. An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horæ canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia parochi?

XV. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio missæ privatæ, assentiente Ordinario loci, et contradicente parocho.

XVI. An capellani confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia parochi?

XVII. An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam christianam in prædictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis, a parochiali divisis et separatis? — negative

XVIII. An in sæpedictis ecclesiis publicis confraternitatum possint haberi publicæ conciones, etiam per totum cursum quadragesimæ vel adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia parochi?

XIX. An in iisdem ecclesiis possit celebrari missa sive lecta, sive cantata, ante missam parochialem sive lectam, sive cantatam? negative

XX. An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpedictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint, processiones, juxta cujusque confraternitatis institutum, absque interventu vel licentia parochi?

XXII. An eædem processiones fieri possint extra ambitum dicta-

rum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est?

XXIII. An in dictis processionibus capellani confraternitatum possint deferre stolam?

XXIV. An Episcopo accedenti ad ecclesias publicas confraternitatum, quæ non sint regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ ecclesiæ?

XXV. An earumdem ecclesiarum et confraternitatum rectores, et capellanos possit parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiæ parochialis?

XXVI. An in sæpedictis ecclesiis confraternitatum, neque parochialibus, neque regularibus, retineri possit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicæ?

XXVII. Præsupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii?

XXVIII. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in sæpedictis ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere?

XXIX. An in ecclesia parochiali confratres, vel eorum capellani immiscere se valeant, invito parocho, in ejusdem ecclesiæ functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus?

XXX. An confraternitates, sive sint erectæ in ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta congregationes suas facere, absque interventu vel licentia parochi?

XXXI. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parocho?

XXXII. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tanquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? Et quatenus affirmative,

XXXIII. An etiam suffragium duplex?

Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit:

Ad 1, affirmative; — ad 2, affirmative; — ad 3, negative; — ad 4, negative; — ad 5, negative; — ad 6, negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a parochis; — ad 7, negative prout jacet; — ad 8, negative prout jacet, sed spectare ad parochos; — ad 9, negative prout jacet, sed spectare ad eccle-

siam digniorem, ad formam constitutionis Leonis X, 22, § 14; — ad 10, negative prout jacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ, vel oratorii, ut in Brundusina sub die 1 Julii 1601; — ad 11 negative; — ad 12, negative; et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta; — ad 13, satis provisum in superioribus; — ad 14, affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa; — ad 15, affirmative; — ad 16, affirmative; — ad 17, negative; — ad 18, affirmative; — ad 19, negative, nisi aliter Episcopus disponat; — ad 20, affirmative, quando tumulandus est subjectus parocho, intra cujus fines est ecclesia, vel oratorium; — ad 21, affirmative; — ad 22, negative, nisi adesset licentia Episcopi; — ad 23, negative extra propriam ecclesiam; — ad 24, negative; — ad 25, negative; — ad 26, negative; — ad 27, negative; — ad 28, negative; — ad 29, negative; — ad 30, affirmative, dummodo non impediant functiones et divina officia; — ad 31, affirmative; — ad 32, negative; — ad 33, negative. — Et ita (salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a Sancta Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus, et provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis) declaravit ac decrevit..., die 10 Decembris 1703.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX TOMI I.

Præfatio ad Auditores.

PRÆNOTIONES IN JUS CANONICUM.

CAPUT I.

De jure canonico generatim.

ART. I. De juris canonici natura. II
§ 1. De vocabulis *Juris* et *Canonis*. . . . . *Ibid.*
§ 2. De juris canonici notione. III
§ 3. De variis juris canonici nominibus. V
§ 4. De discrimine juris canonici a theologia et jure civili. . . . . *Ibid.*
ART. II. De divisione juris canonici. VII

CAPUT II.

De fontibus juris canonici.

Notio fontium. VIII
ART. I. De jure naturæ. X
ART. II. De S. Scriptura XI
ART. III. De traditionibus. XIV
ART. IV. De consuetudine. XVI
ART. V. De constitutionibus RR. Pontificum. XIX
ART. VI. De rescriptis. XXII
ART. VII. De canonibus Conciliorum generalium. . . . XXXII
ART. VIII. De scriptis SS. Patrum. XXXIII
ART. IX. De jure civili. XXXIV

CAPUT III.

De juris canonici collectionibus.

ART. I. De collectionibus juris antiqui. XXXVI
§ 1. De canonibus Apostolorum et constitutionibus apostolicis . . . . . *Ibid.*
§ 2. De collectionibus Ecclesiæ Orientalis. . . . *Ibid.*
§ 3. De collectionibus Ecclesiæ Occidentalis. . . . XXXVII

Art. II. De collectionibus juris novi, seu de corpore juris canonici. XL
§ 1. De Decreto Gratiani. . . . . *Ibid.*
§ 2. De Decretalibus Gregorii IX. XLII
§ 3. De Sexto Decretalium Bonifacii VIII XLIII
§ 4. De Clementinis . . . . . *Ibid.*
§ 5. De Extravagantibus. XLIV
§ 6. De rubricis, superscriptionibus, summariis, glossis et notis. . . . . *Ibid.*
Art. III. De collectionibus juris novissimi. XLVI
§ 1. De Bullario . . . . . *Ibid.*
§ 2. De Concilio Tridentino. XLVII
§ 3. De collectionibus decretorum S. C. Rituum et resolutionum S. C. Concilii XLVIII

CAPUT IV.

De jurisprudentia sacra et SS. Canonum interpretatione.

Art. I. De jurisprudentia sacra. L
Art. II. De SS. Canonum interpretatione. LI
Art. III. De modo procedendi in interpretatione . . . LIII
§ 1. De observandis circa leges ipsas. . . . . *Ibid.*
§ 2. De regulis interpretationis. LV
A. De regulis interpretationis a doctoribus allegatis . . . . . *Ibid.*
B. De regulis juris in genere. LVIII
C. De quibusdam regulis juris in specie. . . LX
Appendix. De interpretatione privilegiorum. LXVI

CAPUT V.

De juris canonici subsidiis.

Art. I. De sacra theologia. LXX
Art. II. De historia ecclesiastica et antiquitatibus christianis LXXI
Art. III. De jure naturali, civili et gentium. LXXIII

CAPUT VI.

De quibusdam juris canonici interpretibus.

Enumerantur cum annotationibus LXXIV

CAPUT VII.

De methodo et divisione hujus compendii.

ART. I. De methodo. LXXVI
ART. II. De partitione compendii. LXXIX

COMPENDII PARS PRIMA.

DE NATURA ECCLESIÆ EJUSQUE POTESTATE, NECNON DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

SECTIO PRIOR.

DE NATURA ECCLESIÆ EJUSQUE POTESTATE.

CAPUT I.

De natura Ecclesiæ.

ART. I. De societate in genere 2
§ 1. De natura societatis. . . . . *Ibid.*
§ 2. De speciebus societatis 4
§ 3. De statu conflictus. 7
ART. II. De institutione Ecclesiæ ut societatis. 8
§ unic. Christus ipse Ecclesiam suam instituit ut veram et proprie dictam societatem. . . . . *Ibid.*
ART. III. De dotibus Ecclesiæ 11
§ 1. Ecclesia Christi est societas spiritualis. . . . *Ibid.*
§ 2. Ecclesia Christi est societas externa . . . . *Ibid.*
§ 3. Ecclesia Christi est societas legalis, seu necessaria. 12
§ 4. Ecclesia Christi est societas inæqualis. 14
§ 5. Ecclesia Christi est societas perfecta, adeoque independens. 18
§ 6. Ecclesia Christi est qualibet societate superior. . 25
ART. IV. De forma Ecclesiæ constitutiva. 28
§ unic. Forma Ecclesiæ est monarchica. . . . . *Ibid.*
ART. V. De mutua relatione Ecclesiam inter et statum civilem. 31
§ 1. De distinctione utriusque societatis . . . . *Ibid.*
§ 2. De concordia inter utramque societatem. . . . 34
§ 3. De conflictu inter utramque potestatem. . . . 36
ART. VI. De limitibus utriusque societatis 37
§ 1. De rebus et causis civilibus. 38
§ 2. De rebus et causis ecclesiasticis. . . . . *Ibid.*

A. De rebus et causis ratione sui ecclesiasticis. . 38
B. De rebus et causis ratione finis ecclesiasticis. . 40
C. De causis ratione personarum ecclesiasticis. . 41
§ 3. De rebus et causis mixtis seu mixti fori, sive per se, sive ex jure communi. . . . . *Ibid.*
§ 4. De præcipuis in hac materia erroribus 46
Art. VII. De jure Ecclesiæ acquirendi et possidendi bona temporalia, independenter a statu civili . . . 47
§ 1. De præcipuis in hac materia erroribus 48
§ 2. Ecclesia jus habet et habilitatem acquirendi et possidendi bona temporalia 50
§ 3. Jus Ecclesiæ acquirendi et possidendi, cum proveniat a jure naturali et divino, repeti non potest a concessione societatis civilis; sed est perfecte ab ea independens 54
§ 4. Leges, vulgo *amortizationis* dictæ, secluso speciali Ecclesiæ privilegio, iniquæ sunt, atque in Ecclesiam injuriosæ 58
§ 5. Ecclesia jus habet independens bona sua administrandi. 62
Art. VIII. De concordatis 66
§ 1. De natura concordatorum 67
§ 2. De vi obligatoria concordatorum 68
§ 3. De materia et forma concordatorum 69
§ 4. De interpretatione, mutatione et rescissione concordatorum 70
§ 5. De concordato anni 1801. 73
Textus concordati anni 1801. 74
A. Juris communis in eo applicatio. 77
B. Juri communi in eo derogationes 80
C. Statuta transitoria 81
Excursus. De diœcesi Brugensi ejusque disciplina 85

CAPUT II.

De potestate Ecclesiæ.

Explicatur duplex potestas 87
Art. I. De potestate jurisdictionis. 89
§ 1. Notio jurisdictionis. . . . . *Ibid.*
§ 2. Variæ jurisdictionis species 90

§ 3. De adeptione seu de titulo jurisdictionis. . . . 97
§ 4. De conditionibus in titulo jurisdictionis requisitis. 101
A. De potestate in concedente . . . . . *Ibid.*
B. De habilitate subjecti 106
C. De forma debita in actu concessionis 108
§ 5. De restrictione jurisdictionis 111
§ 6. De amissione jurisdictionis 112
ART. II. De sacra hierarchia. 116
ART. III. De potestate Ecclesiæ legifera, judiciaria et coercitiva 120
§ 1. De potestate Ecclesiæ legifera . . . . . *Ibid.*
§ 2. De potestate Ecclesiæ judiciaria 121
§ 3. De potestate Ecclesiæ coactiva 126
A. De potestate Ecclesiæ ferendi censuras latæ sententiæ 127
B. De potestate Ecclesiæ infligendi pœnas corporales et temporales 129

SECTIO POSTERIOR.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Proœmium. De personis in genere. 131

CAPUT I.

De Romano Pontifice ejusque adjutoribus.

ART. I. De creatione R. Pontificis. 136
§ 1. De electione R. Pontificis. 137
§ 2. De consecratione et coronatione R. Pontificis . . 141
ART. II. De insigniis R. Pontificis 142
ART. III. De potestate R. Pontificis ejusque juribus . . . 145
§ 1. De jure R. Pontificis ferendi leges. 145
A. Pontifex R. jus habet ferendi leges generales, etiam quando sine magna difficultate Concilium œcumenicum potest congregari 146
B. Pontifex R. potest, si velit, legibus suis universos fideles ligare, absque cujusvis acceptatione . . 147
§ 2. De potestate R. Pontificis quoad jus naturale et divinum 155
§ 3. De potestate R. Pontificis quoad jus ecclesiasticum *Ibid.*

§ 4. De jure R. Pontificis recipiendi appellationes . . 159
A. Pontifici R. competit jus recipiendi appellationes a quacunque sententia alterius ecclesiastici judicis seu tribunalis. . . . . *Ibid.*
B. A tribunali R. Pontificis nemini licet appellare. 164
§ 5. De jure R. Pontificis tractandi causas majores . . 165
A. Erectio, unio, divisio et suppressio episcopatuum. 166
B. Creatio Episcoporum 168
C. Translatio, renuntiatio, depositio Episcoporum. 169
D. Destitutio Episcoporum . . . . . *Ibid.*
E. Concessio coadjutorum episcopalium 172
F. Causæ Episcoporum. . . . . *Ibid.*
G. Erectio capitulorum, novarum dignitatum, novorum ordinum regularium et monasteriorum . . 175
H. Ordinationes sacræ liturgiæ. . . . . *Ibid.*
J. Aliæ causæ majores 174
§ 6. De jure R. Pontificis mittendi Legatos, Nuntios et Vicarios apostolicos 177
§ 7. De jure recipiendi relationes 178
§ 8. De potestate R. Pontificis in temporalia Principum. 179
Art. IV. De principatu civili R. Pontificis 186
§ 1. Est compatibilis cum potestate sacra. . . . *Ibid.*
§ 2. Est hodie necessarius. 188
§ 3. Est valde legitimus 191
§ 4. Est servandus 193
Art. V. De amissione dignitatis pontificiæ 195

CAPUT II.

De curia romana.

Art. I. De R. E. Cardinalibus. 198
§ 1. De origine et nomine Cardinalium. . . . . *Ibid.*
§ 2. De diverso ordine et numero Cardinalium . . . 200
§ 3. De dignitate, præcedentia et prærogativis Cardinalium. 201
§ 4. De creatione et promotione Cardinalium. . . . 203
§ 5. De jurisdictione et officio Cardinalium. 205
§ 6. De sacro collegio Cardinalium 206
§ 7. De amissione dignitatis cardinalitiæ . . . . *Ibid.*
Art. II. De SS. RR. Congregationibus. 207

§ 1. De RR. Congregationibus in genere 208
A. De notione et compositione SS. Congregationum *Ibid.*
B. De divisione SS. Congregationum . . . . *Ibid.*
C. De causis quas pertractant 209
§ 2. De quibusdam SS. Congregationibus speciatim . *Ibid.*
A. De Consistorio et Congregatione consistoriali. *Ibid.*
B. De Congregationibus pro causis fidei institutis . 211
C. De Congregationibus in favorem disciplinæ erectis 213
D. De Congregationibus pro re liturgica institutis. 220
§ 3. De jurisdictione SS. Congregationum. 221
§ 4. De auctoritate decretorum SS. Congregationum. . 222
A. De auctoritate decretorum S. Congregationis Concilii . . . . . *Ibid.*
B. De auctoritate decretorum aliarum Congregationum. 230
Art. III. De quibusdam tribunalibus, seu audientiis Curiæ Romanæ 232
§ 1. Tribunalia gratiæ 233
A. De S. Pœnitentiaria. . . . . *Ibid.*
B. De Dataria 234
C. De Cancellaria apostolica 235
D. De Camera 236
E. De triplici Secretaria . . . . . *Ibid.*
§ 2. Tribunalia justitiæ. 237
A. De S. Rota Romana. . . . . *Ibid.*
B. De utraque Signatura . . . . . *Ibid.*
Art. IV. De Legatis, Nuntiis, Vicariis et Protonotariis apostolicis 238
§ 1. De Legatis et Nuntiis apostolicis . . . . . *Ibid.*
§ 2. De Vicariis apostolicis. 241
§ 3. De Protonotariis apostolicis 243
Art. V. De Conciliis œcumenicis 245
§ 1. De Conciliis in genere . . . . . *Ibid.*
§ 2. De notione, institutione et convocatione Conciliorum generalium 246
§ 3. De præsidentia et celebratione Concilii generalis . 249
§ 4. De confirmatione, promulgatione et auctoritate Concilii generalis. 251

CAPUT III.

De Episcopis eorumque Synodis et adjutoribus.

ART. I. De Patriarchis, Exarchis et Primatibus. 252
§ 1. De Patriarchis . . . . . *Ibid.*
§ 2. De Exarchis 254
§ 3. De Primatibus . . . . . *Ibid.*
ART. II. De Concilio nationali 255
ART. III. De Archiepiscopis, seu Metropolitis. 256
§ 1. De eorum nomine et origine. . . . . *Ibid.*
§ 2. De creatione et insigniis Archiepiscopi 257
§ 3. De potestate Archiepiscopi 260
§ 4. De amissione dignitatis archiepiscopalis. *Remissive.* 262
ART. IV. De Concilio provinciali . . . . . *Ibid.*
§ 1. De notione Concilii provincialis ejusque celebrandi tempore . . . . . *Ibid.*
§ 2. De convocatione et præsidentia Concilii provincialis. 263
§ 3. De negotiis in Concilio provinciali tractandis. . . 265
§ 4. De celebratione et subscriptione Concilii provincialis 266
§ 5. De recognitione et promulgatione decretorum Concilii provincialis 267
§ 6. De vi decretorum Concilii provincialis, deque in iis dispensatione 268
ART. V. De Episcopis 270
§ 1. De nomine Episcopi et Ordinarii 272
§ 2. De varia Episcoporum specie 273
§ 3. De creatione Episcopi 274
A. De electione Episcopi . . . . . *Ibid.*
B. De confirmatione Episcopi. 277
C. De consecratione Episcopi. 281
§ 4. De dotibus in Episcopo requisitis 282
§ 5. De insigniis et privilegiis Episcopi. 283
§ 6. De potestate Episcopi 284
A. De potestate ordinis . . . . . *Ibid.*
B. De potestate jurisdictionis. 285
C. De potestate legis diœcesanæ. 287
§ 7. De officiis et juribus ordinariis Episcopi. . . . 289
A. De officio et jure docendi. 290
B. De officio et jure regendi. 293
C. De reliquis Episcoporum officiis. 296

D. De jure jubendi. 298
E. De jure judicandi et puniendi 300
F. De jure dispensandi 301
G. De jure administrandi. 305
§ 8. De officiis et juribus Episcopi extraordinariis . *Ibid.*
§ 9. De transitu auctoritatis episcopalis ad alios. . . 307
§ 10. De amissione dignitatis et muneris episcopalis. . 309
Art. VI. De Episcopis titularibus, suffraganeis, coadjutoribus, regularibus; Chorepiscopis et Prælatis inferioribus 312
§ 1. De Episcopis titularibus . . . . . *Ibid.*
§ 2. De Episcopis suffraganeis et coadjutoribus . . . 314
§ 3. De Episcopis regularibus. 316
§ 4. De Chorepiscopis 317
§ 5. De Prælatis inferioribus . . . . . *Ibid.*
Art. VII. De Synodo diœcesana. 320
§ 1. De ejus notione et indictionis tempore . . . *Ibid.*
§ 2. De convocatione et præsidentia Synodi diœcesanæ . 321
§ 3. De negotiis in Synodo tractandis 326
§ 4. De modo Synodum celebrandi 327
§ 5. De subscriptione, promulgatione et auctoritate statutorum synodalium. 328
Art. VIII. De adjutoribus Episcopi. 330
§ 1. De Archidiacono . . . . . *Ibid.*
§ 2. De Vicario Generali 331
A. De nomine Vicarii Generalis et Officialis. . . 332
B. De constitutione et dotibus Vicarii Generalis. . 333
C. De potestate Vicarii Generalis 335
§ 3. De Archipresbytero 339
§ 4. De Decano . . . . . *Ibid.*
§ 5. De Canonicis. 340
A. De origine et varia specie canonicorum . . *Ibid.*
B. De creatione et collatione dignitatum et canonicatuum 342
C. De dotibus canonicorum 343
D. De insigniis et privilegiis canonicorum . . . 345
E. De officiis et juribus canonicorum 346
F. De cessatione muneris canonicalis 350
§ 6. De Capitulis . . . . . *Ibid.*
A. De notione et divisione Capitulorum . . . *Ibid.*

B. De membris Capituli 351
C. De distinctione membrorum Capitularium . . 352
D. De officiis et juribus Capituli . . . . . *Ibid.*
E. De officiis et juribus dignitatum et canonicorum qui officium habent. 353
F. De congregationibus capitularibus 354
G. De Capitulo cathedrali 356
§ 7. De Vicario Capitulari. 359
A. De constitutione et dotibus Vicarii Capitularis *Ibid.*
B. De potestate Vicarii Capitularis. 363
C. De cessatione muneris Vicarii Capitularis. . . 364

CAPUT IV.

De parochis eorumque adjutoribus.

Art. I. De parochis 365
§ 1. De nomine et origine parochorum. . . . . *Ibid.*
§ 2. De præcipuis circa parochos erroribus 367
§ 3. De vera notione parochi et parochiatus essentia . 371
§ 4. De nominatione, institutione et dotibus parochi. . 374
§ 5. De jurisdictione parochi 375
A. De indole jurisdictionis parochi. . . . . *Ibid.*
B. De locis ubi jurisdictio parochi exercetur . . 377
C. De subjectis jurisdictioni parochiali seu de parochianis. 378
§ 6. De obligationibus parochorum 384
A. De obligatione celebrandi pro grege . . . *Ibid.*
AA. De binatione 391
B. De obligatione orandi 399
C. De obligatione prædicandi 400
D. De obligatione administrandi sacramenta. . . 402
E. De aliis quibusdam obligationibus parochi . *Ibid.*
F. De obligatione gerendi temporalia parochiæ. . 403
G. De obligatione residendi 404
§ 7. De juribus et functionibus parochialibus . . . 406
A. De juribus parochi circa sacramenta 407
B. De juribus parochi circa oblationes 413
C. De juribus parochi circa funeralia 414
CC. Jura parochi dum quis in propria ecclesia sepelitur 415

CCC. Jura parochi dum quis legitime in aliena ecclesia sepelitur 417
D. De jure parochi ad functiones parochiales . . 419
§ 8. De cessatione muneris parochialis. 422
§ 9. De hodiernis Belgii succursalistis 424
Art. II. De vicariis parochialibus 432
§ 1. De notione et speciebus vicariorum parochialium. 433
§ 2. De deservitoribus 434
§ 3. De vicariis cooperatoribus 435
A. De origine et constitutione viceparochorum. *Ibid.*
B. De potestate viceparochorum. 441
C. De juribus viceparochorum in specie 444
CC. De juribus viceparochorum respectu jurium parochialium. . . . . *Ibid.*
CCC. De juribus parocho et viceparocho aliquousque communibus 449
CCCC. De juribus viceparochorum temporalibus. . 452
D. De obligationibus viceparochorum 453
E. De cessatione muneris viceparochi 456
§ 4. De coadjutoribus parochorum 458
A. De notione, divisione et constitutione coadjutorum . . . . . *Ibid.*
B. De dotibus, officiis et juribus coadjutoris. . . 459
C. De cessatione muneris coadjutoris 460
§ 5. De exemptis a jurisdictione parochiali, et eorum capellanis 461
A. De superioribus communitatum. 462
B. De capellanis militum et navium 463
C. De capellanis confraternitatum 464
§ 6. De confessariis, matriculariis, habituatis. . . *Ibid.*

CAPUT V.

De clericis generatim.

Art. I. De obligationibus clericorum communibus. . . . 466
§ 1. De iis quæ clericis communiter præcepta sunt. . 467
§ 2. De iis quæ clericis communiter prohibentur . . 472
Art. II. De juribus, privilegiis et immunitate clericorum . 482
§ 1. De juribus clericorum communibus . . . . *Ibid.*
§ 2. De privilegiis clericorum communibus . . . *Ibid.*
§ 3. De immunitate clericorum 484

CAPUT VI.

De regularibus et monialibus.

ART. I. De natura status religiosi 489
§ 1. De fine status religiosi 490
§ 2. De mediis ad finem status religiosi, seu de votis et regula 491
A. De solemnitate votorum 492
B. De triplici regularium voto 493
C. De hodierna conditione votorum religiosorum in Gallia et Belgio 494
D. De regula religiosorum 500
§ 3. De approbatione Ecclesiæ 502
ART. II. De origine et præstantia status religiosi 505
§ 1. De origine status religiosi . . . . . *Ibid.*
§ 2. De utilitate et præstantia status religiosi. . . . 506
ART. III. De diversis ordinum speciebus et distinctione religiosorum 508
§ 1. De diversis ordinum speciebus. . . . . *Ibid.*
§ 2. De distinctione religiosorum. 510
ART. IV. De admissione ad statum religiosum 511
§ 1. De ingressu in religionem . . . . . *Ibid.*
§ 2. De novitiatu. 514
§ 3. De professione religiosa 516
ART. V. De obligationibus et officiis regularium et monialium. 519
§ 1. De lege clausuræ . . . . . *Ibid.*
§ 2. De recessu a religione. 521
ART. VI. De Prælatis regularibus 524
§ 1. De nomine et varia specie Prælatorum regularium *Ibid.*
§ 2. De potestate Prælatorum regularium. . . . *Ibid.*
ART. VII. De privilegiis regularium 526
§ 1. De communicatione privilegiorum regularium. *Ibid.*
§ 2. De revocatione privilegiorum regularium . . . 527
§ 3. De privilegio exemptionis 528
ART. VIII. De regularibus quoad doctrinam, curam animarum et disciplinam. 529
§ 1. Quoad doctrinam et prædicationem Verbi divini. *Ibid.*
§ 2. Quoad curam animarum et sacramentorum administrationem. . . . . *Ibid.*

§ 3. Quoad disciplinam 536
A. De capitulis regularibus 537
B. De visitatione 538

APPENDICES.

I. *Regulæ Juris canonici.* 540
Gregorii IX in L. V. Decretalium . . . . . *Ibid.*
Bonifacii VIII in L. VI Decretalium. . . . . *Ibid.*
II. *Syllabus encyclicæ* Quanta cura *SS. D. N. Pii PP. IX anni* 1864 544
III. *Articles organiques du Concordat de* 1801 . . . 556
IV. *Decretum Urbis et Orbis diei* 10 *Dec.* 1703 . . . 564

ERRATA.

Pag.	*lin.*	*loco*	*corrige*
XXII	penultima	a	ad
LXVI	29	concedere	condere
LXXVII	32	intentione	extentione
6	25	societas	societates
15	4	11	21
27	23	potestas summa	potestas, licet summa
146	2	125	120
172	2	concilio	consilio
203	4	lemnicis,	lemnicis et floccis,

Cetera corriget benevolus lector.

3886